PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS TERTIUS

(VIII. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1934

16767

v. 23

IMPRIMI POTEST

—

RAPHAEL BITETTI S. I.
Praepos. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

—

Sorae, 29 dec. 1934.

† AUGUSTINUS MANCINELLI
E.pus Aquin., Soranus et Pontiscurvi

Soc. Tip. A. Macioce & Pisani - Isola del Liri - 1934

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De usu praesumptionis in iure canonico.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS

I. - QUAESTIO PONITUR.

1) *Praesumptionis in lege ferenda, lata, applicanda, idem aut diversus est usus?*

2) *Usus solummodo in foro externo aut etiam in interno?*

3) *Quaestio iuridica aut theologica relate ad obligationem legis huiusmodi?*

4) *Ratio tractationis.*

II. - PRAESUMPTIO VI VOCIS.

III. - USUS PRAESUMPTIONIS UNIVERSALIOR IN VITA HUMANA.

1) *Certitudo necessaria in vita humana circa aliqua adest.*

2) *Deficit certitudo quoad multa.*

3) *Ubi tamen requiritur.*

4) *Deficiens certitudo suppletur et acquiritur praesumptione.*

5) *Praesumptio generalis vel particularis.*

6) *Praesumptio confirmatur vel vincitur veritate, cedit veritati.*

IV. - GENERALIS USUS PRAESUMPTIONIS IN IURE CANONICO IUXTA CC. 1825-1828.

1) *Praesumptio quid sit.*

2) « *Alia est* iuris, *quae ab ipsa lege statuitur* » (*c. 1825*): *Lex praesumens!*

3) « *Alia est* hominis, *quae a iudice coniicitur* ». *Cf. licentiam, approbationem, intentionem praesumptam!*

4) *Praesumptio iuris simpliciter ac iuris et de iure.*

V. - SPECIALIS USUS PRAESUMPTIONIS IURIS IN MATERIIS SINGULARIBUS.

1) *Catalogus praesumptionum iuris in CJC.*

2) *Cur in iure « materiali » ?*

3) *Momentum generale 2 praesumptionum iuris: C. 1086 § 2 de consensu matrimoniali et c. 2200 § de dolo. — Digressio de relatione inter forum externum et internum.*

VI. - LEGES FUNDATAE IN PRAESUMPTIONE.

1) *Terminologia. Relationes diversae inter legem et praesumptionem. Praesumptio* legislatoris *tantum!*

2) *Leges latae in praesumptione periculi universalis.*

3) *Leges fundatae in alia praesumptione.*

4) *Efficacia praesumptionum legislatoris iuxta c. 21.*

VII. - USUS PRAESUMPTIONIS IN FORO INTERNO.

1) *Obligatio legis fundatae in pr. vel praesumentis in conscientia.*

2) *Quaestio canonica aut theologica?*

3) *Usus in « foro » interno.*

4) *Usus praesumptionis in conscientia singulari.*

VIII. - CONCLUSIO.

1) *Praesumptio vitae vulgaris.*

2) *Praesumptio hominis.*

3) *Praesumptio legis.*

4) *Praesumptio legislatoris tantum.*

5) *Praesumptio fori interni et conscientiae.*

De usu praesumptionis in iure canonico.

I. — Quaestio ponitur.

1) *Praesumptionis usus in lege ferenda, lata, applicanda, idem vel diversus?*

Auctores iuris canonici de praesumptione, ut generali quodam instituto iuris, fusius et data opera agunt communiter duobus in locis:

1. « De obligatione legis fundatae in praesumptione », quando explicatur tit. I, l. I CJC de legibus eccl. cc. 8-24; praesertim in expositione c. 21 de legibus fundatis in praesumptione periculi universalis.

2. « De praesumptionibus », quando exponitur cap. 6 sub hac rubrica in tit. 10 de probationibus in iure processuali l. 4 CJC.

3. Praeterea obiter auctores loquuntur de singulis praesumptionibus, quae per alios libros CJC dispersae circa materias particulares versantur. E. g. in cc. 8 § 2, 16 § 2, 133 § 4, 1015 § 2, 1086, 2200 etc.

In primo loco pr. iam ex inscriptione apparet ut fundamentum legis i. e. ut motivum legislatoris ad legem ferendam. Proinde pr. huiusmodi potius pertinere videtur ad « politicam iuris » ut aiunt, seu in hoc loco quaestio de pr. videtur esse magis legis *ferendae* et interpretandae.

In secundo loco iam ex titulo et libro pr. manifestatur esse medium probationis iuridicae, in processu adhibendum, ac proin institutum iuris processualis seu formalis; et quaestio proxime est potius legis *applicandae.*

Atque ubi in non paucis cc. ab ipsa lege statuuntur praesumptiones de materia particulari, quaestio videtur proxime esse legis *latae.*

Certo non agitur in omnibus istis casibus de pr. in eodem prorsus sensu. Qualis igitur exsistit rela-

tio inter varias has considerationes et usus praesumptionis, quid eis est commune, quid diversum?

2) *Usus praesumptionis solummodo in foro externo vel etiam interno?*

Quod obligationem « legis fundatae in praesumptione (facti saltem) » solent auctores distinguere: In foro externo lex huiusmodi obligare dicitur usque ad probationem contrariam, in foro interno autem « praesumptio cedit veritati ». Exinde ulterior quaestio: Potestne pr. adhiberi solummodo in foro externo? Nullo modo valet in foro interno?

3) *Quaestio iuridica aut theologica relate ad legis obligationem?*

De obligatione legis fundatae in praesumptione tum canonistae, tum moralistae agunt, generatim eodem loco systematis, eodem fere modo, eisdem quandoque verbis. (Cf. e. g. Wernz Ius Decretalium Prati 1913 I n. 109; Cicognani Commentar. ad l. I. CJC Romae 1925 II p. 68; Van Hove De Legibus Eccl. Romae 1930 nn. 333 ss.; Vermeersch-Creusen Epitome IC Romae 1933 I nn. 100 s.; Arregui Summar. Theol. Mor. Bilbao 1927 n. 64; Noldin Summa Theol. Mor. Oeniponte 1931 I n. 169. Vermeersch Theol. Mor. Romae 1933 I pp. 167 ss. de re agit sub inscriptione « Legum humanarum divisiones » : « Lex fundatur in probatione vel in praesumptione aut in fictione »).

Estne igitur quaestio de praesumptione theologiae moralis aut iuris canonici, vel qualis differentia inter utramque considerationem?

4) *Ratio dissertationis.*

Ut quaestionum propositarum aliquam forte solutionem praeparemus, utile visum est praesumptionem non sub hoc vel illo respectu tantum considerare, sed generatim disserere de usu pr. in iure canonico.

Nullo tamen modo est intentum, denuo et complete tractare totam materiam canonicam de praesumptionibus, sed sufficiat quaedam suggerere de punctis supradictis.

Pro subiecta materia circa varios usus indicatos praesumptionis interrogabimus: Quid est pr.? Quis praesumit? Quid praesumitur? Cur et ad quem finem et effectum?

Proinde hic non agitur proxime de casibus practicis solvendis, neque de quibusdam controversiis decidendis, sed potius de consideratione complexiva et synthetica scientiae « dogmaticae » iuris relate ad praesumptionem.

Tunc speramus fore ut e perspecta maiore connexione totius materiae de usu pr. in iure canonico singula elementa et applicationes appareant clarius distincta iuxta propriam uniuscuiusque indolem, atque simul intimius ordinata ad invicem.

Auctoritates et scriptores de pr. inveniuntur recensiti e. g. apud Wernz-Vidal Ius Can. Romae 1927 VI p. 465; Van Hove De Legibus Eccl. p. 341; veteres e. g. apud Reiffenstuel, Ius Canonicum universum Venetiis 1735 1, 2, 7 et 2, 23 (De praesumptionibus); Suarez De legibus Lugduni 1619 3, 23.

II. — **Praesumptio vi vocis.**

Vi vocis pr. significat ante-sumptionem; scil. sumitur aliquid pro vero ante debitas probationes (1) vel etiam ante certitudinem rei, habitam scil. postea. Est quaedam anticipatio provisoria probationis vel certitudinis requisitae et postea forte habendae.

E. g. praesumitur consummatio matrimonii e cohabitatione coniugum ante probationem et certitudi-

(1) Cfr Reiffenstuel *l. c.* 2, 23, 1 et Ferraris Bibliotheca sub voce « praesumptio », ubi tota materia iuxta vetus ius bene comprehenditur.

nem habitam ex conceptione, partu etc. Praesumitur tempus diei proximi bonum fore ex criteriis metereologicis ante certitudinem proximo die immediate habitam. Praesumitur homo bonus ante demonstrationem contrarii.

Linguae cohaerentes cum latina simili voce utuntur; in lingua germanica dicitur: Ver-mutung, Wahrscheinlichkeits-annahme.

Convenit iam hoc loco a nostra inquisitione eliminare acceptionem praesumptionis in malam partem, prout significat aut excessum spei (1) aut attentatum temerarium contra ius cf. c. 2229 § 2.

III. — **Usus praesumptionis universalior in vita humana.**

Disserendum est de usu pr. in iure canonico; hic usus est igitur specialis casus applicationis universalioris in vita humana. Cfr exempla supra allegata. Usus pr. extra ius et in iure proxime ad invicem accedunt in iis, quae auctores iuris canonici dicunt de pr. hominis (non iudicis) et de pr. naturae, quae ultima resultat ex iis, quae nobis naturaliter insunt: ut amor filiorum, qui praesumitur erga parentes, et e contra (2). Quia nos homines de multis rebus certitudinem non habemus, ubi tamen propter varias necessitates vitae prudenter iudicare oportet, de ignotis et incertis debemus a magis notis et certis « con-cludere » ad minus nota et certa, et hoc est praesumere.

1) *Certitudo circa aliqua adest.*

Certitudinem (absolutam) habemus de fundamentis naturalibus verae cognitionis et rectae actionis iuxta principia naturaliter nota circa verum et bonum; certitudinem (reductive absolutam) quoad veritates communiter admissas christianae philosophiae perennis.

(1) Cf. Reiffenstuel *l. c.;* S. Th. 2-2, 21; Arregui Summar. n. 130.
(2) Cf. Reiffenstuel *l. c.* 2, 23, 2, 42.

Certitudine (absoluta) praesertim fruimur ex fide supernaturali quoad veritates revelatas. Certi sumus (immediate ac hypothetice) circa ea, quae immediate sensibus percipimus, e. g. operationes externas nostras et eorum quibuscum vivimus.

Certi tandem sumus ex propria experientia vel scientia et ex testimonio aliorum de rebus vitae humanae multis et communiter contingentibus, quae certitudo (moralis hypothetica) fundatur in naturae humanae unitate ac proin certo modo agendi constanti et simili hominum similibus in condicionibus. E. g. generatim certi sumus domum nostram non collapsuram esse absque causa extraordinaria. Certi sumus cauponem nobis non praebere vinum venenatum. Certi sumus fratrem nostrum non machinari de occisione nostra.

In huiusmodi rebus vitae humanae operabilibus generatim in certitudinem tum acquirendam tum acquisitam intrat aliquod *momentum aestimationis moralis,* quo non omnino excluditur contrarium eius, quod in assensu affirmatur. Cfr S. Th. 2-2, 47, 9, ad 2. « 'Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum'; quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur ». Ergo illa prudens aestimatio circa singularia contingentia iam importat defectum certitudinis.

2) *Deficit certitudo quoad multa.*

Iuxta exposita aderit certitudo facilius circa praesentia, externa, manifesta et universalia in vita humana.

Deest autem per se certitudo in plurimis rebus vitae humanae. Scil. e natura rei deest facilius circa *futura,* quae tamen aliquo modo debent praevideri.

Venator de se non est certus, ubi inventurus sit bestias occidendas. Homo politicus, dux exercitus in bello, per se sunt incerti de actionibus futuris adversariorum. Deerit saepe certitudo circa *interna* aliena et multa propria quoque. E. g. de valore morali actuum, de intentione adversariorum. Deerit generatim circa *occulta* ex natura eorum (e. g. paternitas illegitima, virginitas, consummatio matrimonii) vel circa occulta de facto (occisio hominis per inimicum ignotum qui effugit). Deerit magis circa concreta et *particularia,* quam circa universaliora et universalissima. Cf. citationem ex S. Th. supra datam.

3) *Ubi tamen requiritur certitudo.*

Requiritur ex natura hominis tamquam entis rationalis, qui prudenter (providenter) et moraliter (iuxta regulam obligatoriam in conscientia circa bonum et malum) agere debet. E. g. mercatores debent certi esse de condicionibus commercii futuris, ut rationabili pretio debitam quantitatem mercium emere et vendere possint. Superior debet aliquo modo certus esse de motivis et valore actionum in subditis, ut possit recte disponere de eis.

4) *Deficiens certitudo suppletur et acquiritur praesumptione.*

Quando deficit certitudo requisita, homines communiter et spontanee utuntur praesumptionibus in omnibus partibus vitae humanae. « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius et quod plerumque fieri solet. » Reg. Iur. 45 in 6^{0}. Cf. S. Th. 2-2, 47, 3 ad 2: « Infinitas singularium non potest ratione humana comprehendi; inde est quod sunt 'incertae providentiae nostrae', ut dicitur Sap. 9: tamen *per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita, quae ut in pluribus accidunt;* quorum cognitio sufficit ad prudentiam humanam ».

Iuxta experientiam cotidianam et actualem statum familiae mater praesumit de necessitatibus materialibus, ut possit providere. Ex eo quod aliqua femina saepe visa est in locis obscuris et remotis sola cum viris, concluditur iuxta regulam universaliorem infirmitatis humanae, eam non iam esse virginem (factum *occultum*). Ex verbis contra veritates revelatas prolatis concluditur mens haeretica interna (factum *internum*). Ex signis metereologicis temporis hodierni et regulis universalioribus concluditur ad tempus crastinum (factum *futurum*). Ex lapsu frequenti morali hominum in eadem occasione e. g. matrimonii mixti concluditur *periculum universale* adesse.

Praesumptio igitur est prudens aestimatio circa singularia contingentia seu medium quoddam cognitionis, quidam processus rationis, in quo ex signis externis, praesentibus, immediatis ex una parte, et ex generalibus regulis ex altera parte con-cluditur, coniicitur, con-ligitur veritas (facti vel regulae) sive occulta, sive interna, sive futura, adhuc incerta. Praesumptione tum deficiens certitudo interim *suppletur,* tum ipsa inservit ut medium pro paranda et *acquirenda* certitudine; nam praebet medium omnia adiuncta circa rem incertam melius inquirendi et aestimandi ex eorum mutua connexione. Proinde pr. primo est anticipatio certitudinis et probationis provisoria, dein etiam est medium, quo mens humana transit a dubio vel suspicione per opinionem seu per omnes gradus probabilitatis ad certitudinem saltem moralem, quae est finis.

5) *Praesumptio generalis vel particularis esse potest ratione vel obiecti vel subiecti.*

Hucusque consideravimus praesumptionis obiectum magis sub ratione cognoscibilitatis (occultum, futurum, internum...); praeterea attendi debet distinctio ratione universalitatis, prout scil. obiectum proximum prae-

sumptionis est aut regula generalis aut factum particulare. Nam aut concludimus a particularibus ad universaliora per modum cuiusdam inductionis, ut statuamus praesumptionem generalem seu regulam experientiae (cf. S. Th. l. c. « per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita, quae ut in pluribus accidunt. »). E. g. e numerosis particularibus defectionibus circa fidem coniicitur regula, matrimonia mixta esse periculosa. Indoles praesumptionis seu momentum incertitudinis hic habetur in eo, quod regula non est stricte universalis, sed admittit exceptiones.

Aut concludimus ab universalibus ad particularia facta, per modum deductionis seu subsumptionis cuiusdam facti sub regulam, atque ex generali regula statuimus praesumptionem de facto concreto. E. g. ex conformitate generali inter mentem et verba et facta hominis atque ex facto criminoso Sempronii praesumimus animum eius dolosum. Indoles provisoria praesumptionis hic apparet in eo, quod fallere potest et quod de absentia doli sive in foro interno sive in externo constare potest. Hic proprie et immediate verificatur natura praesumptionis, quippe qua certitudo suppleri vel acquiri debeat.

Subiectum praesumptionis vulgaris potest esse tum homo singularis in negotiis vitae propriae et privatae, ut exempla allegata monstrant, tum societas humana sive minor, sive maior, sive universa ; haec e. g. in praesumptionibus naturae.

Quantum influxum exercent praesumptiones collectivae in vitam publicam et privatam! E. g. quando in bello, sive militari, sive commerciali, sive sociali (classium) adversarius semper praesumitur pessimus, natio propria, classis propria semper et in omnibus nobilis, iusta, magnanimis.

6) *Praesumptio confirmatur vel vincitur veritate, cedit veritati.*

Praesumptio connaturaliter incipit suspicione et opinione fundata, terminatur plena certitudine habita sive ex probationibus, sive ex facto immediate percepto: (Cf. exempla allata; femina cognoscitur non virgo ex inquisitione medici; crastina die experientia certi erimus de tempore etc.) Praesumptio conceptionis *confirmatur* veritate partus. Pr. bonitatis in homine *vincitur* demonstratione malitiae eius. Si veritas respondet praesumptioni antea factae, pr. confirmatur, secus vincitur. Hic igitur est tandem finis praesumptionis, ut moriatur per veritatem, ut absorbeatur certitudine et ita desinat esse mera praesumptio. Tunc dicitur etiam pr. cedere veritati.

IV. — Generalis usus pr. in iure canonico iuxta cc. 1825-1828.

1) *Praesumptio quid sit.* « Est rei incertae probabilis coniectura » (c. 1825) seu « rationabilis coniectura rei dubiae, collecta ex argumentis et indiciis, quae per rerum circumstantias frequenter eveniunt ». Reiffenstuel l. c. 2, 23, 1, 3. In iure pr. specialis est indolis et specialis quoque momenti. Nam universalis indoles praesumptionis supra descripta in *iure* specificatur indole speciali iuris tamquam ordinis obligatorii, qua vita socialis externa hominum regitur. Specialis momenti; nam iuris humani tum « positio », seu legislatio, tum administratio (sive executiva, sive iudicialis) supponit regulas certas de vita humana et facta certa in quibus fundetur et quibus applicetur; certitudo autem haec saepe deest; ergo supplenda vel acquirenda est praesumptione. Cum pr. etiam in iure sit opinio de re incerta, aestimatio probabilis ideoque includat vel praesupponat processum quendam rationis, imprimis quaeritur, quis praesumat. C. 1825 dat responsum:

2) « *Alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur* ».

Dicitur etiam canonis vel legis. (1) (Gesetzliche Wahrscheinlichkeitsannahme, Rechtsvermutung). Allegatis aliquibus exemplis primo videamus de pr. iuris in genere, dein postea agendum erit de usu pr. iuris in variis materiis specialibus. Exempla: C. 8 § 2 leges praesumuntur territoriales; c. 133 § 4 clerici cohabitantes cum mulieribus et contumaces praesumuntur concubinarii; c. 1014 matrimonium semel celebratum praesumitur validum; c. 1086 § 1 e matrimonio rite celebrato praesumitur consensus internus; c. 1814 documenta publica praesumuntur genuina; 2200 ex delicto externo praesumitur dolus internus etc. Applicemus quaestiones supra indicatas, ut melius perspiciamus naturam huius pr. iuris:

Quis praesumit? Ipsum ius latum, lex, canon. Proinde de his minus recte videtur agi sub inscriptione « de lege *fundata in* praesumptione », uti faciunt generatim auctores; cf. citatos initio dissertationis. Nam etsi lex praesumens etiam fundatur ultimatim in praesumptione aliqua legislatoris, quam hic in ipsa lege exprimit, proprie tamen et immediate praesumptio in ipsa lege *habetur expressa;* agitur de lege praesumente, imo ipsa lex est praesumptio. Praesumptio, in qua fundatur lex aliqua, omnino distinguenda est a praesumptione legis! Iam ex ipsa natura rei ea, quae de praesumptione dici possunt iuxta cc. 1825 ss., nonnisi indirecte accomodari possunt praesumptioni legem fundanti, cum haec ad nullam categoriam proprie pertineat ex iis de quibus cc. 1825 ss. (2).

(1) Matth. Conte a Cor. Instit. IC. III p. 261.

(2) Accurata distinctio praesumptionis ratione subiecti desideratur e. g. apud Maroto Inst. IC. I pp. 223 ss. — Distinctio inter praesumptiones expressas in lege, applicandas factis particularibus, et praesumptiones generales, in quibus leges fundantur, insinuatur saltem a Wernz Ius Decret. V n. 655 (7) — Ortus illius distinctionis forte habetur apud Suarez, De legibus 3, 23, 5. — Quod etiam lex praesumens fundatur in praesumptione legislatoris dicitur apud Siméon-David, Recht und Rechtsgang im deutschen Reiche Berlin 1928 II (15. Aufl.) p. 415. — Cfr etiam Suarez l. c. 3, 23, 3 i. f.

Quid praesumitur a lege praesumente? Auctores quandoque respondent: Factum, in oppositione ad periculum universale, in quibus quaedam leges fundantur (1).

Si pr. tali modo ex *obiecto* distinguitur: Alia periculi communis, alia facti particularis, haec distinctio indiget explicatione:

Si *solum* respicitur ratio praesumptionis et eius obiecti, distinctio quidem recte fit. Nam supra vidimus praesumi aut regulam experientiae generalem, aut facta particularia. (V. p. 10*).

Iamvero praesumptio legislatoris, quae legis motivum est, revera spectat immediate periculum universale ut regulam generalem hypotheticam e. g. matrimonia mixta esse periculosa pro fide partis catholicae et prolis. Ex applicatione praesumptionis talis oritur *lex* prohibens.

E contra legis praesumptio, quae ipsa *est* regula abstracta et practica, respicit facta particularia, ut de iis nobis procuret certitudinem. Ex applicatione huius praesumptionis oritur *certitudo* de casu concreto e. g. matrimonium determinatum praesumitur consummatum propter cohabitationem coniugum.

Attamen si ratio habetur etiam *subiecti* praesumptionis (et modi quo fit in iure), illa distinctio laborat difficultate; nam ita confunduntur duae species omnino diversae praesumptionis: « Periculi communis » sunt legislatoris, non legis; « facti particularis » sunt legis (et quidem applicandae), non legislatoris (2).

---

(1) Cf. Maroto *l. c.* I p. 224; Noldin l. c. I p. 170.

(2) Van Hove l. c. p. 341 explicat accurate distinctionem: Pr. iuris « quae est circa factum, spectat medium probationis... Pr. periculi generalis spectat interpretationem legis et est speciale motivum, quod legislatorem induxit ad aliquam legem ferendam, periculum nempe fraudis, damni, scandali, quod communiter accidit ». « Nullo modo adaequata est divisio *legum* in leges fundatas in pr. facti et periculi general s. Sunt duae categoriae diversae legum. » — Etiam a Suarez l. c. nn. 5 s. distinctio explicatur. De hac re infra pp. 30* ss. fusius agetur.

Cur et ad quem finem praesumit lex? Ut circa quaedam interna, occulta, difficiliora probatu, quae tamen magni momenti sunt in iure (cf. exempla) iuridica impugnatio difficilior reddatur et onus probandi deferatur ei, qui impugnat rem sub favore iuris constitutam; ita e. g. cc. 1024, 1015 § 2, 1086 § 1, 1814. In *hac* ratione seu motivo legis potius videre licet « fundamentum » praesumptionis iuris!

Et effectus praesumptionis iuris? Generatim dicitur praesumptionem iuris esse regulam probationis legalem, modum probationis, quo unus, cui favet pr., liberatur ab onere probandi, quod alteri imponitur. Hic quoque videtur accuratius distinguendum esse: Effectus *primarius,* proprius et immediatus legis praesumentis est solummodo praescriptum, ut res praesumpta, e. g. valor matrimonii iuxta c. 1014, interim et condicionate pro certa habeatur. Hoc praescriptum legis primo non dirigitur ad iudicem, sed ad subiecta immediata rei praesumptae, in casu ad coniugatos et liberos, et dein etiam ad omnes alios; quibus praecipitur scil. ut interim effectus, qui ex matrimonio valido procedunt, observent. Hoc sensu pr. iuris facit plenam probationem, iam antequam -- deficiente scil. impugnatione — sermo esse possit de probatione. Effectus *secundarius* autem et mediatus legis praesumentis iterum duplex assignari debet:

Primo iura et obligationes in subiectis rei praesumptae. Quae non directe consequuntur e lege praesumpta qua tali, e. g. e c. 1014, sed ex alia lege, in casu e cc. 1110 ss. de effectibus matrimonii. Hi effectus non sunt proprii legis praesumentis, sed ex *omni* matrimonio valido sequuntur; sunt igitur effectus alterius legis.

Secundo etiam obligatio probandi contrarium, quae incumbit impugnanti praesumptionem iuris, *non immediate decernitur* in lege praesumente, sed consequi-

tur ulterius ex impugnatione i. e. ex novo facto particulari interveniente praeter legem praesumentem. *Propterea* de hoc effectu secundario praesumptionis legis non est sermo in singulis praesumptionibus iuris materialis, sed in iure processuali c. 1827; ubi liberatio ab onere probandi clare apparet tamquam effectus impugnationis rei praesumptae in processu factae non autem tamquam obiectum vel effectus immediatus et formalis alicuius praesumptionis legalis particularis. Lex praesumens non obligat ad impugnationem, sed tantum ad probationem contrariam, *si* impugnatur res praesumpta.

Ideo pr. iuris secundario tantum dirigitur ad iudicem, ut in casu impugnationis interim rem praesumptam ut plene probatam assumat, donec contrarium probetur (1).

Proinde pr. iuris *proxime et proprie* neque videtur esse probatio, neque probationis relevatio (« dum transfert onus probandi in alium » Reiffenstuel l. c. II, 23, 2, 47), neque « une dispense de preuve » (Planiol Droit civil Paris 1922 I p. 137), sed alicuius facti iuridici firmatio legalis, similis legi « definienti », seu definitioni legis, uti habetur e. g. in c. 145. Etiam « lex definiens » (2) proprie non disponit, praecipit, nisi hoc, ut res definita in iure simpliciter ab omnibus agnoscatur et pro certa habeatur, *quin* admittatur probatio contraria. Proprium legis praesumentis est, quod *permittitur* simul probatio contraria, seu quod eius « definitio » est condicionata, et quidem condicione resolutoria: « nisi contrarium probetur, » « nisi aliud constet » cf. e. g. c. 70.

3) *Praesumptio « alia est hominis, quae a iudice coniicitur »* c. 1825 § 1. Praesumptio iuris est regula

---

(1) Contra Siméon-David l. c. II p. 414 s.

(2) Cf. Grueber, Einführung in die Rechtswissenschaft Berlin 1928 p. 26 s.

generalis abstracta a lege statuta, applicanda factis concretis. Indoles praesumptionis in hac lege eo servatur, quod non est absoluta, omnes casus verbis comprehensos simpliciter afficiens, sed *explicite* exceptiones admittuntur, etiam in genere. Pr. hominis non est regula generalis circa facta particularia, sed ipsa est quoque factum particulare, aestimatio prudens alicuius casus iuridici concreti a iudice facta. Indoles praesumptionis hic verificatur immediate, scil. quod res interim et probabiliter ut vera assumpta, nondum definitive ut certa habetur.

Cum agatur de usu pr. in *iure*, minus attenditur praesumptio hominis *privati*, sed respicitur hominis publica auctoritate instructi i. e. generatim in processu: iudicis ecclesiastici.

Lex non valde favet praesumptioni hominis, uti apparet ex forma negativa c. 1828 « iudex ne coniiciat, nisi... » et ex condicionibus appositis:

1. « Ex facto certo et determinato ». Nam si iam fundamentum coniecturae incertum est, quanto magis conclusio! Concordat doctrina traditionalis.

2. Ex facto directe connexo cum re controversa. Nam sic tantum indicia possunt esse « signa », i. e. sive effectus, sive causa rei alterius scil. coniiciendae. Praesumptio iudicis est medium, ut iudex perveniat ad certitudinem, quae requiritur in eius animo circa rem sententia definiendam, antequam sententiam pronuntiet. Cf. c. 1869 § 1.

Natura huius pr. bene explicatur duobus textibus authenticis iuris veteris: SCC. 1-2-1868 ASS. III p. 408 « Duplici autem ratione facta ostendi posse: vel per testimonia aut documenta, quae factum testentur: vel per alia facta, quae explicari non possent, nisi verum supponatur factum illud quod demonstrare contendimus. In praesenti casu (agitur de nullitate matrimonii) defuisse argumenta primi generis: non autem

defuisse factorum indiciorum complexum qui aegre admodum explicari posset, facto.. (probando) non supposito ». Hic apparet pr. iudicis esse probationis modum ex indiciis certis, convergentibus et connexis cum facto probando.

Explicatius in alio textu: SO. Instr. ad probandum obitum alicuius coniugis ASS. VI p. 442 « Facta enim duplici ratione ostendi possunt, vel per testes, aut documenta fide digna, quae facta directe et immediate demonstrent; quae probatio legitima dicitur: vel per cumulum, maiorem vel minorem, indiciorum, coniecturarum et praesumptionum, qui cumulus prudenter explicari non posset, si non supponatur factum de quo quaeritur: haec secunda factorum probatio, quamquam non sensu stricto legitima, sed aequipollens appelletur, deficiente prima legitimaque probatione, in iudiciis cum quodam prudenti iudicis arbitrio admitti solet ». Haec verba bene perspicere faciunt, quomodo hic modus suppletorius probationis ultimatim reducatur ad prudentem iudicis aestimationem et sit *medium* perveniendi ad probationem aequivalentem legitimae.

Huic praesumptioni hominis praesertim aptatur distinctio praesumptionis ratione virtutis probatoriae et assensus in levem (temerariam), probabilem, violentam (vehementem). Prima spernenda est (cf. S. Th. 2-2, 60, 3); secunda de se insufficiens ad certitudinem gignendam seu plenam probationem, (1) potest tamen aliis adminiculis adiuta hoc praestare; tertia *accedit* ad certitudinem seu probationem plenam. « Adeo ut ad condemnationem sufficiat saltem in causis civilibus (contentiosis) non nimium arduis. Propter praesumptionem etiam vehementem non debet quis de gravi

(1) Cf. Wernz-Vidal *l. c.* n. 518 (15) — Exemplum traditionale praesumptionis violentae vide e. g. apud Conte a Cor. l. c. p. 262. « Si solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto, in secretis locis vel latebris ad hoc commodis inveniatur, » violenter praesumitur fornicatio.

crimine condemnari. Nisi tamen indicia essent indubitata et luce clariora seu talia, quae evidentiam rei evincant » (Ferraris l. c.) De hac re multum disputatum est inter auctores.

Ex natura praesumptionis tamquam medii perveniendi a suspicione per probabilem opinionem ad certitudinem atque tamquam substitutionis anticipatae pro plena probatione et certitudine videtur sequi, quod pr., dum manet talis, connotat essentialiter *non obtentam* certitudinem seu probationem plenam, dum autem revera efficit iuxta prudentem aestimationem iudicis plenam probationem et certitudinem, iam *desinit* esse *mera* praesumptio et transit in subiecto instructo auctoritate in certitudinem et plenam probationem. Ergo pr. violenta, quae in contentiosis sufficit pro probatione, revera *transit* in certitudinem moralem saltem late dictam, requisitam pro sententia.

In criminalibus autem pr. vehemens tunc solummodo potest efficere probationem plenam, si *transit* in certitudinem moralem *stricte* dictam.

Ex natura praesumptionis et ex silentio CJC. nihil obstare videtur, quominus etiam aliae personae praeditae auctoritate iuridica, praesertim iurisdictione, in iure adhibeant praesumptiones hominis. E. g. in legis applicatione non iudiciali, sed gubernativa vel administrativa: Nonne Vicarius Generalis in administratione dioecesis saepe ad praesumptiones recurrere debet?

Simile quid in CJC. saepius expresse disponitur, cum lex permittit, ut condicio quaedam a lege praescripta in materia administrativa a personis ecclesiasticis praesumatur. E. g. c. 484 de licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae pro functionibus sacris in ea; c. 600 n. 4 pro quibusdam admittendis in clausuram papalem potest praesumi approbatio Ordinarii; c. 830 praesumpta intentio oblatoris circa eleemosynas missae; cf. etiam cc. 738, 845, 848, 874. Cum in his

casibus potius agatur de materia favorabili, praesumptio legitima *qua talis* sufficit, quin transeat in certitudinem. Defectus certitudinis ab ipsa lege videtur suppleri simpliciter neque solum condicionate, uti fit in praesumptione iuris.

4) « *Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure* ».

C. 1825 § 2. De hac distinctione pauca sunt dicenda sub aspectu huius dissertationis. Est proprie iuris processualis, quae in iure materiali vix specialem influxum exercet. Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio contraria — et in hoc manifestatur nota propria praesumptionis, prout est assumptio alicuius facti provisoria et hypothetica — tum directa, i. e. contra veritatem praesumptam ipsam, tum indirecta i. e. contra factum quod est fundamentum praesumptionis. C. 1826.

E. g. contra praesumptionem consensus interni ex celebratione matrimonii rite peracta admittitur tum probatio directa: Consensum ante celebrationem matrimonii a sponsis coram testibus exclusam fuisse; tum indirecta: Matrimonium non rite celebratum esse.

Contra praesumptionem iuris et de iure admittitur solummodo probatio contraria indirecta. E. g. praesumptio iuris c. 88 § 2 de defectu usus rationis in infantibus intra ambitum c. 12 videtur esse de iure quoque. Nam si quis vult probare Titium parvulum teneri aliqua lege mere ecclesiastica, puta abstinentiae, non iuvat probatio Titium fere septennem iam pollere usu rationis, sed requiritur probatio contra factum fundans praesumptionem i. e. demonstratio Titium iam complevisse septimum aetatis annum.

Conformiter ad structuram praesumptionis in pr. iuris et de iure, cohaerentia facti fundantis cum re praesumpta, (in casu nexus inter defectum septennii

et exemptionem a lege mere ecclesiastica,) a legislatore quasi absolute statuitur (cfr c. 1828); et indoles provisoria et debilis praesumptionis manet in eo dumtaxat, quod infirmitas « indicii » i. e. facti fundantis relinquitur probanda.

V. — Specialis usus praesumptionis iuris in materiis singularibus.

1) *Catalogus praesumptionum iuris in CJC.* Quamvis intentio non sit conficiendi catalogum completum omnium praesumptionum iuris in CJC, utile tamen videtur hoc loco dissertationis recensere principaliores. (Cf. Eichmann l. c. I p. 42). Indicatur breviter obiectum praesumptionis.

In libro *primo :* Cc. 8 § 2 territorialitas legis eccl.; 16 § 2 ignorantia iuris et facti ; 2 s. revocatio legis praeexistentis ; 63 concessio privilegii ; 70 perpetuitas privilegii.

In libro *secundo :* Cc. 88 § 3 pubertas, usus rationis ; 133 § 4 concubinatus ; 200 § 2 non-delegatio; 205 delegatio in solidum aut collegialis ; 644 § 2 malitiosus animus apostatae a religione.

In libro *tertio : De matrimonio :* Cc. 1014 valor matrimonii ; 1015 § 2 consummatio ; 1070 § 2 baptismus in ordine ad matrimonium ; 1082 § 2 ignorantia circa naturam matrimonii post pubertatem ; 1086 § 1 internus consensus ; 1093 perseverantia consensus matrimonialis ; 1115 §§ 1, 2 paternitas, legitimitas prolis ; 1122 § 1 negativa responsio ad interpellationem ; 1129 § 2 condonatio adulterii.

Ex ulterioribus partibus libri III : Cc. 1299 § 3 res reditibus ecclesiae comparatae ; 1411 n. 2 beneficia saecularia ; 1432 § 1 (intentio in iure fundata) ius Cardinalis et Ordinarii loci conferendi beneficia ; 1536 § 1 dona rectoribus data praesumuntur donata ecclesiae.

In libro *quarto:* Cc. 1814 genuinitas documentorum publicorum; 1904 res iudicata (exemplum certum praesumptionis iuris et de iure; cf. Matth. Conte l. c. III p. 261); 1972 valor matrimonii post mortem coniugum [pr. iuris et de iure? Affirmative Wernz-Vidal l. c. VI n. 517 (9)].

In libro *quinto:* Cc. 2200 dolus; 2208 recidivitas; 2315 suspicio haeresis; cf. etiam 2340 obsordescentia in excommunicatione.

Ex conspectu satis obvio iam aliqua eruuntur: Quamvis catalogus non sit completus et revera multae praesumptionis iuris in CJC inveniantur, vix tamen « millies », ut existimat Matth. Conte l. c. III p. 261.

Praesumptiones legis praesertim versantur circa interna (cc. 16 § 2, 1086 § 2, 88 § 3, 2200); naturaliter occulta (e. g. 88 § 2, 133 § 4, pleraeque (10) praesumptiones de matrimonio); circa ea, quae quidem difficulter probantur, praecipue ob temporis decursum, sed sub favore iuris constituta sunt, ut valor actus iuridici in certa forma iuridica positi (e. g. 1014, 1432 § 1, 1814, 1904, 1972). Obiectum quasi praedilectum legis praesumentis est matrimonium, in quo etiam praecipue verificantur rationes legis eiusmodi.

In iure constitutionali et administrativo libri secundi vix occurrunt praesumptiones iuris; item vix in iure sacramentali, matrimonio excepto; in iure de beatificatione et canonizatione pr. iuris exspectari nequit, cum c. 2019 requirat probationes *omnino* plenas atque per testes et documenta. Item ius poenale generatim loquendo quam maxime resistit praesumptioni i. e. probationi provisoriae et approximativae. Nam in materia tam odiosa poenae non sunt infligendae nisi certo delinquentibus. Ex altera tamen parte, cum pr. sit via ad plenam et certam probationem et in humanis ille transitus a minus certis generatim incipere

debeat, etiam in iure criminali usus praesumptionis praesertim hominis, i. e. iudicis et inquisitoris excludi nequit cf. cc. 1939-1946.

2) *Cur praesumptiones iuris*, etsi praesumptio generatim potius describitur ut institutum iuris processualis et formalis, fere exclusive inveniuntur *in iure materiali CJC* i. e. in illis canonibus, in quibus determinantur ortus, mutatio, interitus iurium et obligationum praeter processum et ius poenale? Variae possunt assignari rationes: Quia legislator iam technice vix potest multas illas praesumptiones iuris, diversas ratione materiae, colligere inter canones iuris processualis. Praeterea supra (p. 14* s.) iam explicatum est, quomodo praesumptiones iuris speciales qua tales non exserant immediate et positive suam vim in processu. Proprie et immediate praesumptio iuris *eximit* certam materiam a processu et probatione, et fundat iura et obligationes iuris materialis. Proinde ex locis iuridicis, in quibus in CJC inveniuntur et ex effectibus videtur dicendum eas secundum naturam specificam iuridicam primario esse iuris materialis, secundario tantum iuris processualis (1).

3) *Momentum generale duarum praesumptionum iuris:* C. 1086 § 2 de consensu matrimoniali et c. 2200 § 2 de dolo.

Speciali attentione dignae videntur duae praesumptiones legis, primo aspectu saltem sat speciales, scil. c. 1086 § 2 « Internus consensus semper praesumitur conformis verbis.... » et c. 2200 § 2 « Posita externa legis violatione dolus in foro externo praesu-

(1) Cf. Windscheid Pandektenrecht Stuttgart 1879 I p. 404 ss.: « Die Lehre vom Beweise hat Seiten, welche zu dem materiellen Recht in unmittelbarer Beziehung stehen..... In welchen Fällen (Rechts-Vermutungen) vom Recht einerseits autorisiert sind und andrerseits dem Richter zur Pflicht gemacht sind, ist wieder eine im Civilrecht bei der Darstellung der einzelnen Materien zu beantwortende Frage ».

mitur ». In his duobus cc. Codex sollicitus est de elementis *in* se mere internis : Consensus internus matrimonialis et culpa theologica; quamvis *per* se i. e. ex connaturali agendi modo humano et ex praecepto divino vel humano illi actus interni coniuncti sint cum elementis externis conformibus scil. consensus internus cum verbis vel signis, dolus internus cum delicto externo. Sunt igitur actus « mixti ».

Ut melius explicetur et intelligatur momentum harum praesumptionum, aliqua libet praemittere per modum *digressionis* de relatione legis (iuris) humanae ad interna et conscientiam.

Lex humana de se directe versatur circa vitam externam socialem ordinandam atque indirecte dumtaxat et mediate attingit actus et relationes internas et morales, prout distinguuntur ab externis et mere iuridicis. Quod indiget explicatione: *Lex humana attingit interna*, quia tota vita externa hominum natura sua ordinantur ad internam moralem et religiosam, cuius est manifestatio et medium, quo actuatur et explicatur ulterius. Interna praevalent externis; ordo stricte et proprie iuridicus fundatur in morali atque ad eum ordinatur. Omne ius, obiectivum et subiectivum, fundatur in iustitia, virtute morali, cuius est obiectum. Ius et lex, quae plene absolverentur in vita externa et temporali neque fundarentur ullo modo in ordine moralitatis *internae*, neque ad interna et spiritualia ordinarentur, essent contra dignitatem et veritatem naturae humanae a Deo institutae (1).

Saepe quidem ius (humanum, « primum quoad nos ») potest abstrahere a voluntate interna, legi et actionibus iuridicis conformi (cf. principium: Finis legis non cadit sub legem); imo

(1) Cf. S. Th. 1-2, 96, 4 « Utr. lex humana imponat homini necessitatem quantum ad forum conscientiae. » — R. 13, 1. 5. — Ius, iustitiam, et leges humanas primarie et proprie spectare solummodo vitam socialem *externam* hominum, a S. Thoma Aqu. in Summa theol. non quidem formaliter doceri videtur, at satis innuitur. E. g. 2-2, 58, 8 : Agitur de materia speciali iustitiae particularis (commutativae) « cum iustitia ordinetur ad alterum, non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa exteriores actiones, et res, secundum quandam rationem obiecti specialem; prout scil. secundum eas unus homo alteri coordinatur. » 2-2, 58, 11 : « Materia iustitiae est operatio exterior, secundum quod ipsa, vel res, qua per eam utimur proportionatur alteri personae, ad quam per iustitiam ordinamur. » Materia autem seu obiectum iustitiae est ius 2-2, 57, 1; cf. etiam 2-2, 57, 1 ad 1; 2-2, 58, 11 ad 3; 1-2, 91, 4.

legislator et lex humana possunt ad bonum commune supplere omnes effectus iuris mere positivi et humani, cum legislator supremus et absolutus iuridice sit dominus totius iuris mere humani. Attamen minime ius humanum potest *simpliciter* abstrahere a vita interna, morali, religiosa; sed fundatur in illa connexione essentiali ordinis iuridici externi et interni moralis. Neque potest legislator humanus, actus et effectus internos et stricte morales, quae in conscientia coram Deo valent, supplere e. g. consensum matrimonialem internum cf. c. 1081; vinculum internum ex voto coram Deo ortum.

Lex autem mere humana attingit interna solummodo mediate; scil. mediante *promulgatione et applicatione* externa, humano modo instituenda. Mediante dein *potestate*, quae a Deo commissa est auctoritati humanae. « Non est enim potestas nisi a Deo. » R. 13, 1. Solus Deus immediate dominus est conscientiae; solus Deus immediate, sine delegatione alterius potestatis, hominem in conscientia ligare potest. Haec videntur communiter admissa et admittenda. Lex humana conscientiam attingere videtur tandem mediante *materia* (seu obiecto), quae respectivae auctoritati humanae a Deo commissa est, ut iuxta principia iuris divini et intra eius ambitum ulterius ordinetur, in complementum quoddam iuris divini (1).

Sic vita externa socialis hominum, ordinanda ad finem boni communis *temporalis*, commissa est auctoritati in societate perfecta naturali, i. e. in Statu. Vita externa socialis baptizatorum,

---

(1) Cf. S. Th. 1-2, 95, 2 « Utr. omnis lex humanitus posita a lege naturali derivetur. » Iuxta textum citatum omnis lex humanitus posita a lege naturali derivatur; seu est de ratione legis humanae, quod sit derivata a lege naturae sive tamquam *conclusio* ex principiis (ius gentium), sive tamquam *determinatio* particularis (ius civile). « Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita: sed ea, quae sunt primi modi, continentur in lege humana, non tamquam sint solum lege posita (iuris mere humani), sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali: sed ea quae sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. « Ergo distinguitur hic aliqua ulterior determinatio legis divinae naturalis per legem humanam magis propinqua et magis remota. Sed semper manet vera, quod ratio ultima obligationis in conscientia a lege divina derivatur. Cf. etiam ibid. 93,3.

Videtur autem, quod ea, quae hic dicuntur de relatione iuris humani ad ius divinum, analogice etiam possunt et debent applicari relationi iuris mere ecclesiastici ad ius divinum naturale et positivum. Scil. de ratione legis ecclesiasticae est, ut sit derivata a lege divina, sive tamquam conclusio et determinatio magis propinqua circa materiam generice et immediate a lege divina praescriptam e. g. quoad obligationem communionis paschalis; sive tamquam determinatio magis remota in lege mere ecclesiastica, quae fertur ex potestate propria Ecclesiae, e. g. circa dies festos observandos.

ordinanda ad finem boni communis *perennis* et aeterni commissa est Ecclesiae, tamquam societati perfectae supernaturali, visibili et potestate « propria » instructae (1).

Sic tandem vita interna fidelium baptizatorum, quatenus directe agitur de salute animae, immediate ex natura sua videtur regi tantum iure divino; sensu explicato, iuxta quem nulla auctoritas praeter Deum ex seipsa hominem ligare potest in conscientia; alia autem potestas, humana, hoc potest tantum

---

(1) A lege mere humana, etiam ecclesiastica, attingi conscientiam mediate dumtaxat sensu explicato, i. e. ratione materiae ordinandae, videtur non admitti ab illis, qui probabiliter saltem contendunt Ecclesiam sua potestate propria attingere et praecipere posse immediate actus mere internos. Certe non sine medio promulgationis et applicationis externae, certe non sine medio potestatis a Deo commissae. Ergo sine medio ***materiae*** socialis externae i. e. actionum vel relationum in vita externa sociali, quae lege humana ulterius determinandae sunt.

Et revera illa opinio rationabiliter cum hic explicatis componi non posse videtur. Nam in ista suppositione affirmantium potestatem ***propriam directam*** Ecclesiae circa actus ***mere*** internos, astruitur aliqua potestas humana — etsi divinitus data — circa conscientiam, quae ex natura sua immediate subiici videtur tantum Deo ipsi et potestati quae ***immediate*** exercetur nomine Dei i. e. potestati vicariae divinae. Praeterea ita negari videtur distinctio clara et necessaria inter obiectum formale iuris mere ecclesiastici et potestatis « propriae » eccl. atque obiectum formale iuris divini et potestatis « vicariae divinae ». Nam quid manet criterium certum distinctionis, si potestas propria Ecclesiae, (quae ei data est tamquam societati perfectae ***visibili***, et quae natura sua circa actiones mixtas atque potius et per se in foro externo explicatur) *aeque* immediate conscientiam et interna attingit ac potestas vicaria divina; quippe quae speciali sensu, proprie et immediate exseratur « nomine Dei » e. g. in absolutione sacramentali? Porro ubi manet (abstrahendo interim a potestate vicaria divina et respectivo « iure » divino, quod non prorsus eodem sensu ius esse potest ac ius humanum, mere ecclesiasticum) distinctio inter obiectum formale iuris canonici et theologiae moralis? Nisi ius mere ecclesiasticum restringatur ad ea, quae proprie et natura sua pertinent ad ordinem societatis ecclesiasticae *externum* seu ad disciplinam ecclesiasticam (non exclusis principiis et fundamentis fidei ac morum) theologia moralis autem agat de iis, quae proprie et natura sua exclusive pertinent ad forum sacramentale scil. ad relationes immediatas internas, quae stricte sunt morales, inter hominem et Deum atque inter homines inter se coram Deo? Quaestio primo aspectu forte sat theoretica tamen saltem pro scientia gravis est, cum accurata distinctio obiecti formalis scientiarum earumque hierarchia sit fundamentum laboris vere scientifici et fructuosi.

Haec interim sufficiant et obiter sint dicta, ne recolatur universa disputatio de potestate Ecclesiae circa actus mere internos. — De controversia num Ecclesia sua potestate propria possit immediate attingere actus mere internos cf. e. g. pro sententia affirmativa: Cappello, Summa Iuris Publici Ecclesiastici Romae 1928 p. 200 ss.; Michiels, Normae Gener. IC. Lublin 1929 I pp. 230 ss.; pro sententia negativa: Vermeersch Theol. Mor. Romae 1933, p. 191; Van Hove De Legibus Eccl. Romae 1930, pp. 175. ss.

mediate; et quidem ex potestate vicaria divina et nomine Dei per medium commissionis a Deo factae et applicationis externae; ex potestate autem propria *insuper* per medium dumtaxat materiae socialis externae a Deo Ecclesiae assignatae.

Proinde Ecclesia potestatem habet etiam in vitam internam et conscientiam baptizatorum, scil. quatenus immediate nomine Dei agit, pro foro « Dei », munita potestate vicaria divina. Hanc autem potestatem habere non censetur, nisi in quantum interpretatur; proxime determinat vel applicat ius divinum e. g. in definitione infallibili, dispensatione a votis, absolutione sacramentali. Potestatem legislativam in hac materia seu potestatem legis divinae condendae Ecclesia evidenter non habet, sed tantum interpretandae, administrandae, sive iudicialiter, sive non.

Quibus praemissis nunc melius forte perspicitur sensus et momentum illarum 2 praesumptionum. Ex una parte pro iure humano et pro lege humana adest necessitas curandi de internis saltem negative et indirecte; ex altera parte adest impossibilitas aliter curandi ac mediate et indirecte per vitae socialis externae ordinationem.

Ergo maximi momenti est ille *nexus* inter elementa externa vitae iuridicae et elementa interna vitae stricte et praecisive moralis. Qui nexus a Statu attendatur oportet in genere dumtaxat, scil. ne aliquid praecipiat contra ius divinum et leges morales, atque ut provideat libertati religionis christianae verae. Non vero in specie ad id obligatur, quia nulla gaudet potestate immediata circa interna et conscientiam. Propterea in lege aliqua Status vix vel numquam invenitur explicita praesumptio iuris de nexu utriusque fori.

Aliter in Ecclesia : Quae potitur duplici potestate, tum propria de externis (mixtis), tum vicaria divina de internis. Imo cura animarum et vitae internae moralis ei praecipue incumbit. Propterea etiam eius maxime interest, curare in iure *positive et directe de conformitate inter elementa externa et interna* vitae iuridicae, inter usum potestatis propriae et vicariae divinae,

inter administrationem iuris mere ecclesiastici et illam iuris divini (1).

Atque haec videtur esse ratio, cur iam pro foro externo hanc conformitatem in tuto collocet, quantum fieri potest; unicum autem medium sunt praesumptiones. Nam de hoc nexu in concreto non raro deest certitudo; e. g. de consensu matrimoniali, de culpa gravi theologica, quae requiritur ad censuram incurrendam. Etsi *saepe* in his casibus conformes sunt externus modus agendi et interna intentio, non tamen necessario concordant; neque raro discrepant, uti monstrant declarationes nullitatis matrimonii a S. R. Rota prolatae. Hinc statuitur et debet convenienter statui in iure canonico aliqua praesumptio iuris de illa connexione et conformitate fori externi et interni. Et materiae, in quibus illa conformitas specialis est momenti atque vice versa discrepantia vergit in speciale detrimentum, sunt potissimum matrimonium et ius poenale. (Similes materiae sunt intentio pro sacramentis requisita, votum publicum cf. c. 586; cfr etiam c. 214). Nullum matrimonium est validum sine consensu interno. Iamvero inter externam manifestationem et internum consensum non habetur nexus et conformitas necessaria et semper certa. Ergo recurri debet ad praesumptionem.

---

(1) Cur autem (ut aliqui auctores volunt) ex intima coniunctione et unione fori externi et interni in Ecclesia derivari debeat huius potestas immediata propria iuridica etiam circa mere interna, i. e. circa obiectum proprium potestatis vicariae divinae, nulla apparet ratio solida. Affirmandum quidem omnino est, quod ordo supernaturalis sicut omnes partes vitae humanae sanat, purificat, elevat, perficit iisque indolem omnino novam et specialem scil. spiritualem, sanctam, supernaturalem imprimit, ita hoc etiam praestat ordini iuridico. Attamen gratia perficit naturam, non destruit; proinde modus agendi humanus, distinctiones et functiones variae virium humanarum, in vita sociali quoque, substantialiter a gratia servantur, in quantum cum ordine supernaturali componi possunt. Ergo etiam clara distinctio (non separatio) servanda est inter potestatem Ecclesiae propriam eiusque vicariam divinam, atque inter utriusque obiectum proprium et proportionatum. Porro intima unio et coniunctio duorum nulla est ratio confundendi ambo; nam in unione quae, omissa personarum divinarum inter se, summa et intima est, scil. in unione hypostatica utraque servatur distinctio et unio, absque ulla separatione vel confusione.

Similiter nulla poena inferri potest, generatim loquendo, nisi propter culpam veram theologicam; imprimis non poenae graves latae sententiae. (Abstrahimus a disputatione de culpa mere iuridica in iure poenali eccl.). De culpa autem theologica non potest constare in foro externo, nisi ex indiciis certis externis delicti commissi. Iamvero de hoc nexu in delicto concreto individuali generalis regula dari non potest, nisi hypothetica, admittens possibilitatem et probationem contrarii; haec est pr. Exinde apparet momentum illarum duarum praesumptionum cc. 1086 et 2200. Si eruimus principium, quod in istis dupliciter applicatur, scil. quod in vita iuridica sociali hominum generatim interna externis correspondent, et quod veritas fori interni seu conscientiae simpliciter praevalet (etsi secundum quid postponitur); iam possumus concludere, quod hoc fundamento innititur universa vita iuridica, praesertim in Ecclesia. (De modo quo praevaleat veritas pro foro interno v. infra VII). Utique, Ecclesia his praesumptionibus non potest evitare conflictus inter utrumque forum, (1) sed eo quod statuit explicite illas praesumptiones, vult creare clarum fundamentum iuridicum ulterioris disputationis.

Quodsi media fori externi ad solvendum huiusmodi conflictum incassum exhausta sint, (e. g. nullitas matrimonii, de qua in foro interno certo constat, pro foro externo nullo modo probari potest cf. infra p. 39* ss.) tandem aliquando remanet in Ecclesia recursus ad illum, in quo plenitudo potestatis propriae et vicariae divinae coniungitur, ad Romanum Pontificem. Qui ex informata conscientia, cum sit dominus absolutus omnis iuris mere ecclesiastici, huius defectus omnes supplere potest etiam pro foro externo, si ad bonum commune et salutem animarum id expedire censet.

---

(1) De hoc conflictu cf. e. g. Maroto *l. c.* I p. 225; Van Hove *l. c.* pp. 343 s.; Reiffenstuel *l. c.* 1, 2, 7, 166-175.

VI. — Leges fundatae in praesumptione

1) *Terminologia. Relatio inter legem et praesumptionem varia.*

Si *lex* in c. 1015 § 2 ex cohabitatione coniugum praesumit consummationem matrimonii, etiam *legislator* potest dici hoc praesumere scil. antecedenter ad legem et expresse in ipsa lege. At illa praesumptio legislatoris non est proprie vel sola motivum istius legis praesumentis; motivum est potius difficultas probandi consummationem, necessitas huius probationis et favor iuris erga matrimonium. Si lex aliqua dicitur « fundata » in praesumptione, ut ita designetur pr. ut motivum legis, tunc leges formaliter praesumentes non possunt simpliciter appellari « fundatae in praesumptione ». Sunt autem aliae, tales simpliciter. Et auctores generatim allegant « leges fundatas in praesumptione periculi universalis ». Earum ambitus in CJC. videtur esse sat magnus; catalogum non inveni; exempla communiter allata sunt fere haec: Cc. 137 prohibitio fideiussionis pro clericis; 573 aetas requisita ad professionem religiosam; 975 aetas requisita ad ordinationem; 1020, 1022 investigationes et proclamationes ante celebrationem matrimonii; 1060 prohibitio matrimonii mixti; 1396, 1398 prohibitio librorum; Van Hove De Legibus Eccl. p. 342 adnumerat omnes « in genere leges irritantes et inhabilitantes ». Nonne huc pertinent etiam omnes fere cc. de obligationibus clericorum negativis 137-144; porro e. g. c. 133 de praesidiis castitatis; omnes cc. in CJC. qui agunt de inquisitionibus, scrutiniis et impedimentis removendis ante susceptionem muneris gravis vel status ecclesiastici, matrimonii; praeterea cc. de clausura servanda; c. 807 de obligatione cc. 518, 891 accurata distinctio fori interni et externi; 1374 frequentatio scholarum acatholicarum etc.?

Primo nunc videtur curandum esse de concordia inter varios modos loquendi auctorum circa legem fundatam in praesumptione seu *de relatione praesumptionis ad legem*. Resumitur ita quaestio supra, p. 12* s. iam inchoata, sub alio et ampliore aspectu. Audiamus primo aliqua exempla de modo loquendi auctorum:

Reiffenstuel Ius Canonicum Universum I, 2, 7, 162: « Lex in praesumptione fundata dicitur ea, quae, cum ipsa rerum veritas ob defectum probationum semper in iudiciis cognosci non possit, ex... argumentis, atque indiciis, quidpiam praesumit seu factum esse censet ». Lex praesumens simul dicitur fundata in praesumptione, quod potest recte intelligi; cf. supra 12*, 29*.

Noldin l. c. I, p. 170: « Quaevis lex, quae in praesumptione fundari dicitur, praesumit seu supponit aut periculum aliquod universale aut factum aliquod particulare. Ideo duplex distinguitur lex in praesumptione fundata: lex, quae fundatur in pr. communis periculi, et lex, quae fundatur in pr. facti particularis ». Primo: particulae adhibitae aut-aut et contextus insinuat, distinctionem illam esse completam, saltem sub respectu obiecti praesumpti; de hac re postea VI, 3. Dein: in hoc contextu de se exspectatur vocem « fundari » in utroque casu idem significare vel saltem valde simile quid; nam haec est generatim functio eiusdem vocis in eodem contextu. Attamen legens attente statim animadvertet significationem omnino diversam. De hac re nunc quaeritur.

Maroto l. c. I pp. 224 s. « Pr. ex obiecto, circa quod versatur, alia appellatur pr. periculi communis, alia pr. facti particularis. » Et quod hic dicitur « obiectum », idem appellatur in fine eiusdem paginae « fundamentum »: « Regulae iuris, quae pro obligatione legis fundatae in praesumptione periculi communis vel facti particularis vigent ». Suntne obiectum praesump-

tionis et fundamentum legis simpliciter idem in huiusmodi casibus ?

Michiels, Normae generales I. C. I. p. 339 « Omnis lex necessario fertur *propter factum* quoddam, quod praecise a legislatore ordinari intenditur: quo facto deficiente, eo ipso evidenter deficit ipsius legis *ratio seu fundamentum,* ideoque et legis obligatio ».

Fundamentum legis hic intelligitur, nisi fallor, obiectum remotum legis, scil. casus concreti a lege comprehensi, seu facta, actus, relationes vitae socialis externae, quae a lege ordinantur. Quae autem a ratione legis seu motivo probe sunt distinguendae ! (1).

Van Hove l. c. pp. 341 ss. etiam loquitur de lege fundata in praesumptione facti particularis et periculi universalis. Quamvis bene notat differentiam specificam utriusque « fundationis » (ibidem), tamen servat terminologiam vix non ambiguam. N. B. ! In c. 1826 fundamentum praesumptionis dicitur illud factum certum et determinatum, ex quo ad aliud, de quo praesumptio est, concluditur. Cf. c. 1825. E. g. ex celebratione matrimonii concluditur ad consensum internum.

Ex dictis iam apparet functionem praesumptionis seu eius relationem ad legem esse sat diversam, et

---

(1) E. g. si applicamus illam regulam citatam ad c. 1248 « Festis de praecepto diebus Missa audienda est ». Quid est factum, in quo haec lex « fundatur » ? Festum de praecepto et Missa, iuxta auctorem. Quando haec non adsunt e. g. die feriali, vel si de abstinentia, non de Missa agitur, « ratio seu fundamentum » legis eiusque obligatio evidenter deficiunt. Potestne hic esse sensus auctoris ? Auctor prosequitur l. c. « Sunt tamen casus, in quibus factum a lege revera exsistere praesumitur et ut revera existens ordinatur, quin de reali facti veritate seu existentia in casu concreto curetur ». Et haec est pr. iuris. — At factum quod a lege praesumitur, et factum in quo fundatur pr. (cf. c. 1826) non sunt idem ! Ex cohabitatione (factum in quo fundatur pr.) praesumitur consummatio matrimonii (factum a lege intentum, ordinatum, quod a lege praesumitur). Quod factum ultimum scil. consummatio matrimonii inepte dicitur « ratio seu fundamentum legis ». Porro vix potest dici cum auctore, factum consummationis « a lege ut revera existens ordinari, quin de reali veritate seu existentia in casu concreto curetur ». Nam primo de veritate curatur ex nexu *ordinario* inter cohabitationem et consummationem ; dein eo, quod admittitur probatio contraria. Nam secus adesset fictio iuris, in qua de « veritate » non curatur, non autem praesumptio iuris.

« legem fundatam in praesumptione » sat diversa significare. In praesumptione iuris seu legis, praesumptio est obiectum strictum et proximum legis, simili modo ac praecipere, prohibere, permittere, punire, lex ipsa formaliter exprimit praesumptionem circa aliquam materiam specialem e. g. c. 1086 praesumit consensum internum conformem esse externae celebrationi matrimonii.

Minus apte videtur talis pr. facti appellari fundamentum legis, cum sit eius obiectum imo eius effectus formalis: Lex *est* praesumptio. Lex praesumens consensum internum matrimonialem aegre simul in hac eadem praesumptione fundari dici potest.

E contra periculum universale, de quibus c. 21, non a lege praesumitur, uti vult Cicognani l. c. II p. 139: « Ex obiecto dicitur pr. periculi communis, quando lex praesumit in certis adiunctis communiter existere periculum peccati vel fraudis..» :

Nam nulla invenitur lex « fundata in pr. periculi comm. », in quo *illa pr. exprimatur.* Praesumptio hic potius est legislatoris, est motivum legis. (Cf. Van Hove l. c. p. 342). Huiusmodi autem lex bene et apte dicitur *fundari* in praesumptione periculi universalis, cum eius fundamentum non expressum, quasi non visibile, sit pr. legislatoris.

Si Michiels l. c. dicit omnes leges « fundari » in facto a legislatore « intento », ita nihil aliud significari videtur, nisi quod omnes leges spectant facta vitae socialis ordinanda. Sed vix hoc iuvare potest ad explicandam locutionem legis fundatae in praesumptione. Nam casus seu facta a lege *intenta* sunt praesumptiones solummodo, si lex aliqua directe fertur *de* praesumptionibus, si agit de praesumptionibus in concreto applicandis, uti fit in cc. 1825 ss. Ibi imprimis respicitur actio concreta iudicis in applicatione legis praesumentis et in praesumptione hominis. In hoc ultimo solo

casu pr. proprie est obiectum remotum seu materia specialis legis, est factum concretum circa quod versatur legis praeceptum; in hoc casu rectius diceretur praesumptionem scil. hominis fundari in lege, quam legem fundari in praesumptione. Nam sensu valde improprio facta vitae socialis futura a lege intenta dici possunt fundamenta legis. Fundamentum debet legem praecedere; lex ipsa autem respicit futura c. 10.

Ergo relatio praesumptionis ad legem potest esse triplex: Aut lex aliqua disponit circa praesumptiones et tunc pr. est obiectum legis remotum (huc pertinet factum, quod est fundamentum praesumptionis cf. cc. 1826, 1828); aut lex exprimit praesumptionem, lex praesumit, et tunc pr. est obiectum proximum et strictum legis seu etiam effectus; aut lex fertur propter aliquam praesumptionem legislatoris, et tunc pr. est motivum legis.

Proinde functio fundamenti relate ad legem videtur proprie verificari solum in praesumptione legislatoris, sive periculi universalis, sive alius rei forte. Quae melius dicitur pr. legislatoris *tantum* (in lege non expressa), ut distinguatur a praesumptione iuris, quae *etiam* (secundum quid) legislatoris dici potest, uti antea explicatum est. Assertio nostra, quod aliqua lex proprie fundata est in praesumptione, si haec legis motivum est et, similiter ac fundamentum materialis domus invisibile manet, in ipsa lege non exprimitur, saltem negative confirmatur verbis c. 21, qui *non loquitur* de illa pr. legislatoris.

Nonne claritati melius consulitur, si relatio omnino diversa praesumptionis ad legem scil. motivi aut obiecti proximi (effectus) aut obiecti remoti non eodem nomine scil. « fundamenti » seu obiecti significatur, sed diverso et proprio? (1)

(1) Aliter ac *tunc* putabat Suarez (De leg. 3, 23, 10) de distinctione inter legem praesumentem et legem fundatam in pr. peric. univers. *nunc* certa regula assignari potest.

2) *De legibus latis in praesumptione periculi universalis.*

In c. 21 agi revera de legibus fundatis in praesumptione periculi universalis constare videtur ex doctrina communi. Quo iure hic est sermo de praesumptione? Nonne pericula in illis supposita sunt certa e. g. perversionis per lectionem librorum pravorum, per coniugem acatholicum in matrimonio mixto, adeo ut praesumptioni i. e. coniecturae probabili non iam sit locus?

Distinguendum est inter periculum universale certum, quod fundatur in fragilitate humanae naturae lapsae et in inclinatione ad malum, atque periculum non certum et non absolute universale, sed rationabiliter et vere « praesumptum » dumtaxat. Cf. e. g. cc. 1060 et 1405 § 1, ubi clare distinctio utriusque periculi et respectivae prohibitionis scil. absolutae vel condicionatae apparet.

Primum periculum certum et absolute universale correspondet in exemplis allatis prohibitioni iuris divini ob periculum proximum fidei vel morum; de hoc periculo nulla praesumptio, contra hoc periculum nulla probatio contraria admittitur; ab hac prohibitione nulla datur dispensatio. (Cf. S. Th. 1-2, 97, 4 ad 3).

Alterum periculum fundatur in primo, revera non est universaliter certum pro omnibus et singulis casibus sine exceptione, sed ex communiter contingentibus recte praesumitur a legislatore humano; ideo etiam admittitur *quaedam* probatio contraria, conformis indoli speciali huius praesumptionis: Non *directa* contra legem fundatam in pr. i. e. in casu speciali periculum e. g. ex matrimonio mixto non adesse; neque probatio *indirecta* contra fundamentum illius legis seu contra praesumptionem legislatoris tantum, e. g. matrimonia mixta non esse periculosa, libros pravos legi posse generatim sine detrimento fidei vel morum.

Sed admittitur solummodo quaedam probatio contraria qualificata scil. quod in casu particulari et concreto ex observatione legis maius malum sequeretur quam e non observatione e. g. si catholicus instruens acatholicum de vera fide nollet legere librum prohibitum, quod ei praebet acatholicus, petens explicationem et refutationem erroris. Et tunc fit exemptio a lege per dispensationem vel epikiam.

Praesumptio periculi universalis in hisce casibus praesupponitur legi latae, in qua proprie non exprimitur, sed ex cuius fine, circumstantiis, obiecto erui potest, tamquam in mente legislatoris existens. Eius consideratio pertinet igitur ad legis interpretationem et modum applicandi in casibus specialibus. Praecise quia talis praesumptio est motivum legis, quod extra legem ipsam in mente legislatoris est positum, potest tantum elidi probatione contraria illa, quae etiam ultra legem provocat ad mentem legislatoris i. e. per epikiam, aut etiam provocat ad novum actum legislatoris i. e. dispensationem (1).

3) *Aliae leges fundatae in praesumptionibus,* (non periculi universalis). Quando sermo fit de legibus latis ad praecavendum periculum universale, sponte oritur quaestio, an etiam quaedam leges fundentur in praesumptione *alia* legislatoris, ubi non agitur de periculo universali, et qualis sit diversitas.

Certe sunt etiam leges fundatae in aliis praesumptionibus e. g. exemptio infantium a legibus mere ecclesiasticis iuxta c. 12 videtur fundari seu motivum sumere ex praesumptione c. 88 § 2 de defectu usus rationis in infantibus et ex praesumptione generali imbecillitatis infantium ad portanda onera legis eccl.

(1) Cf. VERMEERSCH, *Theol. Mor.* Roma 1933 I p. 167 « Tali lege iudicium periculi subditis subtrahitur ». Etiamsi non simpliciter et absolute, tamen generatim ita est.

C. 48 § 2 iuxta Vermeersch-Creusen Epitome IC Romae 1933 I p. 148 fundatur in praesumptione, quod rescribens, dum conficit rescriptum posterius, sine ulla expressa mentione prioris de eadem re dati, oblitus sit prioris. Nonne cc. 92 s. de domicilio voluntario et necessario, quando de « animo manendi » non constat, fundantur in praesumptione intentionis conformis? Iuxta doctrinam canonistarum legislator universalis R. P. praesumitur in legislatione universali prae oculis habere omnes leges universales, non vero particulares, praesertim praeter ius (1). In hac praesumptione fundantur e. g. cc. 6, 22, 30 hoc sensu, quod leges et consuetudines particulares, saltem praeter ius absque speciali mentione a lege superveniente generali non tanguntur. Deinde aliquo modo ad rem nostram faciunt etiam praesumptiones generales, quae inveniuntur inter regulas iuris in Sexto vel alibi e. g. Reg. iuris 8. « Semel malus, semper praesumitur malus » (in eodem scil. delicto); 43. « Qui tacet consentire videtur »; 44. « Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur ». Cf. Vidal - Wernz l. c. VI n. 517 (6) « Praesumptionibus istis specialibus in iure expressis (iuris) opponuntur praesumptiones generales iuris, quae continentur regulis quibusdam iuris generalibus, velut: Nemo malus, nisi probetur (Cf. S. Th. 2-2, 60, 4); qui tacet, consentire videtur ». Matth. Conte l. c. III, p. 262 « Omne factum praesumitur recte factum ».

In omnibus fere huiusmodi regulis iuris aliquam praesumptionem generalem latere, etiamsi non exprimitur, iam ex eo erui potest, quod hae regulae quandoque « fallunt » i. e. habent suas exceptiones (2). Ex hoc sequitur illas regulas non absolute universa-

(1) Cf. c. 1 in 6°, 1, 2 « Licet Romanus Pontifex (qui iure omnia in scrinio pectoris sui censetur habere... »

(2) Cf. Vermeersch - Creusen, *Epitome IC.* Romae 1933 p. 120 s.

liter vigere, sed condicionate, nisi scil. exceptio probetur. Ex exemplis allatis et ex natura praesumptionis legislatoris, in qua lex dicitur fundari, videtur inferri posse generale principium hoc:

Omnes leges mere humanae fundantur quodammodo in praesumptione aliqua legislatoris. Nam de his, quae sunt fundamenta immutabilia vitae humanae, absolute certa et universalia, iam providit ius divinum sive naturale sive positivum, quia absolutae certitudini in ordine veri videtur correspondere dispositio iuris divini in ordine boni. Legislator autem humanus, etiam ecclesiasticus debet sua lege directe ordinare vitam externam socialem hominum, ut compleat et amplius determinet (sensu lato!) ius divinum iuxta elementa *mutabilia* vitae socialis i. e. iuxta varias temporum, locorum, hominum indigentias, motiones, vires speciales (1).

Iamvero de his generatim et ordinarie constare non potest nisi praesumptionibus, quae saepe quidem accedunt proxime ad veritatem et certitudinem (e. g. pr. periculi communis in lectione librorum pravorum et in matrimonio mixto), sed semper aliquo saltem modo etiam in casu concreto probationem contrariam admittunt et exceptionem (sive per dispensationem, sive per excusationem vel epikiam) (2).

---

(1) Cf. S. Th. 1-2, 95, 2 et 3.

(2) Haec indoles omnis legis humanae bene explicatur S. Th. 1-2, 91, 3 in 3. difficultate et solutione: « Mensura debet esse certissima... sed dictamen humanae rationis de rebus gerendis (i. e. lex) est incertum... dicendum, quod ratio practica est circa operabilia, quae sunt singularia et contingentia, non autem circa necessaria, sicut ratio speculativa; et ideo leges humanae non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstrativae scientiarum: nec oportet quod omnis mensura sit omnino infallibilis, et certa, sed secundum quod est possibile in genere suo ». Et similiter Aquinas argumentatur 1-2, 96, 1 ad 3 « Non est eadem certitudo quaerenda in omnibus...: unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, et res humanae, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus ». Haec autem praecise est natura et indoles praesumptionum generalium in iure et legum in iis fundatarum.

Sic totus ordo iuris mere humani proxime quodammodo fundari videtur in praesumptionibus legislatoris. Nunc apparet, cur initio dictum sit praesumptionem in hac materia non tam pertinere directe ad materiam legis latae, sed potius ad artem politicam iuris i. e. ad artem legis ferendae, regulatam a iustitia legali, quae est in legislatore architectonice, in subditis administrative (1).

4) *Efficacia praesumptionum legislatoris iuxta c. 21.*

Vis autem praesumptionum legislatoris tantum ex hoc elucet, quod fundant legem incondicionatam e. g. impedimenta matrimonii dirimentia iuris ecclesiastici; talis lex de se semper servanda est, sive praesumptio verificetur, sive non.

In c. 21 de legibus latis ad praecavendum periculum universale specialis dispositio fertur, specialem earum firmitatem asserens. Cur ita et quale est generale earum criterium?

In iis generatim agi videtur proxime de tuenda lege divina eaque sancienda, sive naturali e. g. in prohibitione librorum, sive positiva quoque e. g. in ordinando matrimonio mixto, ubi praesertim fides servanda respicitur; et quidem agitur de lege divina prohibente, quae exemptiones et excusationes non patitur. Consequenter etiam in lege humana circa illam materiam specialis severitas adhibetur, ita ut exemptio non admittatur, nisi per dispensationem aut per epikiam, quando finis legis contrarie cessat.

Valetne c. 21 simili modo etiam de legibus in praesumptione alia, non periculi communis fundatae? Apud auctores responsum fere desideratur; non quidem eo sensu, quod omnes leges *etiam* fundatae in praesumptione periculi universalis iuxta fere communem sententiam cessant, si finis legis cessat contrarie. Sed

(1) S. Th. 2-2, 58, 6.

nunc quaeritur, cur leges fundatae in pr. periculi universalis in c. 21 distinguantur ab aliis legibus, in alia pr. fundatis. Nonne eo quod in aliis legibus saltem probabiliter applicari potest benigna sententia S. Alphonsi, scil. quod lex cessante fine negative et adaequate, ita ut inutilitas sit manifesta et absit scandalum, in casu particulari quoque cessat.

Quod praecise pro legibus latis ad praecavendum periculum universale in c. 21 excluditur (1).

VII. — Usus praesumptionis in foro interno

1) *Obligatio legis fundatae in pr. vel legis praesumentis in foro interno.*

Distinguendum est pro foro interno inter usum et effectum praesumptionum, quae pertinent de se ad forum externum, et praesumptionum, quae proprie et directe spectant forum internum, quae distinctio saepe saltem explicite non attenditur ab auctoribus.

Quod ad primam speciem attinet, etiam canonistae agunt communiter (uti p. 4* dictum est) de obli-

---

(1) Cf. VERMEERSCH-CREUSEN *Epitome IC.* I p. 123. - Non potest quidem considerari c. 21 ut exceptio, quae firmat in contrarium regulam interpretationis quod obligatio *omnium* legum cessat, si finis legis cessat contrarie. In hoc casu etiam leges latae ad praecavendum periculum universale non obligant. Cf. CHELODI *Ius de personis* Tridenti 1927 p. 122; VAN HOVE l. c. p. 344; Michiels l. c. I p. 347. At c. 21 videtur esse exceptio firmans in contrarium hanc regulam, quod in *aliis* legibus fundatis in alia praesumptione admitti potest excusatio in casu particulari, si ratio, motivum legis, praesumptio legislatoris non verificatur. — MATH. CONTE l. c. I p. 19 nota 4 sic dicit: « Auctores generatim hunc casum (c. 21) interpretantur de lege lata in praesumptione periculi communis, non determinantes utrum pr. ista sit iuris simpliciter an iuris et de iure. (Revera neque unum neque alterum est!) Nobis tamen hic casus appellandus non videtur casus legis periculum praesumentis, sed cum Codice, casus legis ad periculum generale praecavendum latae; natura enim praesumptionis est, ut ipsa, sive iuris, sive iuris et de iure est, semper veritati cedat, saltem in foro interno; at lex lata ad praecavendum periculum generale seu commune numquam cessat, etsi in casu particulari nullum periculum adest ». Recte affirmatur, hic non agi de lege praesumente; nam agitur de praesumptione legislatoris. At sensu quodam analogo etiam hic probatio contraria admittitur, etiam contra legem latam ad praecavendum periculum universale, uti explicatum est.

gatione pro foro interno, sive legis fundatae in praesumptione (periculi communis) sive legis praesumentis.

Lex fundata in praesumptione periculi universalis vel in alia, inquantum simpliciter aliquid praecipit vel prohibet, obligat sicut aliae leges ecclesiasticae in conscientia. Specialis eius indoles, repetita ex fundamento scil. ex praesumptione legislatoris, tunc tantum apparet, si haec in casu particulari non verificatur seu aliis verbis, si agitur de excusatione vel dispensatione, sive pro foro interno, sive externo. De hac re supra actum est. De effectu diverso talis legis pro foro externo et interno praecise propter praesumptionem vix quaeritur.

Sed magis vertitur quaestio, quomodo lex praesumens influat in obligationem fori interni. Quoad hanc obligationem moralistae et canonistae communiter sic fere docent (1):

Lex praesumens obligat in conscientia, uti patet, si pr. etiam pro foro conscientiae verificatur in casu concreto e. g. consensus internus matrimonialis revera correspondet externae celebrationi matrimonii (c. 1086).

Quando autem hoc non obtinet, lex praesumens pro foro *interno* non obligat; e. g. coniuges apparentes in conscientia non debent neque possunt sese invicem considerare ut coniuges, neque in omnibus vivere ut tales.

Lex praesumens, cuius pr. in casu concreto non verificatur, neque pro foro *externo* obligat, quatenus absque scandalo non-observari seu violari potest. Ratio scandali et periculi communis e. g. prohibet coniuges apparentes, quominus novum matrimonium ineant, antequam nullitas prioris ab auctoritate ecclesiastica legitime declarata fuerit.

---

(1) Cf. citationes initio articuli positas; praesertim Suarez De legibus 3, 23; Riffenstuel l. c. I, 2, 7, 166-175; Van Hove, l. c. p. 342 s.

In hoc igitur casu scandali tenentur subditi *in* conscientia, sese conformare legi praesumenti *pro* foro externo, quoadusque etiam pro foro externo praesumptio iuris probatione contraria elidatur. At haec obligatio legis praesumentis pro foro externo tunc tantum asseri potest, si ex observatione legis non oriatur peccatum. Hoc loco traditur, inde a temporibus Decreti Gratiani saltem, exemplum de conflictu orto inter forum externum et internum ex praesumptione iuris (1):

Matrimonii cuiusdam ex defectu consensus vel alio vitio substantiali certa invaliditas in foro externo probari nequit. Tunc coniuges non possunt licite sese conformare praesumptioni fori externi atque uti matrimonio certe invalido, etiamsi obligationes ex matrimonio ortae in foro externo poenis ecclesiasticis urgeantur.

Hoc sensu praevalet veritas fori interni praesumptionibus fori externi.

2) *Quaestio canonica aut theologica?*

Remanet quaestio posita, utrum obligatio interna legis fundatae in pr. et legis praesumentis obiectum sit iuris canonici an theologiae moralis. Cf. Vermeersch-Creusen Epitome I. C. I (1933) p. 20 « Optandum ut in scientifica rerum expositione rite inter se distinguantur » scil. ius can. et theol. moral. Ubi agitur proxime de obligatione conscientiae ex lege praesumente, verti videtur directe quaestio theologiae moralis, non iuris canonici. Nam obligatio legis ecclesiasticae in conscientia coram Deo vigens ita ut violatio legis sit peccatum grave poena aeterna puniendum, proprie non est obiectum scientiae illius, quae actus exteriores seu « mixtos » spectat sub respectu fori externi, seu qua-

(1) Cf. Thaner. *Die Summa Magistri Rolandi* Innsbruck 1874 pp. 291, 297 Suarez. *De legibus* Lugduni 1619 3, 23, 2.

tenus cum legibus societatis visibilis congruant vel ab iis discrepent (1).

In iure canonico proprie et directe non agitur de obligatione legis ecclesiaticae, nisi pro foro Ecclesiae, quatenus coram Ecclesia tamquam societate perfecta visibili implenda est, et a potestate propria Ecclesiae sancita est poenis canonicis. (Cf. ad sequentia supra digressionem de relatione inter forum externum et internum). Verum quidem est omnem legem vere iuridicam tandem aliquando obligare etiam in conscientia et coram Deo, sive ad impletionem directam, sive ad poenam subeundam, in casu transgressionis legis mere poenalis.

Verum est, generatim omnem legem ecclesiasticam ex seipsa obligare ad rem praestandam, quae praecipitur (praeter paucissimas leges mere poenales). Sed etiam verum esse videtur omnem legem mere humanam proxime et proprie quodammodo ligare subditos etiam coram ipsa societate perfecta visibili, inducere primo et per se vinculum iuridicum coram lege, « debitum legale » sanctionibus humanis (temporalibus vel spiritualibus) muniendum.

Et mediate tantum lex mere ecclesiastica videtur obligationem imponere coram Deo et in conscientia « debitum morale » (2). Mediate non hoc sensu, ac si praeter legem latam requireretur novus actus (auctoritatis vel subiecti), quo obligatio in conscientia fiat concreta in subiecto, velut sententia iudicis vel delic-

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *Theol. Mor.* Romae 1933 p. 11.

(2) Cf. distinctionem inter legem iuridicam et mere moralem apud MATTH. CONTE *Ius Publ. Eccl.* Taurini 1924 p. 2. Correspondenter videtur distinguendum etiam inter *effectum* proprium, proportionatum et proximum utriusque legis, inter « Rechtspflicht » et « sittliche Pflicht ». Videtur etiam hoc sensu intelligi debere S. Th. 2-2, 80 « A ratione.. debiti iustitiae defectus potest attendi, secundum quod est duplex debitum, scil.: morale et legale;... debitum quidem legale est, ad quod reddendum aliquis lege astringitur; et tale debitum proprie attendit iustitia, quae est principalis virtus: debitum autem morale est, quod aliquis debet ex honestate virtutis ».

tum cum reatu culpae. Mediate autem hoc sensu, quod Ecclesia sua potestate propria tunc tantum et tunc semper inducit obligationem in conscientia, si ea utitur circa obiectum proprium i. e. vitam externam socialem baptizatorum ordinandam. (Cf. supra pp. 23* ss.)

Ergo quaestio de obligatione legis fundatae in pr. et legis praesumentis quoad obligationem conscientiae videtur proprie et directe pertinere ad solam theologiam moralem. Utique obligatio moralis tamquam fundamentum et finis iuris et legis convenienter etiam consideratur in doctrina de principiis iuris canonici.

3) *De usu praesumptionis in foro interno.*

Si diceretur absolute et sine distinctione: In foro interno praesumptiones (facti) non valent, sed tantum veritas rei, hoc evidenter falsum esset. Cum enim monstraverimus praesumptionem esse medium quoddam *generale* humanae cognitionis, in *omni* vitae genere applicandum, ubi agitur de modo perveniendi a suspicione per probabilitatem ad certitudinem saltem moralem, consequenter adhibenda erit quoque in foro interno. Nam etiam in foro « Dei » ex institutione Christi agendum est modo humano de multis, quae sunt occulta, interna etiam relate ad forum « internum », futura, de quibus deest certitudo requisita, sed solummodo habentur indicia et regulae generales ex communiter contingentibus desumptae. His autem duobus innititur praesumptio. Quomodo autem cum hac assertione componitur illud communiter traditum in iure, quod praesumptiones in foro interno cedunt veritati ? (1).

Intelleguntur praesumptiones illae, quae statuuntur pro foro externo, praesumptiones iuris. Hae in foro interno non valent, sed cedunt veritati (cf. supra p. 40* s.) e. g. praesumptiones de consummatione matrimonii, de

(1) Cf. e. g. Vermeersch, *Theol. Mor.* 1. p. 168.

paternitate, de consensu interno matrimoniali, de dolo in delicto patrato. Uti ex exemplis allatis apparet, illae praesumptiones etiam ob hanc rationem a lege statutae sunt, quia difficulter veritas naturaliter occulta in foro externo probatur. Pro foro autem interno nulla specialis adest difficultas, veritatem inveniendi. Cui enim « veritati » cedunt praesumptiones fori externi ? Veritati, prout manifestatur, affirmatur e. g. a poenitente in foro sacramentali ! Quomodo autem affirmatio partis e. g. delinquentis censurati potest esse argumentum veritatis ? Ob regulam fundamentalem et generalem pro probationibus in foro interno : Poenitenti credendum est, tum pro se tum contra se loquenti (1).

Haec autem regula nititur in praesumptione, quod poenitens in foro sacramentali verum dicit. Quae praesumptio cohaeret cum indole speciali fori interni, praesertim sacramentalis : Agitur de relatione immediata inter hominem et Deum, qui falli non potest, et coram cuius oculis omnia nuda sunt et aperta ; porro maximo secreto illud forum circumdatur, ita ut ea quae sincere panduntur, de se nullam important diffamationem subiecti in societate externa ; etc. Admittitur etiam probatio contraria quaedam, proportionata indoli fori interni scil. ex indiciis indicatis ab ipso poenitente (e. g. contradictionibus evidentibus) et ex scientia certa confessarii extra confessionem hausta, salvo sigillo.

Aliud motivum generale et validum pro praesumptione veritatis in foro interno adest in eo, quod sincere non agens nihil operatur.

Sed aliis quoque modis praesumptio in foro interno usu venit : Etiamsi poenitens omnia sincere pandat, de quibus ipse certus est, quam facile manent dubia etiam circa facta maximi momenti ! E. g. num

(1) Cf. e. g. Arregui, l. c. n. 618.

consenserit gravibus tentationibus impuris, num peccatum iam accusaverit, quot peccata commiserit etc. Huiusmodi quaestiones solvuntur praesumptionibus vel regulis fundatis in praesumptionibus. E. g. Arregui l. c. n. 620,3 de dispositione poenitentis; n. 621 item de signis, e quibus dispositio poenitentis praesumi possit; n. 103 de elementis peccati gravis confessarius saepe iudicet praesumptionibus etc.

Et in genere circa prorsus interna et occulta etiam relate ad forum internum e. g. statum gratiae vel peccati mortalis saepe praesto sunt solummodo praesumptiones.

4) *Usus praesumptionis in conscientia singulari.*

Ex supra dictis facile infertur, quod etiam abstractione facta ab omni « foro » et processu iuridico in propria conscientia praesumptionem adhibere possumus et debemus, quando coram Deo de intimis iudicare volumus. De omnibus, quae animam nostram spectant, prout est in se, iudicare non possumus, nisi mediate ex factis certis conscientiae et ex veritatibus generalibus philosophiae et fidei: E. g. de valore intimo morali actionum, de merito et demerito, de statu gratiae etc.

In quibus omnibus defectus certitudinis saepe suppleri potest praesumptionibus rationabilibus.

VIII. — **Conclusio**

Egimus praecipue de praesumptione, ut est institutum *iuris* canonici, iuris sensu proprio et primario, quod intelligitur principium obligatorium tum libertatis debitae singulorum membrorum societatis (iura subiectiva!), tum ordinis et unitatis totius societatis (ius obiectivum!) in vita sociali externa hominum.

Ius autem non est tota vita socialis hominum, sed aliqua eius pars seu functio.

1. Opportunum igitur visum est, etiam praesumptionis considerationem non restringere ad solum ius

stricte dictum, disciplinare, sed praesumptionis usum in iure conspicere sub respectu magis generali totius vitae humanae, prout habetur sive infra ordinem iuris, in vita hominum externa et *de facto* communi, sive ultra ambitum iuris, in vita stricte morali et interna animae.

Specialis indoles imprimitur variis speciebus praesumptionis a speciali qualitate generis vitae, in qua adhibetur, et in iure a speciali qualitate generis iuris, in qua applicatur: Iuris ecclesiastici, iuris in foro externo, in foro interno. Explicatius: Variae species praesumptionis distinguuntur ex obiecto, subiecto, modo, ratione, fine, effectu pro genere vitae et iuris in qua usu venit.

Ideo distinguenda: Praesumptio fori externi et interni; et in illo iterum: Hominis, legis, legislatoris.

2. Pr. *hominis* fundatur in certo facto connexo cum re controversa et regulis generalibus probationis, praesertim legibus de praesumptionibus. Fundat i. e. motivum praebet certitudinis requisitae pro sententia vel usu licito potestatis ecclesiasticae; pertinet ad artem legis certae applicandae. Probatio contraria contra pr. iudicis admittitur omnibus modis: sive directa, sive indirecta, sive contra modum praesumptionis. Haec (iudicis) est minus firma in iure.

3. Pr. *legis* seu iuris fundatur in praesumptione legislatoris humani et in necessitate seu opportunitate, ut impugnatio in certis materiis sub favore iuris constitutis difficilis reddatur. Formaliter in ipsa lege exprimitur et inde specialem firmitatem adipiscitur ultra vim naturalem. Fundat ipsa proxime iura et obligationes in subiecto privato, speciatim obligationem impugnantis, in casu controversiae contrarium probandi. Pertinet ad modos legis *latae*, videtur unus ex effectibus specialibus legis praeter τὸ praecipere, prohibere etc. Probatio contraria admittitur directa vel indirecta iuxta c. 1826.

4. Pr. *legislatoris tantum* fundatur in certis principiis philosophiae christianae et theologiae atque in

communiter contingentibus vitae humanae. Fundat ipsa legem, in qua tamen non exprimitur. Praesumptiones huiusmodi videntur esse praesuppositiones omnis legis mere humanae.

Pertinet ad artem legis *ferendae* et rationem legis; proinde attendenda est in interpretatione et applicatione. Etenim cum in lege non exprimatur et extra legem sit, etiam instantia quaedam contraria contra pr. legislatoris admitti potest tantum extra legem e. g. ut motivum dispensationis, ut ratio cessationis finis saltem adaequatae negativae, ut ratio excusationis et epikiae. Imo si agitur de lege fundata in pr. periculi universalis admittitur praeter dispensationem solummodo instantia contraria, quod finis legis in casu particulari cesset contrarie.

De se haec videtur esse pr. firmissima in iure disciplinari.

5. Pr. *in foro interno* fundatur iterum in certis principiis philosophiae et theologiae et in factis allegatis in foro interno e. g. a poenitente. Fundat iudicium iudicis sacramentalis vel Superioris ecclesiatici vel etiam proprium de obligatione coram Deo, de valore interno morali actionum, de statu animae coram Deo. Pertinet ad applicationem iuris divini et ad discretionem spirituum. Admittitur probatio contraria pro modo fori interni valde restricta, e. g. in foro sacramentali ex allegatis ab ipso poenitente et ex certa scientia extra sacramentali confessarii. Proinde videtur esse omnium firmissima et recte quidem; nam in foro sacramentali coram Deo, qui scrutator est cordium, tum facta allegata, tum regulae concludendi speciali firmitate gaudent; atque in genere ibi maxime viget spiritus mutuae fiduciae, ubi tantum plena sinceritas effectum producere potest coram Deo.

HENRICUS KELLER S. J.

De malitia mendacii.

Inter quaestiones, quae usque in hodiernum diem nondum solutae sunt eo modo qui unanimem vel saltem fere unanimem assensum secum ferat atque ad practicam applicationem sufficiat, reponenda est certo quaestio de malitia mendacii.

Agitur praecipue de casibus quibusdam magis intricatis solvendis, utputa, ubi respondendum est persecutori, interroganti de fugitivo innocente, vel aegroto nervoso, qui aliquem tristem nuntium ferre nequeat. Quum omnes concedere debeant aequivocationes, quae per obiectiva adiuncta licitae fieri possunt, non semper sufficere ad servandum in his casibus secretum, plures conati sunt antiquorum doctrinam de malitia mendacii mitigare vel mutando et restringendo classicam definitionem mendacii, quae est: « *locutio contra mentem* », vel negando aut diminuendo illam absolutam et intrinsecam malitiam, quam a tempore S. Ambrosii usque ad saeculum XVII omnes tribuerunt locutioni contra mentem.

Non est, cur in hac brevi *Nota* repetamus illa, quae a R. P. A. Vermeersch et aliis his conanimibus opposita sunt et quare a plerisque reprobentur.

Tota autem quaestio solvi posse videtur distinguendo imprimis duas species mendacii et dein duos praecipue gradus malitiae intrinsecae. Hinc quatuor proponimus theses, quarum prima ambas species mendacii indicet, — dum secunda et tertia unicuique speciei suam assignent malitiae intrinsecae gradum — et quarta denique per modum corollarii — solutionem indicet casuum, initio positorum.

THESIS I. — **Datur duplex mendacium: illud, quo falsum formaliter ut verum affirmatur, illud, quo falsum profertur, quin affirmetur, dum non-affirmatio nullo modo patet.**

Explicatur et probatur simul thesis haec 1) ex ipsis notionibus: Ad verum mendacium duo requiruntur sc. « quod falsum sit » vel putetur « id quod enuntiatur et quod adsit voluntas falsum enuntiandi » : ita II^a II^{ae} q. 110 a. 1. Atqui tum quando falsum formaliter ut verum affirmatur, tum quando falsum profertur, quin affirmetur, dum non affirmatio nullo modo patet, requisita praedicta adsunt. Ergo...

Prob. Mai.: Definitio classica: « *Locutio contra mentem* » haec saltem includit et secus inintellegibilis fit.

Prob. Min.: Pars Prima sc.: « Requisita adsunt affirmatione formali falsi », nam in hac *primo* habetur, quod enuntiatur id, quod falsum est vel quod falsum putatur, et *secundo* adest formalis intentio, illud falsum affirmandi ut verum; est ergo a fortiori intentio seu voluntas, illud falsum enuntiandi seu exprimendi.

Prob. Min.: Pars Secunda sc. « Requisita adsunt in prolatione verborum, quae non affirmantur, dum non-affirmatio non patet », — nam *prius* requisitum eodem modo adest atque in priori specie, — *posterius* vero saltem eo sensu adest, quod falsum illud libera voluntate materialiter enuntiatur seu exprimitur.

Probatur 2) ex hoc, quod qui negaret mendacium adesse in formali affirmatione falsi, toti traditioni contradiceret, quae in hac mendacii essentiam reposuit, — dum qui negat mendacium adesse in prolatione verborum descripta, contradicit sensui communi omnium proborum, qui talem locutionem mendacem habet.

Tandem patet veritas huius thesis 3) ex auctoritate, nam Scholastici tum veteres omnes, tum fere omnes moderni, formalem affirmationem falsi mendacium

dicunt, dum ii, qui de prolatione verborum descripta locuti sunt, uno alterove tantum excepto, idem iudicium tulerunt, saltem in quantum hunc modum loquendi, adhibitum sine ratione sufficiente, improbaverunt, v. g. VALENTIA, de Lugo, citati a p. A. VERMEERSCH in *Dictionnaire Apologétique* in voc., Restrict. Ment. et Mensonge c. 971. sqq.

THESIS II. — **Formaliter affirmare ut verum illud, quod cognoscitur vel putatur falsum, est malum propter se seu absolute intrinsecum.**

Probatur 1) Actus, cuius constitutiva physica. moraliter considerata, malitiam intrinsecan includunt, est malus propter se seu absolute intrinsece. Atqui formaliter affirmare ut verum, quod cognoscitur vel putatur falsum, includit malitiam intrinsecam secundum constitutiva physica, moraliter considerata. Ergo...

Prob. Mai.: Per hoc actus intrinsece mali propter se seu absolute intrinsece mali, distinguuntur ab aliis, intrinsece malis, quod in prioribus malitia iam in ipsa eorum substantia physica, moraliter considerata, adest, v. g. in blasphemia, — dum in posterioribus constitutiva physica, moraliter considerata, abstractione facta ab effectibus quos natura sua producunt, nondum dicunt malitiam, at per illos effectus mali sunt v. g. polygenia per periculum luxuriae, — ablatio rei alienae per laesionem iuris tertii, etc.

Prob. Min.: Contradictio moralis in constitutivis physicis, moraliter consideratis, illa intrinsece mala reddit. Atqui formalis affirmatio falsi in suis constitutivis physicis, moraliter consideratis, includit contradictionem moralem. Ergo...

ad mai. ult.: dividit hominem contra seipsum, quatenus operatur ut homo, -

ad min. ult.: primario fini actus sui contraire in actu illo ipso includit contradictionem moralem; atqui

in formali affirmatione falsi contraitur primario fini ipsius actus affirmationis ; ergo...

ad min. postrem.: finis primarius formalis affirmationis est enuntiatio veri.

2) Errant illi qui absolutam intrinsecam malitiam formalis affirmationis falsi negant, sive ei omnem malitiam intrinsecam abiudicant, sive tantum malitiam intrinsecam minoris gradus, quam absolutam, admittunt; — nam omnes fundant suam doctrinam in suppositione quod mendacium tantum esset malum ob malos effectus sc. laesionis iuris tertii, quae ex mendacio sequeretur; atqui haec suppositio sustineri nequit: etenim malitia primaria mendacii habetur non ex malis effectibus, sed ex contradictione morali constitutivorum; — ergo...

3) Hanc absolutam malitiam mendacii iam docuit ARISTOTELES: *Ethic. ad Nicom.* L. VII c. IX N° 4, et post eum plerique SS. Patres, ut S. AMBROSIUS: L. VI Ep. 37. Ad Chromatium, S. AUGUSTINUS: Contra Mendacium c. VIII, et fere omnes scholastici tum antiqui, tum hodierni.

THESIS III. — **Proferre verba quae non affirmantur, dum qui audit de non-affirmatione nullo modo monetur, est intrinsece malum per se tantum.**

Haec thesis explicanda probatur 1) ex notionibus. Actus intrinsece malus per se tantum, adest, quando actus constitutiva physica, moraliter considerata, non dicunt malitiam intrinsecam, at eorum natura talis est, ut effectus moraliter malos secum ferat, sc. vel periculum moralitatis vel laesionem iuris tertii. Atqui prolatio descripta non dicit malitiam secundum sua constitutiva physica, moraliter considerata, sed natura sua secum fert laesionem iuris tertii. Ergo...

Prob. Mai.: Intrinseca malitia vel est ex constitutivis physicis, moraliter consideratis, vel ex effectibus,

quos illa constitutiva naturaliter pariunt. Atqui prior malitia dicitur, per se et propter se. « Ergo altera recte, per se tantum » dici potest.

Prob. Min. pars. prima: sc. « Non dicit malitiam secundum sua constitutiva physica, moraliter considerata », — nam ex se nihil immorale dicit, quod quis profert verba a veritate aliena, quae non affirmat, dum qui audit id nescit, — atqui haec sunt constitutiva huius actus, — ergo...

ad min. ultim.: non contraitur fini primario verborum, qui est repraesentare res, abstractione facta a quaestione, utrum repraesentatio haec alicui rei in rerum natura convenire sciatur vel putetur necne.

Prob. Min. pars. secunda: sc.: « dicit malitiam per se », — nam prolatio verborum descripta natura sua laesionem iuris tertii secum fert, — atqui actus, qui natura sua laesionem iuris tertii affert, est malus per se, — ergo...

ad mai. ultim.: quisque ius habet, ne in errorem neve in periculum proximum errandi ducatur, secus enim veracitas positive perimeretur.

Indirecte hoc modo idem probatur 2) errant tum ii, qui diminuendo malitiam huius prolationis verborum illam tantum extrinsece malam dicunt, — nam natura sua nata est laedere ut plurimum ius tertii, quod intrinsece i. e. ante omnem legem positivam malum est, — tum ii, qui, exagerando, hanc prolationem verborum absolute intrinsece malam habent, — nam deest malitia constitutivorum physicorum, in quibus sc. non habetur oppositio fini primario.

3) Ita iam docuerunt ii, qui de hoc modo loquendi primi egerunt et fere omnes illum illicitum dixerunt, nisi adsit ratio sufficiens hoc modo procedendi, v. g. VALENTIA, DE LUGO etc. apud p. A. VERMEERSCH l. c.

THESIS IV. — **Fieri potest, ut proferre falsa, quae non affirmantur, dum non-affirmatio non patet, licitum fiat.**

Probatur thesis 1): Actus, qui tantum per se intrinsece mali sunt, possunt fieri liciti. Atqui prolatio verborum descripta est tantum per se intrinsece mala. Ergo...

Prob. Mai.: Actus intrinsece mali possunt fieri liciti, quando eorum malitia potest auferri, quin ipsa substantia actus mutetur. Atqui malitia intrinseca actuum, qui tantum per se intrinsece mali sunt, ab iis auferri potest, quin ipsa substantia actuum mutetur. Ergo...

ad mai. ultim.: vera mutatio requirit, ut substantia remaneat eadem, dum accidens fit aliud, -

ad min. ultim.: actus qui tantum per se intrinsece mali sunt, suam malitiam habent ex effectibus malis, - atqui effectus mali impediri possunt, quin ipsa substantia actus mutetur, - ergo...

ad min. postrem.: effectus mali sunt vel periculum honestatis, vel laesio iuris tertii, - atqui periculum honestatis per gratiam divinam et laesio iuris tertii tum per translationem iuris, tum per cessationem eius auferri seu praeveniri potest.

2) *Probatur thesis* ex hoc, quod qui negare vellet prolationem descriptam, unquam licitam fieri posse, deberet probare, illam absolute seu propter se malam esse. Atqui constat hanc malitiam huic prolationi verborum non inesse. Ergo...

3) Ex auctoritate haec sententia constat, in quantum iam defensa est a VALENTIA, DE LUGO et aliis, enumeratis a p. A. VERMEERSCH, l. c. et ab ipso VERMEERSCH, ib. c. 977.

Difficultas praecipua, quae opponi potest huic doctrinae, haec est, quod prolatio verborum natura sua

est destinata ad communicandum verum et quod consequenter in prolatione verborum, quae sunt falsa, habetur contradictio moralis.

Huic autem obiectioni respondetur, quod adest quidem contradictio fini secundario et extrinseco verborum, at non fini eorum primario et intrinseco. Etenim verbis intrinsecum est repraesentare res et hic est finis eorum primarius, dum communicatio illorum quae sciuntur vel putantur, verbis advenit secundarie et quidem extrinsece sc. ex conventione hominum. Ita et notus ille psychologus experimentalista C. BÜHLER: *Kritische Musterung der neueren Theoriën des Satzes* (Indogerm. Jahrb. VI 1919) et post eum p. I. LINDWORSKY S. I.: Das Problem der Lüge bei Katholischen Ethikern und Moralisten *(Die Lüge in psychologischer, philosophischer... Betrachtung, herausg. von* O. LIPMANN und P. PLAUT 1927) necnon p. E. ELTER S. I.: *Compendium Philosophiae Moralis* p. 132 docuerunt, complentes hoc modo antiquorum doctrinam.

Optandum ergo videtur, ut auctores tum philosophiae moralis tum theologiae moralis in posterum distinguant inter (formalem) locutionem contra mentem, quae nunquam licita fieri potest, et prolationem verborum, non affirmatorum, dum qui audit de non-affirmatione non monetur, quod licitum fieri potest sicut actus ex se solo indifferens cum duplici effectu: bono et malo.

J. J. VAN RIJCKEVORSEL S. I.

Djocjakarta (Java)

VARII CASUS

I. - **Absolutio haereticorum.**

Auctores generatim dicunt: « Qui ad sectam haereticam aut schismaticam pertinebant post annum decimum quartum completum, habentur semper in foro externo ut excommunicati. Proinde, si convertantur, absolutione a censura indigent in eodem foro. Quod si dubium est utrum formalem haeresim aut schisma admiserint, ac proin reapse censuram incurrerint, absolvens vocem « forsan » formulae absolutionis inserat ». (Ita, inter alios, GÉNICOT, ed. 1922, tom. 2, n. 587, 3).

Quid: 1^0 si haereticus probare possit se censurae ecclesiasticae nullam cognitionem habuisse? 2^0 si eius baptisma dubium sit?

R. 1^0 Haereticus praesumitur incurrisse censuram. Sed praesumptio cedere debet veritati. Si haereticus probat se censuram penitus ignorasse (ex ignorantia non crassa vel supina), certissime censuram non incurrit (c. 2229, § 3, 1^0). Cur ergo a censura absolveretur quae eum non ligabat? Solvere vinculum non exsistens videtur contradictorium. Esset saltem vana et inutilis formalitas, quales Ecclesia imponere non solet, nisi fortasse dicatur praecipuum scopum talis absolutionis esse magnum horrorem haeresis catholicorum mentibus iniicere. Hoc ultimum non est supponendum. Opinamur ergo, in casu proposito, a censura certo non exsistente non esse absolvendum in foro *interno.*

Sed nisi in ipso *foro externo* probatio de non contracta censura admissa sit, absolutio in isto foro semper servabit utilitatem demonstrandi plenam et regularem cooptationem haeretici in Ecclesiam. Quare ritus in praesumptione fundatus servandus videtur.

2^0 Quid in casu baptismi dubii? Instructio S. *Officii,* 20 iul. 1859, vult tunc fieri abiurationem cum

absolutione a censuris in foro externo, postea dari baptismum condicionatum et haberi confessionem cum absolutione sacramentali condicionata.

Attamen, cum plures auctores censeant probabiliter non obligari ad confessionem haereticos quorum prius baptisma vere probabiliter invalidum fuit, eadem probabilitas admittenda videtur contra obligationem recipiendi absolutionem a censura forsan incursa. Modo magis generali valde controvertitur utrum an non dubie baptizatus legibus ecclesiasticis subiaceat. Pro foro externo (de quo agitur in nostro casu) ad distinctionem recurrimus quam exponit A. Van Hove (*De legibus ecclesiasticis,* 1930 n. 190, 1): « In *dubio iuris,* an scilicet baptismus valide fuerit collatus, praesumptio stat in favorem baptismi. Hic praesumitur validus et proinde iura dat et officia imponit christianorum : « Generatim « loquendo, ut christiani habendi sunt ii de quibus « dubitatur an valide baptizati fuerint ». (*S. Off.,* 9 sept. 1868, *Collectanea de P. F.,* n. 1334; *Codicis Fontes,* IV, n. 1007). In *dubio facti,* collati nempe baptismi, recurrendum est ad varias praesumptiones hominis... » Si remanet serium dubium de ipsa collatione baptismi, facile opinamur non esse necesse a censuris absolvere. Haec enim obligatio est nimis incerta ut imponi possit. Aut saltem dicemus cum A. Vermeersch (*Theologia moralis,* I, n. 281, 1 ; « Si ipsum factum non constat, ad praesumptiones recurretur. His deficientibus, applicandum illud manebit : Factum non praesumitur sed probatur ». Aliis verbis, si factum baptismi non probatur neque etiam seria praesumptione nititur, baptismus habendus est ut nullus nec quaestio erit de absolutione a censuris.

Sed Cerato et Ojetti (*De personis,* n. 71) aliquid admittunt ex quo facilior effluit solutio. Ex analogia cum responso Commissionis interpretationis de canone 542 (*A. A. S.,* 1919, 477), censent non subiici

poenis in haereticos eos qui, nati et educati in haeresi, veritatem catholicam non cognoverant. Hoc profecto disciplinam Ecclesiae in hac re multo mitiorem efficeret quam antea. Quod non dolendum videtur, quia non solum melius congrueret cum moribus hodiernis sed praesertim conversiones faciliores fortasse evaderent.

II. - Incardinatio in Societatem sine votis.

Societas missionariorum facultatem obtinuit litteras dimissorias dandi ad ordines sacros. Eius sodales nullo voto ligantur, sed ad summum promissione aut firmo proposito. Quaeritur utrum sodales 1^0 post presbyteratus receptionem ingressi et antequam Societas hoc indultum reciperet; et 2^0 etiam ii qui nunc iam sacerdotes Societatem ingrediuntur, post completum probationis tempus, sint a sua dioecesi excardinati et in Societatem incardinati.

R. Hoc videtur negandum, cum nullibi Codex applicet Societatibus sine votis canonem 585, et S. Sedes pluries hanc assimilationem repudiaverit. (*Epitome iur. can.*, ed. 1933, I, n. 836.)

Nec erit generatim magnum incommodum, si quando sacerdos, e Societate egressus recipi debeat ab episcopo ad cuius dioecesim pertinet. Cum tamen hoc aliquando episcopis molestum esse possit, licet optare declarationem S. Sedis quae his omnibus canonem 585 extendat, ita ut Societatem egressi debeant sibi episcopum benevolum receptorem providere.

III. - Iudaeorum matrimonia.

Rachel, e parentibus Iudaeis nata sed in religione catholica baptizata et educata, cum Thoma, Iudaeo,

unice in synagoga nupserat. Postea, a Thoma separata, cum alio Iudaeo, Iacobo, civiliter nupsit, quocum vivit abhinc tredecim annis. Iacobus ipse priorem uxorem repudiaverat, sed iuxta legem mosaicam, et conscientia pacata gaudet. Rachel nunc vult vivere modo vere catholico et ipse Iacobus veritatem sincere quaerit. Quid fieri potest: 1^0 si Iacobus remanet Iudaeus? 2^0 si convertitur?

R. Manifeste unio inter Rachel catholicam et Thomam Iudaeum in synagoga non fuit verum matrimonium; insuper, post tredecim annos a separatione, difficultates ex parte prioris viri exsurgere posse non videntur.

Bona fides Iacobi eum liberavit a peccato formali; sed obiective nullum ius habebat priorem uxorem iudaeam repudiandi, cum Christus pro omnibus hominibus primitivam matrimonii indissolubilitatem perfecte restituerit.

Si Iacobus baptismum recipit, locus erit privilegio Paulino: consuetae interpellationes ad priorem uxorem dirigantur, nisi ab eis dispensatio obtineatur vel sint impossibiles; ac nisi prior uxor serio et sincere declaret se velle pacifice cohabitare cum Iacobo, ipse poterit in facie Ecclesiae cum Rachel nubere.

Si vero Iacobus baptismum non recipit, non est locus privilegio Paulino neque ulla solutio apparet nisi separentur Iacobus et Rachel vel serio et sine scandalo videantur ut frater et soror vivere posse.

IV. - **Professio fidei in missionibus.**

Nostra missio nondum divisa est in quasi-paroecias. Usus erat, quoties missionarius e statione in aliam mittebatur, ut coram Superiore districtus re-

novaret professionem fidei et iuramentum contra modernismum. Hoc tamen satis molestum est, tempus insumit nec videtur necessarium. Quid in hac materia admitti potest?

R. Commentatores sentiunt clerico renovandas esse professionem fidei et modernismi abiurationem quoties novum beneficium accipit (v. g. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici,* ed. 1930, II, n. 740; GÉNICOT, *Inst. theol. mor.*, ed. 1922, I, n. 197 bis). Magis explicite. COCCHI (*Comm. in Cod.,* t. 6, n. 77): « Ad eamdem obligationem rursum teneatur: qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur... ».

Attamen videntur quasi parochi non attingi tali obligatione (odiosa, ergo strictae interpretationis) quae « parochos » afficit, sive ex c. 1406, § 1, 7°, sive ex motu proprio *Sacrorum antistitum,* 1 sept. 1910, n. III. Sic opinatur P. VERMEERSCH apud *Periodica,* t. 5, p. (68). A fortiori ad haec non tenentur missionarii qui ne quasi parochi quidem sunt. Sufficit ut semel, qua confessarii et concionatores, professionem fidei et modernismi abiurationem emiserint.

QUAESITA VARIA

I. — Quam late locus sit can. 209 de Ecclesia supplente iurisdictionem in errore communi.

Haec species facti occurrit.

Amelia quaedam, pietate insignis, fere unanimi suffragio electa est Moderatrix generalis cuiuspiam Instituti Sororum. Cuius munere per plures annos

bene perfuncta est, ita ut novicios cooptaret, cum suffragio Consilii sui ad vota admitteret, Superiorissas locales nominaret, seu, ut paucis dicamus, omnes actus perageret quae Moderatrici generali facienda incumbunt.

Verum postquam sic per decem annos Institutum rexisset, reperta est numquam baptizata.

Iam quaeritur num acta ista ex errore communi, vi can. 209, ab Ecclesia suppleta fuerint.

Suppleta esse contendit Primus, quia nihil in canone 209 condicionem baptismi insinuat; Secundus autem negat ea suppleta fuisse, quia Ecclesia non intendit iurisdictionem vel potestatem dare nisi eius membris.

Respondendum est nullos fuisse et permanere actus qui, ut valerent, qualitatem Superiorissae postulabant. Etenim non ipsa Ecclesia vel Superiores Ecclesiae actus peragunt pro quibus iurisdictio suppletur; sed ei cuius iurisdictio suppletur iurisdictionem vel potestatem faciendi conferunt, quamvis sine titulo. I. e. Ecclesia titulum supplet quo possint fieri actus, minime vero supplet actus qui titulum requirunt. Hoc fit manifestum in iurisdictione quae suppletur confessariis; neque alia est in aliis casibus ratio qua potestas suppletur.

Iam vero Ecclesia nullo actu, sive lege sive dispensatione, infidelem attingere potest. Id potest solus Deus, ut cum omni homini facultatem fecit baptizandi subiectum non baptizatum. Quare ne suprema quidem Ecclesiae potestas valet ad supplendam in errore communi iurisdictionem seu potestatem personae non baptizatae. Huius incapacitas est ex iure divino, cui nulla potestas humana derogare potest; atque est magis radicalis quam incapacitas mulieris ad obtinendam iurisdictionem proprie dictam. Hanc S. Pontifex conferre potest, dommodo ne simul requiratur potestas

ordinis sacri, cuius feminae sunt iure divino incapaces.

In praesenti casu, poterit Ecclesia non quidem sanare actus penitus nullos, sed per Praelatum nunc facere, v. g. instituere Superiorissas, quod fieri debuerat, vel dispensare a condicione iure humano requisita: v. g. ab anno noviciatus.

Quaeres quid si mere dubius fuerit baptismus?

Resp. Quia praesumptio qua baptismus in dubio validus praesumitur est inefficax cum dubium est de qualitate vel condicione divino iure requisita, omnes actus Moderatricis dubie baptizatae erunt sub condicione ea qua dictum est ratione innovandi.

A. VERMEERSCH S. I.

II. — **Recta computatio mensis, quo elapso, licet semel vel bis in hebdomada, decumbenti infirmo permittere ut s. dape reficiatur postquam aliquid per modum potus vel medicinae sumpserit** (can. 858 § 2).

Quaeritur quandonam quis censetur a *mense* decumbens? (1)

Mensis enim, ex can. 32 § 2, in iure est « spatium 30 », annus vero « spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario ».

Quaeritur igitur num in casu can. 858 § 2 mensis intellegendus sit spatium 30 dierum, an sumendus sit ut in calendario, ac proin spatium aliud sit in alio mense in quo infirmus decumbit?

---

(1) De ceteris condicionibus adiri possunt nostra *Periodica*, II, 178; VI, (8); vel *Epitome iuris can.*, II, n. 124.

Plerique theologiae moralis aut iuris canonici scriptores verba « *a mense* » non explicant. Ita nihil reperimus apud BLAT O. P. in h. c.; apud PIGHI, *Theol. mor.*, IV, n. 152. 157; apud AERTNYS-DAMEN C. SS. R.; apud MARC. GESTERMAN C. SS. R. II, 1561; apud FERRERES S. I. II, 434; apud NOLDIN S. I. *De sacramentis* n. 158. Cum in *Theol. mor.*, tum in *Epitome iuris can.* in 4 edit. spatium intelleximus 30 dierum, ac nobis consentiunt PRÜMMER O. P. *Manuale theol. mor.*, III n. 203: « a triginta diebus »; CAPPELLO S. I. *De sacramentis* I, n. 506; UBACH S. I. II, 541, nisi quod ambo mensem dicunt moraliter sumi posse, ita ut defectus duorum vel trium dierum negligi queat. Nuper autem, in *Monitore Ecclesiastico* 1934 pag. 242 ss., R. P. DARMANIN, O. P., rem ex professo versans, contendit mensem sumendum esse ut *in calendario;* idque prorsus esse indubitatum, quia ad normam c. 34 § 3, menses sumendi sunt prout in calendario, quando terminus *a quo* explicite vel implicite assignatur. Cui rationi haec altera subiungi possit, quod ex c. 34 § 2, si tempus sit continuum, menses et anni sumendi sunt prout sunt in calendario.

Quid *pro veritate* dicemus?

Quia canon iste 858 § 2 ex integro refert decretum *Post editum,* 7 dec. 1906, can. 6, 2^0 nos monet servandam esse interpretationem quae ante Codicem recepta erat. Sed Card. D'ANNIBALE, *Summula,* I, 39, nobis refert esse incertum utrum mensis sumatur ut in calendario an tamquam spatium 30 dierum.

Argumentis R. P. Darmanin ambo haec respondenda videntur. *a)* Tempus non postulatur continuum, ut in responso ad alterum de isto privilegio quaesitum observabitur. Cum autem tempus non sumitur continuum, mensis, ex can. 34 § 2, intelligitur 30 dierum. *b)* Res non est canonico rigore pensanda. Sin aliter, occurreret tunc mirum istud, quod qui a

31 ianuarii decumbere coepisset beneficio canonis 858 § 2 iam post 28 dies uti posset, dum qui a 28 februarii aegrotaret, per 31 dies usum can. 858 exspectare debebit, cum tamen aequale aegrotantium regimen ad mentem Codicis magis quadrare videatur. Huc addas saepe minus constare de die qua quis decumbere coepit; neque adeo exploratum esse num in quibusdam modicis intervallis aegrotus dicendus sit convaluisse an intervalla ista mensem continuare censeantur.

Quocirca, rebus istis perpensis, existimamus etiam a propria nostra priore aestimatione aliquantisper recedendum esse, ita ut cum R. P. CAPPELLO et UBACH A. ecc. dicamus, id unum requiri et sufficere ut aegrotus *moraliter* a triginta diebus censeatur fuisse decumbens. Quod istud affert commodum, ut infirmus devotioni suae satisfacere possit in pia festivitate quae occurrat paucis diebus ante elapsum mensem 30 dierum.

Quid, quod privilegium istud, primo a PIO Pp. X decreto *Post editum* 7 dec. 1906 concessum, intellegebatur de infirmis qui a mense 30 dierum decumbebant (1). Iam vero, ex can. 6, 3°, canones, qua parte cum veteri iure congruunt, ex iure antiquo aestimando sunt.

A. VERMEERSCH S. I.

III. — De can. 858 § 2 seu de infirmis qui ante communionem aliquam medicinam vel aliquid per modum potus sumere permittuntur.

Canon licentiam istam duabus condicionibus obnoxiam efficit:

a) Ut a mense decumbant sine certa spe ut

(1) Cfr *Per.*, II, 178.

cito convalescant; *b)* semel aut bis in hebdomada, de prudenti confessarii consilio (1).

In facultatibus quae S. C. de Prop. Fide Ordinariis in terris missionum largitur, legitur facultas permittendi, etiam ante mensis finem, infirmis qui decumbunt communionem postquam aliquam medicinam vel aliquid per modum potus sumpserint. Vi facultatum suarum, possunt etiam Nuntii, Internuntii, et Delegati Apostolici permittere infirmis ante finem mensis a quo decumbunt atque infirmis etiam non decumbentibus ut ante communionem aliquid sumant per modum potus aut medicinae; sed semel tantum in hebdomada. Cfr *Epit. iur.* can.,[5] I p. 638 n. 42 (2).

Iam antea in *Per.*, XVII (1928), p. 226*, dubium quoddam de istius facultatis usu solvimus, admittendo usum iam a prima die a qua decumbunt infirmi.

Quaeritur nunc 1° num Praelatus ista facultate uti queat in gratiam eorum qui non praevidentur per mensem futuri esse infirmi, sed post octo, decem dies iam fore convalescentes.

Cui quaesito negativum responsum dandum esse arbitramur. Ratio responsi haec est: 1. Quia in isto canone supponuntur aegroti qui per mensem decumbant, et qui ante mensem per se beneficio canonis

---

(1) Facultas ista primum concessa est a Pio Pp. X per S. C. Concilii decreto 7 dec. 1906; sed extra domos in quibus servatur SS. Sacramentum, aut qui privilegium Missae in oratorio domestico habebant, infirmi non poterant nisi semel vel bis in mense privilegio uti. Cfr *Per.*, II 178 ss. In commentario de isto decreto, R. P. Bastien, O. S. B. iam tunc spatium mensis intellegebat moraliter. « Nous ne ferions aucune difficulté de concéder la communion s'il manquait un jour ou deux pour parfaire le laps d'un mois » Cfr. *Nouv. Rev. Théol.* t. 39, p. 159.

(2) Cfr v. g. n. 17 formulae III maioris. Neque additur clausula, « de prudenti confessarii consilio ». Ac possunt istam exceptionem a lege naturalis ieiunii bis vel ter in hebdomada concedere; immo, si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam cotidie. Facultas ista conceditur ut subdelegabilis. Cfr *Epit. iur. can.*[5] p. 642, n. 17.

uti non possint; 2. Quia ipsa verba « iam ante *mensem* », infirmitatem saltem mensilem supponunt.

2. *Quaeritur* 2^0 num mensis computari possit non ita continuus ut nullis intervallis dividatur. Sit aliquis infirmus qui plerisque mensis diebus decumbit, fruitur tamen per intervalla duorum vel trium dierum meliore valetudine.

Num intervalla ista mensem interrumpant, ita ut mensis non censeatur nisi post ultimum intervallum inchoatus; an dies per quos convaluit mere non computentur; an ad complendum mensem ipsa intervalla utilia sint.

Atque intervalla intra mensem computari posse censemus, dummodo ad eundem diuturnum morbum moraliter referantur. Ita benigne respondemus, quia agitur de facultate quae, utpote contenta in corpore iuris, latam interpretationem fert, neque in textu dicitur: « qui a mense *continuo* decumbunt » sed mere « qui a mense decumbunt ».

A. VERMEERSCH S. I.

IV. — **De religiosorum bonis temporalibus.**

I. Norbertina, professa votorum simplicium, sorori suae legaverat quaecumque bona ipsi titulo hereditatis obvenirent.

Verum prius mortua est ista soror atque ipsi Norbertinae aliquam summam pecuniae legavit.

Quaeritur qua via posset Norbertina de summa ista in gratiam fratris sui indigentis disponere.

Resp. 1. Cum morte sororis legatariae testamentum Norbertinae evaserit caducum, ipsa potest novum

testamentum ex integro condere, quasi sit primum eius testamentum. Canones enim ipsi permittunt ut testamento efficaciter de bonis suis post mortem disponat.

2. Si praesenti fratris necessitati subvenire voluerit, possit, annuente Moderatrice generali, dispositionem de usu et usufructu bonorum suorum, quam ad normam can. 569, § 1 fecisse censetur, mutare, vi can. 580 § 3, ita ut frater usufructu fruatur. Immo de usufructu pecuniae quae ipsi nunc titulo legati obvenit, libere in gratiam fratris sui disponere potest. Cfr can. 569 § 2.

Atque observes, religiosos minime obligari ut provideant alteri legatario, si institutus ante testatorem e vivis excesserit.

II. Anastasia testamento communitati suae duas partes hereditatis propriae legaverat, iubens ut tertia, reliqua pars, piis operibus in suffragium propriae animae tribueretur, quando certior facta est de ruina fortunarum fratris sui. Possitne cum Moderatrice generali stipulari ut ex haereditate sua quam communitati legaverat, pars quaedam benevoli fratri suo detur?

R. Testamentum legatario nullum ius acquisitum tribuit. Quare, sine ullius iniuria ad mortem usque revocari potest. Attendendum tamen est ad can. 583, 2° quo testamentum a novicio factum ad normam can. 569, § 3, per se sine licentia S. Sedis mutari licite non potest. Quare non liceret Anastasiae pactione proprie dicta convenire cum Superiorissa ut definitam partem fratri egenti tribueret; sed nihil obstat quin Superiorissa promittat se ex benevolentia vel adeo fidelitate summam quandam rationabilem titulo eleemosynae egenti fratri daturam esse.

A. VERMEERSCH S. I.

V. - De privilegiata ab horis canonicis dispensatione seu commutatio.

Quaeritur *utrum privilegium quod ad Innocentium IV ascribitur inter certa an inter dubia privilegia ponendum sit.*

Anno 1253, 9 aug. *Innocentius IV,* regulam quam *S. Franciscus* S. Clarae et aliis Sororibus praescripserat approbare volens, Constitutionem condidit « *Solet annuere* » (1), in cuius cap. 3 statuit quidem officium divinum esse in choro a Sororibus litteratis recitandum, simul tamen indulget ut « Quae occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere horas suas, liceat eis, sicut aliae Sorores dicere *Pater Noster* ». Isto indulto seu privilegio innixi, probatissimi iuridicae vel moralis disciplinae periti docent omnibus Regularibus qui in privilegiis Monialium S. Francisci communicant licere ut, propter rationabilem, non - gravem - causam, pro horis canonicis, recitent tot *Pater Noster,* seu orationes dominicas (sine salutatione angelica vel *Gloria Patri*) quot Sorores conversae seu illitteratae recitare debent. Sunt autem, ex eadem Bulla, 24 Pater pro Matutino, 5 Pater pro Laudibus, 7 Pater pro qualibet parva hora. Quot sint dicenda in locum Vesperarum et Completorii, textus quem in Bullario Romano habemus non memorat, sed in simili aestimatione Bullae « *Cum omnis vera religio* », septem Pater pro Completorio et 12 pro Vesperis recitanda sunt.

Excusationes rationabiles indicat Pellizarius, *Manuale Regularium* Tomi II, parte altera Tract. IX *De Monialibus:* scrupulos, minus expeditam lectionem ex Breviario; lassitudinem ex labore extraordinario, extraordinariam occupationem quae Monialem angat; quibus, pro *viris* addit: extraordinarias litterarum de-

(1) B. R. III, p. 570 ss.

monstrationes, contiones Quadragesimales cum labore non ordinario, magnam frequentiam paenitentium ; defatigationem ex itinere aut contione, aut alia causa consimili, et alios similes casus. Subiungit laudatus auctor haec singulis Regularibus sine ulla Superiorum licentia suffragari. Atque ita fit ut non pauci Regulares vel informi, vel Missionum labori addicti, satis saepe, recitandis 77 *Pater Noster*, in locum Breviarii contenti sint. Immo, cum Sorores conversae ad recitanda ista *Pater Noster* sub veniali tantum obligentur, nec regulares sub gravi debebunt recitare ista *Pater Noster* quae ipsis ob rationabilem — non gravem causam — loco officii divini esse possunt. Regula enim, sic dicere pergit PELLIZARIUS « subrogatum sapit naturam illius in cuius locum subrogatur » varias limitationes patitur, in specie « quando subrogatum et id in cuius locum subrogatur, sunt diversae qualitatis » ut in casu aliud est officium divinum, aliud sunt non nulla *Pater Noster* (1).

Iam conferendo tam amplum privilegii usum, et fontem unde originem trahere dicitur, merito suspicari quis potest in mentem INNOCENTII non venisse, ut quod suo tempore, quo longe minor erat librorum copia et litteraria eruditio, concedebat Sororibus parum ad chorum assuetis, occasio esset tantae pro regularibus omnis generis excusationis a choro.

Nihilominus quaecumque PELLIZARIUS primus, ut videtur (2), ex verbis INNOCENTII interpretando collegit, consequenter dicta sunt. Etenim verba « *liceat eis* » significant licentiam a Pontifice singulis directe factam ; « *occasione rationabili* », necessitatem gravis causae

(1) Opinionem tamen istam, a quarta sua editione *Append. de Privil.* reiecit S. ALPHONSUS : « Hoc non mihi placet ; etenim huiusmodi privilegio monialis non transit in qualitatem laicae, sed tantum officium eius choristae transit et commutatur in illud laicae ».

(2) Nullum enim allegat auctorem et addit se approbationem quaesivisse aequalium suorum.

excludunt. Quod gravis non sit obligatio precum quae substituuntur, habemus ex norma generali modo supra memorata. Communicatio porro privilegiorum inter ordines mendicantes eosque qui simili communicatione fruuntur usum privilegii communem efficit. Et quamvis Codex communicationem privilegiorum suppresserit; interpretatio, etiam usu in Urbe recepta, sinit ut suppressionem istam intelligamus de sola nova communicatione. Nihil mirum igitur quod commentarium PELLIZARII ab aliis auctoribus approbatum et confirmatum fuerit. Citemus *Salmanticenses*, qui in Tomo IV, tractatu II istius tomi seu XVI totius operis, Pellizarium vere exscribunt; — S. ALPHONSUM L. I, Cr. II, *De legibus*, Appendix II De privil. regul. c. 5, n. 107, 3°, et L. IV, D. IV, Privil. n. 63. PIAT O. M. Cap. *Praelectiones Iuris regularis* (ed. 3) I, p. 354; — VICTORIUM ab Appeltern, *Compendium Praelectionum Iuris*, p. 238; D'ANNIBALE, *Summula*, III, n. 223 cum nota 70; — BUCCERONI, S. I. *Institutiones Theol. mor.* ed VI (1915) n. 107.

Quid igitur motae quaestioni respondendum censebimus?

Si rem ab intrinseco, ut aiunt, perpenderemus, benevolus lector, attentis iis quae supra notavimus de mira applicatione ad omnes qui horas canonicas recitare debent facultatis quae in adiunctis prorsus diversis Monialibus concessa erat, suspicabitur nos parum favere sententiae quam modo rettulimus. Ac revera, potius quam genuina interpretatio, nobis videtur talis extensio factae facultatis canone 67 reiecta, cum nos monet privilegium ex ipsius tenore aestimandum esse, quamvis, ex can. 50, omnino latam interpretationem recipiat.

Verum hic multum auctoritatibus deferendum est. Agitur enim de lege mere ecclesiastica, de qua tuto

stare possumus interpretatione probatorum auctorum. Cfr nostram Theologiam moralem, T. I, n. 349, 2.

Quocirca respondebimus, *propter extrinsecas auctoritates*, usu ab aetate PELLIZARII receptas, *moraliter constare de memorato privilegio.*

Sed simul memores spiritus qui vitae religiosae anima esse debet, spiritus, inquam, amoris et devotionis, quo aegre ferre debemus ut interdum adiunctis involuntariis omittere cogamur preces quas tot sancti recitarunt, immo ipse Christus Dominus (quod ad Psalmos attinet) in ipsa Cruce saltem allegavit dum clamavit « Deus Deus meus ut quid dereliquisti me » ; et quas nomine Ecclesiae atque ad id deputati persolvere debemus. Atque ita fiet ut raro tantum et prorsus legitime impediti nos habeamus exemptos, et nostra oratio, non minus quam operatio nulli sit offensioni sed omnes in Domino aedificet.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de iustitia propositi

in T. XXII, 219* sq.

Ad I. Merito suspectae honestatis ab alio medico iudicatur pactio « dichotomiae » quam Gallienus cum Thoma chirurgo inivit. Etenim :

1. Etiamsi Gallienus utile consilium dederit, utilitas ista ultra quam par esset compensatur dimidia parte lucri quod obtingit chirurgo, qui solus artem suam, saepe sine periculo, exercere debuit. Quare dubitari potest an Thomas tantum moraliter coactus iniquam condicionem acceptaverit. Coacta autem pactio de iniquo pretio a labe iniustitiae non est per se immunis.

2. Timendum est, ne Guglielmus Thomam non propter dotes eius, sed propter lucrum ab ipso sperato commendaverit.

3. Timendum quoque est ne Thomas ultra aequitatem mercedem statuerit, ne lucrum proprium divisione nimis imminutum percipiat.

Quod ad allegatas excusationes:

a) Usus generalis non tantum « prosceneticum » tribuit.

b) Cum medicus obligetur ad meliorem quam potest curam adhibendam, nequit quasi pretium sibi debitum computare quod ex visitationibus minus utilibus percepisset.

c) Clientis valde refert debitum suum, accedente altero creditore, non nimis augeri.

Quia tamen usus, etiam minus probandi, pluribus creant necessitatem eosdem observandi, Gallienum a restitutione excusare poterimus, si *a)* Thomam non peculiari ratione coegit in pactione facienda; *b)* Thomas inter optimos est chirurgos, ita ut certo meliorem indicare non potuerit; *c)* pretium quod chirurgus a cliente postulat fines iusti pretii non excedat.

Ad II. Iure ac merito; lex italica tractatus huiusmodi vetat. Verum eam legem esse moralem seu directe obligare conscientiam non constat. Non ideo tamen, quia praemium medico promittat, fas est ipsi de qualitate vel quantitate mercis quidpiam detrahere. Nec dubitari potest de iniustitia si merx non sit longe qualitatis. Si bona, quamvis non optima fuerit, abusus generalis ipsum a stricta iniustitia immunem fecerit. Non excusator autem si verbis seu nuntiis vere significativis excellentem qualitatem promiserit. Nec de quantitate indicata quidquam detrahere ipsi licet, nisi iterum generalis abusus deceptionem fere abstulerit, ita ut pretium cum quantitate tradita satis congruat. De utroque casu observandum praeterea est, artificia

ista minime esse laudanda, neque felicem esse societatem cuius mores necessitatem huiusmodi artificiorum inducant. Quare optimo cuique civi enitendum est ut voce, scriptis, consociationibus procuret ut maior honestas in societatem reducatur.

Casus De Matrimonio valido vel invalido.

Paulus, infelici matrimonio, rite celebrato, cum Petronilla iunctus, iugum nimis durum, obtento civili divortio excutere conatus est.

Tunc, quasi in integrum restitutus, cum habitaret in regione omni sacerdote destituto, coram duobus testibus, alteras nuptias fecit cum Amelia.

Interea tamen Petronilla litem moverat apud S. Rotam de nullitate sui matrimonii cum Paulo, allegans se tantum vi exteriore coactam, consensum dedisse. Ac, post elapsos tres annos, duplici S. Rotae sententia conformi, ipsius matrimonium est declaratum nullum.

Cum nuntium istum accepisset, Paulus, gratus erga Ecclesiam et S. Rotam, contendit se esse et semper fuisse legitime cum Amelia coniunctum; ipsiusque prolem, quam ex Amelia habuit, in tabulas esse ut legitimam referendam. Quid parochus vel missionarius Paulo respondere potest vel debet?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De reparandis defectibus in collatione ordinum occurrentibus.

Haud infrequenter defectus in ordinationibus occurrentes gravibus dubiis ansam praebent de valore ordinum receptorum. Quam plurima eiusmodi dubia autem a S. Sede resoluta sunt; quae responsa normam tutam praebent in iisdem vel similibus defectibus in posterum accidentibus. Sed dolendum est, quod ista responsa parum innotuerunt. Quare hic omnia responsa, quae invenire potuimus, collecta bifariam digessimus, scilicet primo iuxta ordinem temporis, deinde iuxta ordinem materiae. Responsa quidem contraximus, sed generatim ipsa verba dispositiva adhibuimus. Ceterum diligentissime notavimus fontes eosque plures, sicubi suppetebant, quo facilius integer textus consuli possit.

Aliquoties responsa S. Sedis, quo melius paterent, notis illustravimus haustis generatim ex auctoribus probatissimis. Brevitatis causa his siglis notantur S. Sedis dicasteria, quae responsa dederunt, scilicet:

CC = S. Congregatio Concilii
CR = S. Congregatio Rituum
CS = S. Congregatio de Sacramentis
PF = S. Congregatio de Propaganda Fide
SO = S. Congregatio Sancti Officii
SP = S. Paenitentiaria

Similiter fontes et auctores pluries citati breviter ita indicantur:

ASS = Acta Sanctae Sedis, vol. 1-41, Romae 1865-1908.

Ballerini-Palmieri = Ballerini-Palmieri, Opus theologicum morale, vol. I-VII, ed. 3, Prati 1898 1901.

Bucceroni = I. Bucceroni, Enchiridion Morale ed. 4, Romae 1905; Supplementum I ed. 2, Romae 1912; Supplementum II, Romae 1911.

CIC Fontes = Codicis Iuris Canonici Fontes ab E.mo Card. Gasparri editi, 6 volumina, Romae 1926-1932.

Collectanea P. F. = Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide; citatur semper altera editio anni 1907, excepta una vice, scil. pro decreto S. Congr. Rituum 11 martii 1820.

Decreta auth. = Decreta authentica S. Congr. Rituum, 7 volumina, Romae 1898-1927.

Gasparri = Card. Petrus Gasparri, Tractatus canonicus de sacra ordinatione, 2 vol., Parisiis 1893/94.

Génicot-Salsmans = Génicot-Salsmans S. I., Institutiones Theologiae Moralis, 2 vol. ed. 12, Lovanii 1931.

Gennari = Card. Cas. Gennari, Consultazioni Morali, 2 vol. ed. 3, Romae 1913/15.

Lehmkuhl = Aug. Lehmkuhl S. I., Theologia Moralis, 2 vol. ed. 12, Friburgi 1914.

Many = Seraph. Many, Praelectiones de Sacra Ordinatione, Parisiis 1905.

Pallottini = Pallottini, Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Congregationis Concilii ab anno 1564 ad annum 1860, 17 vol., Romae 1868-1893.

Reliqua opera citata suis locis accurate indicantur.

Finis huius lucubrationis est omnibus praebendi *normam securissimam,* fulcitam nempe rubricis Pontificalis ac decisionibus S. Sedis, et ita radicitus exstirpandi tot anxietates vanas. Inquiremus igitur, quid secundum Pontificale ac responsa Sanctae Sedis agere oporteat, *partes tutiores* amplectendo, quo efficacius tollantur anxietates inutiles vel paene superstitiosae, quae detrahunt et ordinandorum devotioni et astantium aedificationi.

Si quid in ordinationibus defecerit, *tres casus* accidere possunt:

a) si defecerit *pars essentialis*, tunc ordinatio integra est repetenda;

b) si *integralis*, haec pars quamprimum est supplenda;

c) si denique *accidentalis*, nihil est supplendum, nisi aliter iubeat lex ecclesiastica. Sic oportet supplere omissam unctionem manuum presbyteri (can. 1 X 1, 15).

Ecclesia statuit quidem « ut accurate serventur ritus et caerimoniae, quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur » (can. 733 § 1). « Sed peracta ordinatione, quae certo, ut supponitur, valida est, non sunt supplendi ritus forsan omissi; sicut Missa finita, non est obligatio reparandi omissionem huius vel illius caerimoniae (seclusa lege ecclesiastica) » (Many, n. 294, 3). Sane Credo omissum non est Missae finitae addendum.

Quare in singulis ordinibus indicabitur ritus essentialis secundum rubricas Pontificalis et praxim ac decisiones Ecclesiae.

Notetur autem canon 1007: « Quoties *ordinatio iteranda* sit vel aliquis *ritus supplendus*, sive absolute, sive sub condicione, id fieri potest etiam *extra tempora* ac *secreto* ». Scite annotat R. P. Creusen: « 'Extra tempora' hic tantum valet quantum *omni die*, quo Missa celebrari potest. Ergo etiam extra festa quaelibet » (Vermeersch-Creusen, Epitome Iuris Can. II[4] n. 269, 4). *Secreto*, i. e. etiam in *sacello privato* (Many, n. 305, 1). Cum igitur semel pro semper concessum sit *secreto et quocumque die* ordinationem iterare vel ritum supplere, haec circumstantia, in decretis olim saepe memorata, *non iam indiget mentione.*

PARS PRIMA

Responsa Sanctae Sedis de defectibus in collatione ordinum occurrentibus *iuxta ordinem temporis* digesta.

Praenota. - Plura responsa, *iisdem diebus* data, *distinguuntur litteris capitalibus* ordine progressivo anno additis, quo facilius citari et inveniri queant, v. g. SO 7 sept. 1892 A, 7 sept. 1892 B. Quod sequentibus diebus accidit:

7 sept. 1892 A-B; 8 maii 1895 A-B; 17 martii 1897 A-D; 6 iulii 1898 A-C; 30 nov. 1898 A-B; 14 dec. 1898 A-B; 17 ianuarii 1900 A-B.

ad 1897

SO 3 dec. 1637. (Iuris Pontif. de Propaganda Fide pars II [ed. R. de Martinis] pag. 80 n. 147).

Quia Episcopus ordinans « omisit formam et materiam ordinis presbyteratus », S. Officium praecepit, ut Nuntius « denuo omnes ordinaret, conferendo illis tam potestatem conficiendi quam potestatem remittendi, illi vero, qui fuit denuo ordinatus . . . quoad potestatem conficiendi tantum, denuo conferat potestatem remittendi.

CR 3 dec. 1661 (Decreta auth., n. 1221).

« Ad *scrupulum* Fratris Ephraem . . . se non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad presbyteratum, S. Rituum Congr. respondit, posse continuare celebrationem ss. sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia ».

Nota. - Idem respondit CR 21 ian. 1863, ad similem casum a P. Perrone propositum (Ballerini-Palmieri V n. 902).

SO 1 augusti 1697 (Iuris Pontif. de Propaganda Fide pars II pag. 252 n. 499).

« Ordinati ad ordines subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ab Episcopo Abellini, *non porrecta per ipsummet Episcopum materia* dictorum ordinum, iterum sub condicione et singillatim ad dictos ordines respective, servata forma in PONTIFICALI ROMANO praescripta, ordinentur, etiam una eademque die quoad curam animarum habentes, prout urgens necessitas arbitrio ordinandi postulaverit ».

CC 19 nov. 1707 et 11 feb. 1708 (Pallottini XVI p. 67 n. 5).

Si hostia defuit super patena, in ordinatione sacerdotali, sic ordinatus denuo sub condicione ex integro ordinandus est.

Postea tamen constitit in casu hostiam deficere non potuisse; ideo die 11 febr. 1708 S. Congr. recessit a decisis rescribendo, ut sacerdos aut scrupulum deponat aut se abstineat.

CR 8 iunii 1709 (Decreta auth., n. 2194 ad 4).

In ordinatione *acolythi materia* ordinis *nequit esse bugia* seu palmatoria loco candelabri.

CC 10 ianuarii 1711 (Pallottini XVI p. 67 n. 6).

Si ordinandus in suscipiendo subdiaconatu tetigit quidem calicem et patenam, *non autem librum epistolarum*, Episcopus defectum *suppleat*, etiam privatim.

Cfr simile responsum pro diaconatu: CR 16 iunii 1837.

Nota. - Omittimus resolutionem CC 28 maii 1796 (Pallottini XVI p. 66 n. 3), cum quia publicata non est (Many, n. 264, 2), tum quia, teste E.mo Gasparri (n. 1084), parum de genuino eius sensu constat, et insuper sensus, qui circumfertur, decretis posterioribus S. Officii 8 maii 1895 A et 17 martii 1897 B adversatur (cfr Many, n. 295, 7).

CR 11 martii 1820 (Collectanea P. F., *ed. 1*, n. 1189; Bucceroni, pag. 429; Gasparri, n. 1017 et 1063).

« Quamvis *una clavis* possit esse materia *sufficiens* pro ordinatione ostiarii, servandam tamen esse rubricam, quae *praecipit claves* esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam huius ordinis » (ad 2); cfr CR 20 iunii 1899.

Possunt duo vel tres aut quatuor, qui simul ordinantur ostiarii, *simul tangere manu dextera claves*, dum Episcopus profert formulam (ad 3).

« Iuxta PONTIFICALIS rubricam, *in ordinatione subdiaconorum* super duos vel tres *simul manu dextera tangentes calicem* cum patena potest ab Episcopo proferri formula: 'Videte cuius ministerium vocis traditur etc.' — *In ordinatione vero presbyterorum cuilibet* tradendus est *calix* cum vino et aqua et patena cum hostia, et cuilibet formula repetenda est in singulari: 'Accipe potestatem etc.' » (ad 4).

CR 31 iulii 1821 (Decreta auth., n. 2616 ad 6).

Verba Pontificalis Romani in ordinatione presbyteri: « Idem faciunt post eum *omnes sacerdotes* qui adsunt » *intelligi possunt*

moraliter, iuxta tamen locorum consuetudinem, servata rubrica quoad paramenta et stolas.

Nota. - Haec « manus impositio, quam alii presbyteri faciunt, sollemnitatis, non necessitatis est » (Decr. auth., vol. 4 p. 220). Ex hoc responso legi satisfit, sive omnes sive pauci ex sacerdotibus praesentibus manus imponant.

CR 12 nov. 1831 (Decreta auth., n. 2682).

In collatione primae tonsurae *verba* « *Dominus pars* » *etc.* proferat *etiam Episcopus*, iuxta morem (ad 3).

Nota. - Hoc non requiritur ad valorem (Gasparri, n. 1014), cum non praescribatur in Pontificali (Many, n. 292).

Quando ostiarius, archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae, *non* est stricte *necessarium*, ut hoc faciat cum clavi (ad 5).

Iuxta consuetudinem *ab ordinando dicatur* « *Amen* », quod PONTIFICALE praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in ordinatione (ad 6).

CR 16 iunii 1837 (Decreta auth., n. 2767).

Ordinatio diaconorum, in qua *porrectus non est liber evangeliorum*, minime iteranda est, sed *Episcopus suppleat* traditionem istius libri proferendo verba « Accipe potestatem legendi evangelium, etc. »

SO 27 maii 1840 (CIC Fontes, n. 880; vel in decreto CR n. 2836).

Si vitiata est forma collationis potestatis remittendi vel retinendi peccata, « sub condicione in privato oratorio quovis anni tempore *suppleatur* a quovis Episcopo induto de more *tertia manuum impositio* et forma respectiva « Accipe Spiritum Sanctum », non tamen repetendo caerimonias accidentales antea adhibitas ».

Item CR 22 maii 1841, ac SO 4 martii 1874 et 9 dec. 1897.

PF 6 augusti 1840 (Collectanea P. F., n. 906).

Non sunt supplendae « caerimoniae *impositionis manuum sacerdotum*, quae in ordinatione sacerdotali ob distantiam missionariorum omissae fuerunt ».

Nota. - « Nam presbyteri manus imponunt solum in signum cooptationis et societatis ad simile ministerium, cui caerimoniae respondet apud Graecos salutatio » (Gasparri, n. 1080).

CR 22 maii 1841 (Decreta auth., n., 2836).

Si in ordinatione sacerdotali *forma tertiae manuum impositionis corrupta* est, iuxta decretum S. Officii diei 27 maii 1840

ab Episcopo quovis induto de more, ut in ordinatione, et sacrum faciente in suo privato oratorio, astante enuntiato presbytero sacerdotalibus vestimentis pariter induto, (sub condicione) « *suppleatur tertia manuum impositio* et respectiva forma: ' Accipe Spiritum Sanctum ' quin repeti debeant caerimoniae accidentales, quae antea adhibitae fuerunt ».

Vide SO 27 maii 1840, 4 martii 1874, 9 dec. 1897.

CR 18 febr. 1843 (Decreta auth., n. 2851).

In ordinatione presbyteri extensio manus tam Episcopi quam sacerdotum praescripta a Pontificali, fieri debet iuxta praxim Ecclesiae Romanae, « quae *manus ordinandis imponit in prima tantum oratione :* ' Oremus, fratres carissimi ' ».

Nota. - CR idem confirmavit die 14 martii 1861 (Decreta auth., n. 3105 ad 1). Videas quoque CR 31 aug. 1872 et 14 iunii 1873.

PF 27 sept. 1843 (Collect. P. F., n. 984).

In ordinatione ostiariorum *omitti nequit traditio clavium,* sed oportet uti clavi qualicumque.

PF 23 martii 1844 (Bucceroni, p. 429).

« In ordinatione clericorum ad ostiarii munus adhibendas quidem claves, quin tamen ecclesiae claves esse debeant, ita ut *qualicumque clavi uti* poteris ».

CR 25 sept. 1846 (Decreta auth., n. 2919).

Prima *tonsura clericalis dubia* est, si tondentur capilli comae ficticiae. In tali casu Romanus Pontifex « benigne annuit pro sanatione, quatenus opus sit, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius innovandum ».

CR 11 sept. 1847 (Decreta auth., n. 2956 ad 2).

In ordinatione subdiaconi amictus demittendus est super scapulas, postquam impositus est ab Episcopo, non vero in capite tenendus usque ad finem orationis.

SO 19 augusti 1851 (Collect. P. F., n. 1066; CIC Fontes, n. 917).

Impositio manuum in ordinatione presbyteri et diaconi, facta sine tactu corporali, iterari debet cum tactu corporali (ad 1), et cum debita forma (ad 3), ideoque privatim in actione Missae (ad 4).

Nota. - Hoc responsum magis explicatur pluribus decretis posterioribus S. Officii (Many, n. 296 A), quibus patet ex in-

tegro iterandam esse sub condicione ordinationem diaconalem (SO 20 ian. 1875 et 26 ian. 1898) et sacerdotalem (SO 4 iulii 1900 et 7 maii 1902), si defuit tactus corporalis. Excipitur in ordinatione sacerdotali tertia manuum impositio, quam supplere, i. e. separatim ab aliis ritibus repetere sufficit (cfr Notam ad SO 9 dec. 1897).

CR 21 ian. 1863 (in nota addita decreto CR 3 dec. 1661).

SO 25 iulii 1866 (memoratum apud Gasparri, n. 1084).

Sacerdos acquiescat, qui in ordinatione sacerdotali certo tetigit calicem, dubitat vero, num praeterea hostiam vel patenam tetigerit.

SO 27 april. 1870 (Gennari, II p. 194).

Ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus post primam manuum impositionem in silentio, antequam legeret formam, utraque manu Pontificale accepit rubricas legens; finita vero per presbyteros manuum impositione, dexteram extendit et formam recitavit.

SO 22 nov. 1871 (memoratum apud Gasparri, n. 1084).

Sacerdos acquiescat, qui in ordinatione sacerdotali tetigit calicem et hostiam, non vero patenam.

CR 31 augusti 1872 (Decreta auth., n. 3274 ad 1).

In ordinatione presbyteri tum Pontifex tum sacerdotes, qui adsunt, debent prius imponere utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi et, vix facta impositione utriusque manus, *statim* dexteras manus extendere easque sic extensas tenere, donec Episcopus orationem « Oremus, fratres carissimi » absolverit.

CR 14 iunii 1873 (Decreta auth., n. 3307).

« S. Congregatio, dum in praefato suo responso (31 aug. 1872, n. 3274 ad 1) *ritum insinuavit* in peragenda sacra ordinatione circa manuum impositionem observandum, *non idcirco in dubium revocare* intendit valorem sacrae ordinationis, eo quod in illis Episcopus ordinans manus extensas non tenuerit super ordinandos *etiam per intervallum*, quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit ».

CR 27 sept. 1873 (Decreta auth., n. 3315).

In ordinatione *ostiariorum* archidiaconus « tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos *campanas pulsare* » (rubrica

Pontificalis). Sufficit autem *una* campana, ubi plures non habentur (ad 2). Immo sufficit « quassare tintinnabula altaris ad fores ecclesiae « si turris distat (ad 3), vel campana deficit (ad 4) ».

Codicem *lectoribus ordinandis* tradendum « esse Missale vel Breviarium vel volumen S. Scripturae » (ad 5). Pontifex in cohortatione ad lectores ordinandos dicere potest: vel « lectorem siquidem oportet legere ea quae praedicat », vel « lectorem siquidem oportet legere ei qui praedicat » (ad 6).

Subdiaconis vel diaconis ordinandis tradi potest Missale loco libri epistolarum vel evangeliorum (ad 7).

SO 23 ianuarii 1874 (Bucceroni, p. 427).

Si in ordinatione sacerdotali traditio instrumentorum facta sit in communi et non successive, ut in rubrica Pontificalis Romani, « *nullum* quoad validitatem collatarum *ordinationum oriri posse dubium*, dummodo tamen certum sit omnes ordinandos tetigisse tradita instrumenta ».

Videas quoque SO 16 ianuarii 1901, ut infra.

SO 4 martii 1874 (Bucceroni, pag. 425).

Si *forma in tertia manuum impositione corrupta* est, sub condicione « *suppleatur* ad cautelam a quovis Episcopo cum S. Sede communionem habente, induto de more, *tertia manuum impositio* et forma respectica: ' Accipe Spiritum Sanctum ' etc. »

Videas quoque SO 27 mai 1840 ac 9 dec. 1897 et CR 22 maii 1841.

SO 22 iulii 1874 (Collect. P. F., n. 1421; ASS 30, 157)

Si manus ordinandorum presbyterorum sacro chrismate (loco olei catechumenorum) unguntur, *unctio non est repetenda.*

SO 20 ian. 1875 (Collect. P. F., n. 1431; CIC Fontes, n. 1038; fusius apud Bucceroni, pag. 431 vel ASS 30, 157).

Si Episcopus manum dexteram super caput ordinandi diaconi ad minimam quidem distantiam suspendit, sed caput non corporaliter attigit, ordinatio sub condicione est iteranda a quocumque Episcopo catholico, etiam in sacello privato.

SO 9 iunii 1875 (memoratum apud Gasparri, n. 1084).

Sacerdos acquiescat, qui in ordinatione sacerdotali tetigit calicem et hostiam, non vero patenam.

SO 12 sept. 1877 (Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 242 in nota; Collect. P. F., n. 1482, paucis tamen verbis demptis).

In ordinatione presbyterorum Episcopus, postquam « singulis ordinandis ambas suas manus imposuit, nihil dicens, deinde in medio stans *manum dexteram suam rite extensam tenuit*, donec sacerdotes ceteri singulis ordinandis suas manus imposuissent. Tunc autem », *incipiens orationem* ' Oremus, fratres carissimi ', *manum retraxit* eamque non amplius tenuit « extensam super ordinandos, uti iubetur in Pontificali, sed extensam coram pectus, sicuti fit in aliis orationibus ». — Responsum est: *Acquiescat.*

Nota. - Hoc responsum male refertur apud Gasparri (n. 1081) aliosque auctores, ab iisque erronee ascribitur diei 16 sept. 1877, uti notat Monitore Eccl. X pars II, pag. 241, nota 3. Genuinus sensus et dies repetitur in responso SO 30 nov. 1898 B. Unde etiam patet, responsum diei 12 sept. 1877 plene concordare cum reliquis decretis. Etenim secunda manuum impositio (seu rectius dexterae extensio) est facta post primam manuum impositionem, non tamen satis continuata ad rubricae normam; sed hoc non obest ordinationi, uti iterum SO 30 nov. 1898 B declaravit.

SO 20 ian. 1886 (Collect. P. F., n. 1963 nota 1; CIC Fontes, n. 1098).

« Super ordinatione presbyterorum collata cum *calice pleno aquae loco vini*, E.mi PP. decreverunt: ' *Ordinationem iterandam* esse secretissime et sub condicione ' ».

SP 31 martii 1888 (Bucceroni, pag. 422; Ballerini-Palmieri, V n. 898).

Si Episcopus post primam impositionem manuum *dexteram nullatenus extendit*, ordinatio presbyterorum *iteranda* est sub condicione.

SO 22 ian. 1890 (Collect. P. F., 1723).

Ordinatio presbyterorum valet, si Episcopus manus *super pileolum* posuit, *quo capita* ordinandorum (in Sinis) *tegebantur.*

SO 22 iunii - 2 iulii 1892 (Collect. P. F., n. 1800).

Acquiescat sacerdos, qui in sua ordinatione certo tetigit hostiam, dubitat vero, num tetigerit patenam.

SO 7 sept. 1892 A (Collect. P. F., n. 1811; CIC Fontes, n. 1160; cfr c. 13 X 3, 41).

Si in calice ordinandis presbyteris tradendo *tantundem* vel forsitan etiam *plus aquae quam vini* erat, « *tota ordinatio iteretur* secreto et sub condicione ad cautelam ».

SO 7 sept. 1892 B (memoratum apud PERIODICA XXI 159*).

Ordinatio diaconalis valet, etsi Episcopus *dexteram nullatenus extenderat* versus ordinandos, postquam eâ tetigerat caput ordinandi.

SO 8 maii 1895 A (Monitore Ecclesiastico IX pars I pag. 91; Bucceroni, pag. 426).

Sacerdos acquiescat, qui in ordinatione presbyterali certo tetigit patenam, dubitat vero, num tetigerit calicem.

SO 8 maii 1895 B (Gennari, II pag. 63).

Sacerdos acquiescat, qui in sua ordinatione presbyterali « certo quidem tetigerat calicem et hostiam, utrum vero patenam immediate attigisset, dubitat ».

Nota. - Utrumque responsum diei 8 maii 1895 nititur hac ratione, quod « *calix et patena* porriguntur et tanguntur *per modum unius* » (Many, n. 295, 7).

SO 2 decembris 1896 (ASS 29, 560; Bucceroni, pag. 426).

Acquiescat sacerdos, qui negative dubitat:

1) num ipse Episcopus ordinans instrumenta porrexit, aliquo modo clerico ea sustentante;

2) num post primam manuum impositionem ipse ordinandus nimis secesserit, fortasse seiunctus ab aliis ordinandis, qui erant propiores altari.

1897

SO 17 martii 1897 A (ASS 30, 285; Bucceroni, pag. 423; Monitore Ecclesiastico X pars I, pag. 169).

Ordinatio sacerdotalis iteretur sub condicione, si neque Episcopus ordinans neque alii astantes recordantur, num Episcopus tenuerit manum dexteram extensam super ordinandum inter orationem « Oremus fratres carissimi ». Insuper sacerdotes assistentes ex mera oblivione impositionem manuum omiserant (quod magis suadet Episcopum quoque omisisse dexterae extensionem).

SO 17 martii 1897 B (Collect. P. F., n. 1963; ASS 29, 703).

Acquiescat sacerdos, qui in ordinatione presbyterali tetigit solam patenam simul cum hostia superpositam calici, non vero calicem, quamvis niteretur digitum admovere.

Nota. - « Ratio est, quia, ut dictum est, calix et patena porriguntur et tanguntur *per modum unius* » (Many, n. 295, 7; cfr CR 3 dec. 1651).

SO 17 martii 1897 C (Bucceroni, pag. 428; ASS 29, 703; Monitore Ecclesiastico X pars I, pag. 27).

Acquiescat sacerdos, qui in ordinatione presbyterali non indicibus et mediis digitis, sed pollicibus et indicibus primo cuppam calicis tetigit, postea vero, Episcopo formam proferente, solam patenam cum hostia calici superpositam.

SO 17 martii 1897 D (Bucceroni, pag. 428; ASS 29, 704; Monitore Ecclesiastico X pars I, pag. 28).

Acquiescat sacerdos, qui *prius tetigit instrumenta*, sed Episcopo formam proferente non iam potuit ea attingere, impeditus manibus aliorum, qui simul instrumenta tangebant.

Nota. - Sane « haec omnia moraliter uniuntur » (Many n. 295, 9).

SO 7 sept. 1897 (Bucceroni, pag. 426; ASS 30, 286; Monitore Ecclesiastico X pars I, pag. 170).

Acquiescat sacerdos, qui *dubitat*, num calicem et patenam *simul* tetigerit, immo putat patenam non attigisse.

Nota. - Ratio est, « tum quia calix et patena traduntur per modum unius, tum quia calix, relative ad suam patenam superpositam, est quasi continens » (Many, n. 295, 6).

SO 9 dec. 1897 (Collect. P. F., 1987; CIC Fontes, n. 1194).

Si Episcopus in ordinatione sacerdotali *formam tertiae impositionis manuum corrupit*, sub condicione « *suppleatur* ad cautelam a quovis Episcopo cum S. Sede communionem habente, induto de more, *tertia manuum impositio* et forma respectiva: ' Accipe Spiritum Sanctum ' etc. »

Videas CR 22 maii 1841 et SO 4 martii 18 4.

Nota. - « Nullum dubium est, quin ordinatus iam potestate consecrandae Eucharistiae instructus sit ». Unde non est iteranda integra ordinatio, sed sufficit supplere ritum omissum vel male administratum (Génicot-Salsmans, II n. 428, 2).

1898

SO 26 ian. 1898 (Collect. P. F., n. 1989; CIC Fontes, n. 1195; ASS 30, 476).

Si Episcopus caput diaconi ordinandi *non physice tetigit*, iuxta decretum diei 20 ian. 1875 « *iteretur sub condicione ordinatio diaconatus*; quae iteratio fieri potest a quocumque catholico Episcopo ». Die 28 ian. Ss.mus approbavit.

SO 20 aprilis 1898 (Collect. P. F., n. 1995; ASS 30, 750).

Ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus, porrigens instrumenta, formam paulum interrupit, nempe post verba « Accipe potestatem offerre » interrogando, num quidquam deficeret, et, audito responso negativo, prosequendo reliquam partem « sacrificium Deo etc. »

SO 8 iunii 1898 (Collect. P. F., n. 2004; ASS 31,60).

Episcopus acquiescat, qui ordinando quendam sacerdotem in tertia manuum impositione ad formam Accipe Spiritum Sanctum etc. « ob scabiem, qua ordinandi caput infectum erat, involuntario quodam motu manus amovit, ita ut nullus daretur physicus contactus ». Ceterum videbatur Episcopo « se caput ordinandi revera tetigisse initio prolationis formulae ».

SO 6 iulii 1898 A (Collect. P. F., n. 2008; CIC Fontes, n. 1201; ASS 31, 123; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 103).

Si in porrectione calicis et patenae hostia decidit in terram *ante* tactum instrumentorum et prolationem formae, sacerdotalem « *ordinationem esse iterandam ex integro,* sub condicione ». Die 8 iulii Ss.mus approbavit.

SO 6 iulii 1898 B (Collect. P. F., n. 2009; CIC Fontes, n. 1202; ASS 31, 124; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 103).

Si Episcopus, omissa protensione manus dexterae, recitavit orationem « Oremus, fratres carissimi » manibus ante pectus iunctis vel disiunctis (sicut ad orationes), « sacerdotes, de quibus agitur, *iterum ordinentur ex integro,* sub condicione ». Die 8 iulii Ss.mus approbavit.

SO 6 iulii 1898 C (Collect. P. F., n. 2010; ASS 31, 125; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 104).

Ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus omissam extensionem manus dexterae post impositionem stolae supplevit, seu « submissa voce (quin a circumstantibus audiretur) *repetiit exhortationem 'Oremus, fratres carissimi' etc.* cum oratione sequenti, et ipse solus » dexteram protendit super ordinandos, postea functionem reassumendo ab illis verbis: 'Accipe vestem sacerdotalem' etc. - Die 8 iulii Ss.mus approbavit.

SO 30 nov. 1898 A (Bucceroni, pag. 422; ASS 31, 508; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 104).

Ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus manum dexteram non extendit quidem initio orationis « Oremus, fratres carissimi », sed versus eius finem. Die 2 dec. Ss.mus approbavit.

SO 30 nov. 1898 B (Collect. P. F., n. 1482 nota 1; fusius apud ASS 31, 506 vel Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 241).

« Si post tactum physicum capitis ordinandorum Episcopus manum extensam habuerit super ordinandos, *saltem immediate ante* recitationem 'Oremus' etc., *ordinationem* (sacerdotalem) esse *certo validam*, ut in decreto S. Officii fer. IV, 12 sept. 1877. Si autem *nequidem immediate ante* recitationem Oremus etc. illa manuum extensio facta fuerit, *ordinationem esse iterandam* secreto et sub condicione ». Die 2 dec. Ss.mus approbavit.

SO 14 dec. 1898 A (Bucceroni, pag. 426; ASS 31, 530; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 265).

Ordinatus sacerdos acquiescat, si postea « dubitavit aut saltem non recordatus est, an, dum forma ab Episcopo prolata fuit, immediate tetigerit patenam necne ». Die 16 dec. Ss.mus approbavit.

Nota. - Ratio est, « tum quia *calix et patena* traduntur *per modum unius*, tum quia calix, relative ad suam patenam superpositam, est *quasi continens* » (Many, n. 295, 6).

SO 14 dec. 1898 B (Bucceroni, pag. 422; ASS 31, 531; Monitore Ecclesiastico X pars II, pag. 265).

Ordinatio sacerdotalis valet, si episcopus dexteram manum inter orationem 'Oremus, fratres carissimi' etc., non extendit, sed ea finita aliquamdiu extensam tenuit, etsi verba non repetens.

Nota. - « Practice sufficit, pro sacramentorum valida administratione, quod non absolvantur verba formae, antequam materia adhiberi incipiat, quodque coepta sit verborum prolatio, antequam absoluta fuerit materiae collatio; immo tuto haberi potest uti validum sacramentum, si materiae applicatio *immediate* praecesserit vel secuta fuerit formae prolationem. Hoc passim admittitur pro Ordine ». (De Smet, Tractatus dogmatico-moralis de Sacramentis in genere etc. ed. 2, n. 149.) De unione morali materiam inter et formam in s. ordinatione fuse agit Card. Gennari II p. 188-196.

1899

SO 11 ianuarii 1899 (Collect. P. F., n. 2032; CIC Fontes, n. 1213; ASS 31, 640).

Si « presbyteris ordinandis traditus sit una cum patena et hostia *calix absque vino..., ordinationem esse iterandam* ex integro sub condicione ».

SO 3 maii 1899 (Collect. P. F., n. 2047; ASS 32, 63).

Ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus *duplicem manuum impositionem omissam supplevit* (quod et fecerunt presbyteri adstantes) una cum repetitione exhortationis 'Oremus, fratres carissimi' dummodo « repetitio formae et manuum duplex impositio facta fuerit *ante instrumentorum traditionem* ».

CR 20 iunii 1899 (Decr. auth., n. 4035 ad 5).

In ordinatione *ostiariorum* in praxi servandum est Pontificale Romanum, iubens *plures claves* esse tradendas.

SO 19 iulii 1899 (Collect. P. F., n. 2058; CIC Fontes, n. 1226; ASS 32, 188).

Si Episcopus, utraque manu singulis ordinandis presbyteris imposita, iam non extendit dexteram super eos, sed librum Pontificalis ordinavit tenuitque recitans exhortationem « Oremus, fratres carissimi »: « cum non constet de extensione manuum saltem per momentum, sacram ordinationem privatim repetendam esse sub condicione ». Ss.mus approbavit.

1900

SO 17 ian. 1900 A (Bucceroni, pag. 426; ASS 32, 557).

Ordinatio sacerdotalis valet, si ordinandus, antequam Episcopus formam inciperet, tetigit quidem calicem et patenam, sed inter integram formam, nitens attingere hostiam quoque, utramque manum amovit a calice solamque patenam sublatam supra calicem tetigit, non valens hostiam attingere.

SO 17 ian. 1900 B (Collect. P. F., n. 2075; CIC Fontes, n. 1234; ASS 32, 556).

Si in traditione instrumentorum defuit hostia super patena, « ordinationem esse iterandam ex integro sub condicione . . . a quocumque catholico Episcopo ». Ss.mus approbavit.

SO 4 iulii 1900 (Collect. P. F., n. 2086; CIC Fontes, n. 1241; ASS 33, 128).

Si Episcopus in prima manuum impositione capita ordinandorum sacerdotum *non tetigit physice*, ordinatio est iteranda ex integro sub condicione. Ss.mus approbavit.

SO 22 augusti 1900 (Collect. P. F., n. 2092; CIC Fontes, n. 1244; ASS 33, 224; Monitore Ecclesiastico XLIV (1932) 76).

Si Episcopus (cum sacerdotibus astantibus) omissam (utramque manuum impositionem in ordinatione presbyterorum demum

post communionem supplevit, repetita sola oratione 'Oremus, fratres carissimi', prosequens deinde verba 'Iam non dicam vos servos', « ordinationem esse iterandam ex integro sub condicione ». Ss.mus approbavit.

SO 28 nov. 1900 (ASS 33, 374; Monitore Ecclesiastico XII 437).

Episcopus acquiescat, qui in ordinatione sacerdotali, ungens manus ordinandorum, omisit verba « ut quaecumque benedixerint, benedicantur etc. » usque ad secundum Amen, sed in unctione ultimi ordinandi, cognito defectu, intendit verba omissa proferre supra omnes simul.

Nota. - In casu verba moraliter uniuntur cum unctione peracta. Ceterum unctio manuum non est pars integralis ordinationis sacerdotalis.

1901

SO 16 ian. 1901 (ASS 33, 420; Monitore Ecclesiastico XII 482).

Ordinatio sacerdotalis valet, si plures ordinandi simul tangebant calicem cum vino et patenam cum hostia, Episcopo proferente formulam in singulari « Accipe potestatem offerre etc. »

1902

SO 7 maii 1902 (Collect. P. F., n. 2140; CIC Fontes, n. 1259).

Ordinatio sacerdotalis iteranda est sub condicione, si in prima manuum impositione Episcopus *non physice tetigit capita* ordinandorum. Ss.mus approbavit.

1903

SO 11 martii 1903 (Bucceroni, pag. 427; ASS 36, 115).

Ordinatio sacerdotalis valet, si in calice ordinandis porrecto *aqua* credatur paulo *superasse quintam vini partem.*

1910

CS 6 nov. 1910 (Bucceroni, Supplementum II, pag. 89).

Si *in calice* ordinandis presbyteris porrecto *saltem tandundem aquae* quantum vini erat et hic defectus ante ultimam impositionem manuum seu post communionem Missae correctus est, nihilominus *ordinatio sacerdotalis integra est iteranda* sub condicione.

Nota. - Ad valorem ordinationis sacerdotalis censetur pertinere et duplex manuum impositio et subsequens instrumento-

rum traditio, atque nexus inter utramque. Qui nexus deest, si sola instrumentorum traditio repetitur. Ideo oportet *in tali casu utramque repetere*, i. e. praemissa duplici manuum impositione tradere instrumenta.

1917

CR 12 ian. 1917 (Decreta auth., n. 4339).

Ex rubrica PONTIFICALIS « ungendo mox *totaliter palmas* », « intelligenda est *pars interior manus inclusis digitis* » (ad 1).

Sacerdos autem miles, cui ablatus est index in bello et data permissio celebrandi cum digito medio, minime indiget unctione eiusdem digiti medii, antequam celebret (ad 3).

1925

CS 21 iunii 1925 (in archivo S. Congr. de Sacramentis, sub n. 818; Periodica XXI 158*).

Idem responsum ac sub die 6 novembris 1910, ut supra.

1932

CS 1932 (Periodica XXI 159*).

Ordinatio diaconalis valet, etsi Episcopus *dexteram nullatenus* versus ordinandos *extendit*, postquam ea tetigerat capita ordinandorum.

SO 11 aprilis 1932 (Periodica XXII 133).

Ordinator acquiescat, qui peracta ordinatione sacerdotali « probabile nunc existimat maiorem habitam esse quantitatem aquae quam ad valide consecrandum haberi oportuit, etsi *copia vini* copiam aquae *superaverat* ».

Nota. - « Probabiliter conicies in casu nunc proposito dubium ministri consideratum esse ut *scrupulosum*, praesertim cum fateretur *maiores mansisse partes vini* ». (R. P. Vermeersch apud Periodica XXII 133).

PARS ALTERA

Responsa S. Sedis de defectibus in collatione ordinam occurrentibus iuxta ordinem materiae digesta.

Praenota. Citantur responsa cum die, mense et anno, ut facile in parte prima citoque inveniri queant.

Litteris capitalibus (A, B etc.) anno appositis distinguuntur plura responsa eodem die data. Citantur etiam notae quibusdam responsis in parte prima additae.

Generalia de prima tonsura et ordinibus minoribus.

Caerimonia, qua quis efficitur clericus, tota est ecclesiasticae institutionis. Similiter ordines ecclesiastica dispositione separatim constituti sunt ex toto potestativo, quod est sacramentum ordinis (R. P. VERMEERSCH apud Periodica XIV [27]). Sunt igitur ritus per analogiam sacramenti instituti.

« Valor horum ordinum diiudicandus est secundum regulam consuetae earum rerum, quae ab Ecclesiae potestate pendent, videlicet: si secundum *probabilem* interpretationem ecclesiastici praescripti omnia essentialia observata sunt, ordinatio non probabiliter tantum, sed *certo* valida est. Nam

a) communis regula est, non plus requiri ad actus valorem, qui ab humana potestate pendeat, quam quod *certo* demonstretur requiri, seu id certo excludi a necessariis valoris condicionibus, quod probabiliter non requiritur;

b) si quae vere probabilis praescripti interpretatio falsa forsitan sit, Ecclesia, quod ab ipsius potestate pendet, supplere omnino consuevit (LEHMKUHL II n. 733, 2; R. P. VERMEERSCH, ib.; BALLERINI-PALMIERI, V n. 888).

De prima tonsura.

Ritus essentialis: Episcopus aliquot capillos incidit, ordinando interea recitante formulam: 'Dominus pars hereditatis meae' etc. (GASPARRI, n. 1014; MANY, n. 292). Episcopus quoque iubetur eadem verba proferre, ut mos fert (CR 12 nov. 1831 ad 3); sed hoc non pertinet ad valorem (GASPARRI et MANY, ib.).

Si ordinandus solum dixerit « Dominus pars hereditatis meae », reliquis verbis omissis, ordinatio valet, quia verba prolata satis intentionem clericatus exprimunt; « reliqua verba mere maiorem explicationem continent vel exspectatam mercedem enuntiant » (Periodica XIV [28]).

Collatio primae tonsurae *dubia* est, si Episcopus incidit comam ficticiam (GASPARRI, n. 1014; MANY, n. 292; cfr CR sept. 1846). « Quare, deficientibus prorsus capillis propriis, satius erit recurrere ad S. Sedem » (VERMEERSCH, Theol. Moral. III² n. 674).

Impositio superpellicei cum verbis relativis est recentissima neque essentialis (MANY, n. 292); immo si omissa sit, non est necessario supplenda (GASPARRI, n. 1015; MANY, n. 302).

De ostiariatu.

Ritus essentialis: Episcopus, recitans verba « Sic agite etc. », ordinandis porrigit claves manu dextera utcumque tangendas (GASPARRI, n. 1017; LEHMKUHL II n. 735 I; MANY, n. 288).

De traditione clavium. Una clavis *sufficit,* sed *praecipitur,* ut *plures* seu duae (Reg. 40 iuris in VI) adhibeantur, ex *qualibet materia,* dummodo aptae sint ad aperiendum; non oportet ut sint claves ecclesiae, quia potestas non ad determinatam ecclesiam, sed in genere confertur, quod quacumque clavi exprimitur; claves possunt denique *a pluribus simul tangi.* CR 11 martii 1820; PF 27 sept. 1843 et 23 martii 1844; CR 20 iunii 1899.

De aperiendo ostio et pulsanda campana. Ceteri ritus sunt de praecepto, sed *non de valore;* secus Episcopus deberet eos perficere (cfr SO 1 aug. 1697). Hi ritus sunt, ut ordinandus, duce archidiacono, claudat et aperiat ostium ecclesiae, quod non necessario cum clavi facere debet; praeterea apprehenso fune

pulset campanas; sed sufficit una campana, aut si desit vel distet, tintinnabulum altaris. CR 12 nov. 1831 ad 5; 27 sept. 1873 ad 2-4.

Utraque haec caerimonia non est supplenda, si forte sit omissa (GASPARRI, n. 1018; MANY, n. 302).

De lectoratu.

Ritus essentialis: Episcopus sub debita forma porrigit ordinando librum continentem S. Scripturam ex toto vel ex parte, scil. Missale vel Breviarium vel volumen S. Scripturae (CR 27 sept. 1873 ad 5; GASPARRI, n. 1021; LEHMKUHL, II n. 735 II; MANY, n. 289).

Quomodo oportet tangere librum ab Episcopo porrectum in ordinationibus?

Ordinandi ponant dexteram digitis iunctis in tegumento libri; inepte quidam insistunt, ut simul pollice folia tangant. « Quam rem quis excogitaverit nescimus » (Periodica XXII 179*). Nonne qui tegumentum apprehendit, in communi aestimatione hominum librum capere censetur? Liber ordinando committitur adhibendus; ideo ei porrigitur et ab eo imposita manu capitur. Sane indecens videtur esse et subridiculum pariterque maiestate rituum indignum, avocare ordinandorum attentionem ad inutilia, v. g. admovere pollicem ad folia.

Idem valet, quotiescumque liber in ordinationibus ab Ordinante porrigitur ordinandis.

De exorcistatu.

nihil peculiare dicendum occurrit.

De acolythatu.

Ritus essentialis: Episcopus cum respectivis verbis porrigit ordinandis tam candelabrum cum candela exstincta quam unum urceolum vacuum pro vino sa-

crificii. Traditio utriusque instrumenti cum relativis verbis censetur essentialis (GASPARRI, n. 1025; LEHMKUHL, II n. 735 IV; MANY, n. 286). Nequit porrigi palmatoria praelatorum loco candelabri (CR 8 iunii 1709).

Quomodo oportet tangere candelabrum cum candela in casu ?

Id patet ex verbis Pontificalis: Pontifex « tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, *quod* successive manu dextera singuli tangant ». « Igitur candelabrum dumtaxat ab iis manu tangendum est, quoniam utique qui accipit candelabrum, accipit etiam candelam quae in eo infixa est... Ceterum ordinandis non traditur candelabrum *et* candela (quae instrumentum seu vas sacrum non est), sed candelabrum tantum candela sua ornatum » (R. P. HANSSENS ap. Periodica XXII 178*). Dubium autem « non videtur, quin tactus instrumentorum ab ordinando agendus inchoatus quidam sit gestus, qui, si perficiendus esset, instrumentorum prehensio evaderet » (idem, l. c., 177*). Nihilominus sunt, qui requirant, « ut ordinandi candelabrum pollice, ipsam candelam indice tangant, quamquam hic gestus *inepte* susceptionem sacri instrumenti, praesertim candelabri, exprimit » (l. c., p. 178*).

Si quis econtra solam candelam tangit, mediate accipit candelabrum, cui candela adhaeret; unde omnino sufficit ad valorem, sicut ceterum declaratum est, initiandos presbyteratu posse acquiescere, si solum patenam tetigerunt (Periodica XIV (28); SO 17 martii 1897 B).

Generalia de ordinibus maioribus

In ordinibus maioribus « id omne observari plane debet, quod probabiliter tantum, etiam, ex ratione non adeo gravi, ad valorem sacramenti pertinere putatur, ne scilicet sacramentum nullitatis periculo subiciatur ». Ceterum notari debet, « ad *valorem* presbyteratus nul-

lum ex inferioribus ordinibus, ne diaconatum quidem, esse necessarium » (LEHMKUHL, II n. 734, 3).

De subdiaconatu.

Ritus essentialis: traditio calicis vacui cum patena vacua (GASPARRI, n. 1034; MANY, n. 284, 2); quae sint consecrata, non vero de valore, tum quia significatio procedit ex forma materiali (GASPARRI, ib.), tum quia nulla rubrica id requirit (MANY, n. 263). Si haec vasa vinum vel hostiam continerent, ordinationem valere non est dubium (GASPARRI, n. 1014).

Ordinatio subdiaconalis iteranda est, si calicem cum patena non ipsemet Episcopus porrexit ordinandis (SO 1 aug. 1697).

De tactu calicis.

In ordinatione subdiaconorum duo vel tres simul tangant calicem cum patena, Episcopo formam proferente (CR 11 martii 1820 ad 4).

Rubrica Pontificalis haec est: « Pontifex accipit et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, *quem* successive manu dextera singuli tangunt ». Unde nullum est praeceptum tangendi patenam; ceterum calix et patena porriguntur per modum unius (MANY, n. 289, 2). Ideo sufficit quoque, si quis tetigerit solam patenam, non vero calicem, ut pro ordinatione sacerdotali S. Officium bis respondit, scilicet die 8 maii 1895 A ac 17 martii 1897 B.

Paulo fusius hac de re scripsit R. P. HANSSENS (Periodica XXII 179*), ut sequitur. Pontificale Romanum decernit ac clare statuit « calicem dumtaxat, cui superposita sit patena, ab ordinando dextera esse tangendum ». Omnino perperam autem a nonnullis exigitur, ut patena quoque tangatur. « Etenim ministerium subdiaconi quod calicem et patenam attinet, in eo est, quod illa in usum sacrificii diacono offerat. Hoc

autem agit, cum vasa sacra ad altare per modum unius rei affert, calicem, cui superposita est patena, manu sinistra gestando. Quod enim manum dexteram patenae palla et velo coopertae imponit, hoc ideo tantum agit, ne patena e calice decidat, vel alia simili de causa. Adde quod ratio tangendi, quem usus novus necessario secum fert, i. e. ut ordinandus calicem pollice tantum, patenam ceteris digitis tangat, *male cum significatione alicuius apprehensionis* seu susceptionis *congruit* ».

Traditio libri epistolarum vel Missalis (CR 27 sept. 1873 ad 7) non est pars essentialis, sed recentissima et integralis. Si igitur omissa vel ab alio quam ab Episcopo facta est, non repetitur integra ordinatio, sed sola traditio libri (CC 10 ianuarii 1711; MANY, n. 284; cfr SO 1 aug. 1697). Quo in casu sufficit, ut Episcopus ordinato subdiacono porrigat librum, etiam privatim extra Missam, adhibita forma: « Accipe librum epistolarum etc. ». Idem declaratum est pro diaconatu (CR 16 iunii 1837).

Ritus accidentales sunt traditio urceolorum vel ideo, quia non fit per Episcopum; item impositio amictus, manipuli et tunicae; hi ritus *non supplentur,* si forte omittebantur (GASPARRI, n. 1033; MANY, n. 302). Ceterum amictus statim post impositionem demittendus est, non vero in capite tenendus usque ad finem orationis (CR 11 sept. 1847).

Denique memorasse iuvat *ritum exiguum faciendi gressum versus Episcopum,* cui nonnulli nimiam vim tribuunt. Episcopus, admonens ordinandos de obligationibus ordini annexis, ita concludit: « Si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite ». Iuxta verba Pontificalis « illis tunc accedentibus » ordinandi paulo propius ad Episcopum accedunt. « Non oportet exaggerare vim rituum; hic ritus mere significat, omnibus bene perpensis, se praesen-

tare ordinationi. Votum igitur castitatis huic ritui non inest, nullaque obligatio irrevocabilis eo contrahitur » (GONTIER, Explication du Pontifical, p. 170 sq.; LE VAVASSEUR-HAEGY, Cérémonial des Ordinations, ed. 3, p. 49 nota 1). Obligatio castitatis sola receptione ordinis contrahitur, ut ex verbis Episcopi manifestum est: « Quod si *hunc ordinem susceperitis,* amplius non licebit a proposito resilire, sed... *castitatem,* illo (Deo) adiuvante, *servare oportebit* ».

Scientia liturgica « debet imbui principiis theologiae, maxime in materia sacramentorum, ut attribuat singulis ritibus propriam vim ». Ita GONTIER (l. c., p. 170 nota 1), qui ibidem exscribit ex Catalano, Pontificale Rom. de ordinatione subdiac., § 4 (ed. Parisiis 1850) haec:

« Hic forte confutanda foret illa nova, absona ac prorsus inaudita opinio, quam vigere novimus in pluribus seminariis, de vi et proprietate illius accessus... Difficile sane foret a mentibus, de quorum loquimur, illud praeiudicium evellere, quo, caeca et vulgari traditione, censent illos, quibus contigit ad Episcopum ita *sollemniter* accedere, quod aiunt ontonomastice ' faire le pas ', ipso facto, saeculo renuntiasse, nec amplius deinceps nuptias posse validas inire... Quae quidem opinio longe ab illis esset, si rite docerentur continentiae debitum ab Ecclesia imponi his, qui sacrum subdiaconatus ordinem susceperint, non vero iis, qui nondum illo insigniuntur. Quod si Episcopus dictam admonitionem omitteret, ut fit pro regularibus, tunc non haberent praefati ordinandi occasionem ad Pontificem *celeberrimo illo gressu* procedendi; numquid tales se a subdiaconali continentia immunes iudicarent?... His serio consideratis, nemo est qui non videat, quantum *liturgicae gravitati* adversatur *impetus ille* quo, in quibusdam ecclesiis, vocati ad subdiaconatum, *theatrico* saltem *more,* ad Pontificem et altare procedunt ».

Haec admonitio et accessus subsequens omittenda sunt, si omnes ordinandi sunt religiosi votorum sollemnium (rubr. Pontif.; Commentarium pro Religiosis V pp. 226-228; P. VICTOR, S. Liturgiae Promptuarium, I p. 469 nota 4; MARTINUCCI-MENGHINI, Manuale Sacrarum caeremoniarum, ed. 3, pars II vol. II, pag. 43 n. 90; pag. 81 n. 244). Hi enim professione sollemni iam contraxerunt istam obligationem castitatis perpetuo servandae, quae ceteris susceptione huius ordinis imponetur, ideoque satis inutiliter de ea monerentur (Commentarium pro Religiosis, ib.).

Quoad reliquos autem ordinandos, si ista admonitio vel subsequens accessus ex quavis causa omittitur, *omnino nihil est supplendum.* Nam primo ordinandi animum suscipiendi subdiaconatum etiam hoc modo revelant, quod audita admonitione non recedunt, sed ante altare remanent. Deinde vero neminem horum ordinandorum amplius fugere poterit cognitio istius obligationis, cum ex instructione S. Congregationis de Sacramentis diei 27 decembris 1930 necnon S. Congregationis de Religiosis diei 1 decembris 1931, ordinandi omnes de ea religiose edocendi sint et iusiurandum scripto consignatum edere debeant se clare percipere obligationem caelibatus eamque toto vitae tempore diligentissime servaturos esse. Quare hodie ista monitio pro quibusvis ordinandis, non solum pro regularibus, supervacanea censeri poterit. Eo minus igitur quidquam supplendum esset, si locum non habuit.

De diaconatu.

Ritus essentialis: Episcopus dextera capita ordinandorum (licet pileolo etc. tecta: cfr SO 22 ian. 1890) *physice tangit;* forma autem sunt verba concomitantia « Accipe Spiritum Sanctum etc. », et subsequens pars orationis eucharisticae (praefationis), inter quam Epis-

copus dexteram extensam versus ordinandos tenet (Gasparri, n. 1049; Many, n. 267 A et 268; Lehmkuhl, II, n. 737).

Si Episcopus *non physice* caput ordinandi tetigit, *integra ordinatio* sub condicione *repetenda* est (SO 19 aug. 1851, cum nota; 20 ian. 1875; 26 ian. 1898).

Ordinatio autem *valet,* si Episcopus *omisit protensionem dexterae* versus ordinandos inter orationem « Emitte in eos etc. » (SO 7 sept. 1892; CS anno 1932). Ratio est, quia Episcopus notabilem partem formae iam profert, cum dexteram « ponit super caput cuilibet ordinando ». Reliqua autem formae pars cum impositione manus moraliter est unita; qua de re videas notam additam responso SO 14 dec. 1898 B. Aliter est in presbyteratu conferendo; prima enim manuum impositio fit in silentio et longo intervallo separatur a forma, donec scilicet sacerdotes imposuerunt manus. Ideo presbyteratus repetendus est sub condicione, si *post* impositionem utriusque manus in silentio, Episcopus nullatenus extendit dexteram manum, ut infra accuratius dicetur.

Traditio libri evangeliorum vel missalis (CR 27 sept. 1873 ad 7) est, ut in subdiaconatu, pars integralis ordinationis ideoque supplenda, si in ordinatione omissa vel male, v. g. non ab Episcopo, facta est (CR 16 iunii 1837; Many, n. 267 B; cfr SO 1 aug. 1697).

Non suppletur impositio stolae et dalmaticae forte omissa (Many, n. 302).

De presbyteratu.

Iterum monemus nos nullatenus ingredi quaestionem *theoreticam* de materia et forma huius sacri ordinis, sed mere *practicam* tractaturos esse. Quae igitur in responsis S. Sedis necessaria esse dicuntur, etiam hic ita proponuntur, quia in praxi oportet sequi

partem tutiorem. Iamvero iuxta responsa Romana hae sunt *partes essentiales*, adeo ut integra ordinatio sub condicione iteranda sit, si vel una harum desit:

1) Duplex manuum impositio, i. e. physica utriusque manus impositio super caput ordinandorum et subsequens extensio manus dexterae super ordinandos universos;

2) traditio per Episcopum facienda calicis cum vino et patenae cum hostia.

De quibus mox est accuratius agendum.

Pars integralis est tertia impositio manuum post communionem Missae facienda, quae supplenda est, si omissa vel male facta est, ut infra dicetur.

De impositionibus manuum.

Tres habentur hic impositiones manuum:

a) Pontifex « imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi successive, nihil dicens; idemque faciunt post eum omnes sacerdotes, qui adsunt, quorum tres aut plures planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent » (rubrica Pontif.). Haec dicitur *prima manuum impositio.*

b) « Quo facto tam Pontifex, quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra dicit: 'Oremus, fratres carissimi' etc. » (rubr. Pontif.). Haec dicitur *secunda manuum impositio;* est potius extensio vel protensio dexterae versus ordinandos, seu impositio manus collectiva, quia fit super omnes simul.

c) Post communionem Missae « Pontifex, cum mitra sedens super faldistorium ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet: Accipe Spiritum Sanctum etc. » (rubr. Pontif.).

Haec denique dicitur *tertia manuum impositio.*

De singulis vero manuum impositionibus haec sunt dicenda.

De prima manuum impositione.

Episcopus debet capita ordinandorum *physice tangere;* secus *tota ordinatio* sub condicione est *iteranda* (SO 19 aug. 1851, cum nota; 4 iulii 1900; 7 maii 1902). Nihil vero obstat, si caput ordinandi non est nudum, sed pileolo tectum (SO 22 ian. 1890). Sufficit igitur *tactus corporalis mediatus,* velut si Episcopus « tangat caput pileolo aut coma adsciticia coopertum » (Many, n. 262, 2). Ceterum ipse Episcopus imponit manus chirothecis contectas, ita iubente Pontificali (GENNARI, II, p. 62).

Si Episcopus primam et secundam manuum impositionem omisit, sed *ante* instrumentorum traditione *supplevit,* ordinatio valet (SO 3 maii 1899). Si vero omissam duplicem manuum impositionem *post* instrumentorum traditionem, v. g. post communionem supplevit, quin repeteret etiam traditionem instrumentorum, *ordinatio integra* sub condicione est *iteranda* (SO 22 aug. 1900; LEHMKUHL, Casus conscientiae II[4] n. 703).

Utrumque essentiale censetur, scilicet: duplex manuum impositio et subsequens instrumentorum traditio, quae magis explicat duplicem manuum impositionem ideoque et post eam fieri et nexum cum ea habere debet. Audiatur cl. BUCCERONI (Inst. Theol. Moral. III[6] p. 561 n. 883):

Prima etiam manuum impositio, et quidem *tactu physico,* necessaria est, et unam adhuc manuum impositionem simul cum secunda constituit. « Ratio est, quia si in prima manuum impositione desideratur *forma,* in secunda manuum impositione *corporalis tactus* desideratur. Verum si dicatur primam manuum impositionem

constituere simul cum secunda manuum impositione, quae prioris continuatio est, unam manuum impositionem, et utrumque habetur: corporalis tactus et forma. Utraque vero manuum impositio traditionem instrumentorum praecedere debet. ... Forma enim *Accipe potestatem,* quae comitatur traditionem instrumentorum, complet manuum praecedentem impositionem cum oratione, quae eam comitatur. Quare bene dici potest, quod prima et secunda manuum impositione simul cum traditione instrumentorum conferatur potestas in Corpus Christi physicum, tertia autem manuum impositione conferatur sacerdoti potestas in Corpus Christi mysticum. ' Dominus discipulis dedit potestatem sacerdotalem, quantum ad principalem actum ante Passionem in Cena. ... Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere.' S. Thomas, Summa theol., Supplementum q. 37 a. ad 2 ».

Impositio manuum per omnes *vel* per aliquot sacerdotes astantes fieri potest (CR 31 iul. 1821 ad 6, cum nota), eaque non suppletur, si forte omissa est (PF 6 aug. 1840, cum nota), quia « manuum impositio, quam alii presbyteri faciunt, sollemnitatis non necessitatis est » (Decreta auth. CR, vol. 4 p. 220).

De secunda manuum impositione seu de extensione dexterae versus ordinandos.

Oportet distinguere, quid de praecepto et quid de necessitate sacramenti hac in re fieri debeat.

De praecepto est, ut Pontifex et sacerdotes astantes, vix facta impositione utriusque manus (i. e. peracta prima manuum impositione) statim dexteras manus extendant easque sic extensas teneant, donec Episcopus orationem « Oremus, fratres carissimi » absolverit. (CR 18 febr. 1843; 31 aug. 1872).

In sequentibus casibus censetur impositio manuum cum sua forma seu oratione « Oremus, fratres carissimi » satis unita esse seu ad valorem ordinationis sufficere. Ordinatio igitur *adhuc valet,* si Episcopus *dexteram extensam tenet tantummodo:*

a) *per intervallum* post primam manuum impositionem usque ante orationem « Oremus, fratres carissimi » (SO 12 sept. 1877, cum nota; 30 nov. 1898 B);

b) *immediate ante* orationem « Oremus, fr. carissimi » (SO 30 nov. 1898 B);

c) inter orationem « Oremus, fr. carissimi », non vero « per intervallum, quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit » (SO 27 apr. 1870; CR 14 iunii 1873);

d) versus finem eiusdem orationis, immo demum post eam per aliquod tempus (SO 30 nov. 1898 A; 14 dec. 1898 B);

Cfr notam post responsum SO 14 dec. 1898 B et praesertim Card. Gennari. Videas notam post responsum SO 14 oct. 1898 B. (Consultazioni morali II[3] p. 188 ss).

Si dexterae extensio prorsus omissa est, i. e. si neque ante, neque inter, neque post orationem « Oremus, fr. carissimi », locum habuit, ordinatio est iteranda ex integro sub condicione (SP 31 martii 1888; SO 17 martii 1897 A; 6 iulii 1898 B; 30 nov. 1898 B; 19 iulii 1899).

Si Episcopus omisit quidem hanc dexterae extensionem, sed eam *ante* traditionem instrumentorum supplevit, simul submissa voce repetens praefatam orationem « Oremus, fr. carissimi », ordinatio valet (SO 6 iulii 1898 C).

Sacerdos dubitans, num nimis ab aliis ordinandis secesserit inter secundam manuum impositionem, acquiescat (SO 2 dec. 1896).

De tertia manuum impositione.

Si haec tertia manuum impositio omissa vel male administrata est, sufficit eam solam repetere; « nam nullum dubium est, quin ordinatus iam potestate consecrandae Eucharistiae instructus sit » (GÉNICOT-SALSMANS, II n. 428, 2; SO 3 dec. 1637).

Si igitur Episcopus *erravit in forma,* qua confertur potestas remittendi vel retinendi peccata, sub condicione *suppleatur tertia manuum impositio* et respectiva forma « Accipe Spiritum Sanctum etc. », sine caerimoniis accidentalibus antea adhibitis (SO 27 maii 1840; CR 22 maii 1841; SO 4 martii 1874; 9 dec. 1897).

Si *defuit tactus corporalis,* item *supplenda* est cum tactu corporali et forma praedicta (SO 19 aug. 1851, cum nota; MANY, n. 295 C). In dubio negativo de tactu corporali nihil faciendum est (SO 8 iunii 1898).

De unctione manum.

Depositis chirothecis « Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit: Consecrare et sanctificare digneris Deus etc. » (rubr. Pontif.).

Ungenda est pars interior manus, inclusis digitis (CR 12 ian. 1917 ad 1).

Si omissa est unctio manuum, supplenda est (c. 1 X 1, 15; MANY, n. 301, 1; LEHMKUHL, Casus conscientiae II[4] n. 702). Nihil vero est supplendum, si unctio facta est cum s. chrismate (loco olei catechumenorum: SO 22 iulii 1874), aut cum oleo infirmorum, praesertim cum olim Pontificalia id permitterent (MANY, n. 301, 2).

Pariter acquiescendum est, si Episcopus pro singulis dimidiatam formam tantum pronuntiavit, et demum in unctione ultimi formam completam, intentione sua eam extendendo ad omnes ordinandos (SO 28 nov. 1900).

Sacerdos miles indice amisso non indiget unctione digiti medii, ut licentia celebrandi utatur (CR 12 ian. 1917 ad 3).

De traditione calicis et patenae.

Pontificale Romanum praecipit: « Pro ordinatione presbyterorum parentur.... calix cum vino et aqua, patena et hostia desuper posita ». Pontifex « tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia, et ipsi *illam* accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. R. Amen ».

Ut ordinatio certo valeat, calix cum vino et patena cum hostia debent:

1) continere materiam consecrabilem,

2) porrigi ab Episcopo,

3) et quidem post utramque manuum impositionem, sed in conexo cum ea,

4) tangi physice, licet mediate ab ordinandis.

De singulis requisitis haec sunt notanda.

De materia consecrabili.

Calix igitur debet continere vinum et patena hostiam apta sacrificio; secus non verificatur significatio traditionis. Non requiritur ut calix et patena consecrata sint, quia nullibi hoc praecipitur (cfr can. 11). Praeterea traditio significat potestatem celebrandi; sed ad valorem celebrationis consecratio calicis et patenae

nullatenus requiritur; denique calix et patena etiam non consecrata perfecte significant potestatem celebrandi (MANY, n. 263; BALLERINI-PALMIERI V, n. 905).

De calice cum vino.

Vinum sine aqua est materia valida sacrificii (rubr. Miss., de defect. IV 2) ideoque sufficit ad valorem ordinationis sacerdotalis. Aqua enim « non est de necessitate sacramenti » (l. c. IV 7), sed de praecepto tantum adhibenda (cfr can. 814 et 815 § 2).

Ordinatio sacerdotalis ex integro sub condicione est *repetenda*, si calix continet nihil (SO 11 ian. 1899), vel aquam tantum (SO 20 ian. 1886), aut tantundem vel forte etiam plus aquae quam vini (SO 7 sept. 1892 A), licet hic defectus post communionem Missae ante tertiam impositionem manuum correctus sit (CS 6 nov. 1910 et 21 iunii 1925); deest enim in hoc casu nexus cum prima et secunda impositione manuum (cfr locum cit. e cl. Bucceroni desumptum, ubi de prima manuum impositione sermo est).

Ordinatio sacerdotalis *valet*, si aqua vino admixta paulo superat quintam partem (SO 11 martii 1903), vel certo in minore quantitate quam vinum est (SO 11 april. 1932).

Iuxta auctores generatim licet in Missa vino aquam admiscere ad quintam partem, immo ad tertiam partem, si vinum sit generosum (BALLERINI-PALMIERI, IV, n. 845; CAPPELLO, De Sacramentis I² n. 294), numquam vero tantundem vel plus aquae quam vini (GASPARRI, De Eucharistia, n. 821).

De patena cum hostia.

Ordinatio sacerdotalis ex integro sub condicione est *repetenda*, si hostia defuit (CC 19 nov. 1707; SO 17 ian. 1900 B), vel in terram decidit *ante* tactum

instrumentorum et prolationem formae (SO 6 iulii 1898 A).

De traditione instrumentorum.

Episcopus ipse debet instrumenta porrigere; secus ordinatio sacerdotalis ex integro sub condicione est repetenda (SO 1 aug. 1697).

Praeterea traditio instrumentorum *debet sequi* utramque impositionem manuum (SO 3 maii 1899; 22 aug. 1900), et cum ea *habere conexum*, quia eam explicat et perficit. Unde non sufficit, traditionem male factam solam, i. e. absque utraque manuum impositione, supplere post communionem missae ante tertiam manuum impositionem (CS 6 nov. 1910; 21 iunii 1925).

In ordinatione presbyterorum « *cuilibet* tradendus est calix cum vino et aqua et patena cum hostia, et cuilibet formula repetenda est *in singulari:* ' Accipe potestatem etc. ' » (CR 11 martii 1820 ad 3). Sed ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus *pluribus simul* instrumenta porrexit (SO 23 ian. 1874), etsi formulam recitavit in singulari « Accipe potestatem offerre etc. » (SO 16 ian. 1901).

Item ordinatio sacerdotalis valet, si Episcopus porrigens instrumenta, formam paulum interrupit (SO 20 april. 1898).

De tactu calicis et patenae.

Episcopus porrigit calicem cum vino et aqua et patenam cum hostia; ex praecepto rubricarum ordinandus debet utroque medio digito tangere cuppam calicis et utroque indice patenam, nihil aliud. Etenim vinum et aquam tangit mediante calice, atque hostiam mediante patena; qui tactus physicus mediatus plane sufficit (GENNARI, II, p. 62).

Quod est manifestum ex rubrica Pontificalis et ab auctoribus vehementer inculcatur, quorum nonnulli hic citentur.

« Nullum prorsus est praeceptum tangendi hostiam (sicuti nec tangendi vinum), ut constat ipso textu Pontificalis : ' Cuppam calicis et patenam simul tangunt ' » (MANY, n. 295, 5). Etenim « qui tangit continens, tangit contentum ; unde nemo requirit, ut ordinandus tangat vinum ; item etiam sufficit, si quis tangat calicem, licet non patenam superpositam ; quia tunc calix et sua patena se habent per modum unius, vel quia calix, relative ad suam patenam superpositam, est quasi continens » (MANY, n. 264, 2).

Item GÉNICOT-SALSMANS (II n. 429 VIII 3) : « Nullo iure requiritur, ut tangatur hostia ». Consonant BALLERINI-PALMIERI (V n. 904) : « Advertere licet, perperam quosdam obtrudere necessitatem tangendi physice hostiam patenae impositam, qui tactus curtos habenti digitos sane difficilis est ».

Fusius autem cl. LEHMKUHL hanc quaestionem perpendit et dilucide solvit. « Ut legenti Pontificale patet, Ecclesia *praescribit* solum tactum cuppae calicis et patenae, non immediatum tactum hostiae, dicens : ' Tradit calicem cum vino et patenam superpositam cum hostia, et ipsi (scil. ordinandi) *illam* accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt '. Quibus verbis manifeste assignatur non hostiae, sed patenae contactus ; nam

a) vox ' illam ' obvio sensu grammaticali ad patenam refertur ; ... *c)* in forma ordinationis presbyteralis *impossibile est,* vocem ' illam ' ad aliud referri *nisi ad patenam ;* siquidem patena utique inter indices et medios digitos accipi potest, hostia minime, quae summum solis digitis indicibus potest tangi » (II, n. 743).

In opere Casus conscientiae, ed. 4, II n. 705, idem auctor adhuc magis insistit in hac re : « Evidenter

constat ex Pontificali *praescribi* solum tactum cuppae calicis et patenae, quam ordinandi iubentur accipere 'inter indices et medios digitos': ad quem modum hostiam accipere plane impossibile est, nisi Deus patret miraculum, in qualibet ordinatione auferens a patena materiae impenetrabilitatem ». Ceterum « necessarius ille solus tactus est, quem praescribit ritus Pontificalis: cuius praescriptio *de tactu hostiae* intelligi nequit nisi *per absurdum,* siquidem quod tangi debere dicit, id 'inter indices et medios digitos' accipiendum esse monet. Ergo tactus ille hostiae est inventio theologorum vel rubricistarum, qui ex suo ad ritum ab Ecclesia praescriptum novum ritum addunt ».

Qui novus ritus fons est novorum dubiorum. Nam ordinandi, manibus inunctis adhuc ligatis, hostiam vix attingere possent, nisi in margine patenae poneretur, uti frequenter fit. Tunc autem tactus patenae rubrica praeceptus vix fieri potest et plerumque non fit. Unde novum dubium pluries ab ordinatis Sanctae Sedi propositum: Utrum valide ordinatus sit, qui tetigit calicem et hostiam, non vero patenam. Ordinationem certo valere pluries respondit S. Officium, velut 25 iulii 1866, 22 novembris 1871, 9 iunii 1875 (uti refert GASPARRI, n. 1084), 22 iunii 1892 et 8 maii 1895 B. Sane qui tradit et tangit instrumenta, prout vult rubrica pontificalis, eiusmodi dubium iam a limine arcet. Aliud quoque dubium oriri posset: num hostia a multis ordinandis tacta atque oleo ac sudore infecta remaneat materia consecrabilis. Cui dubio nonnulli occurrerunt pluries mutando hostiam. Nonne etiam hoc dubium optime praecavetur per exactam rubricae Pontificalis observantiam?

Ex praecepto igitur rubricae PONTIFICALIS ordinandi utroque indice patenam et utroque medio digito

cuppam calicis tangere debent. Sed *ad valorem* ordinationis sufficit, si « alterutrum ex his instrumentis, scilicet vel calix vel patena, tactu physico acceptatum fuerit. Quod ex recentibus decretis certissime sequitur ». (LEHMKUHL, Casus conscientiae II[4] n. 705).

Ordinatio sacerdotalis enim valet, si ordinandi tetigerunt certo calicem et hostiam, non vero patenam (SO 25 iulii 1866; 22 nov. 1871; 9 iunii 1875; 22 iunii 1892; 8 maii 1895 B), aut patenam cum hostia tantum, non vero calicem (SO 8 maii 1895 A; 17 martii 1897 B), aut calicem tantum, non vero patenam (SO 7 sept. 1897 B; 14 decembris 1898 A). Eo magis valet ordinatio sacerdotalis, si ordinandus (etsi non indicibus et mediis digitis, sed pollicibus et indicibus) primo cuppam calicis tetigit, postea vero, Episcopo formam proferente, solam patenam calici superpositam (SO 17 martii 1897 C; 17 ian. 1900 A).

Iuxta MANY (n. 295, 7) « *calix et patena* porriguntur et tanguntur *per modum unius* »; unde totum accipit, qui partem capit. Egregie, pro suo more, rem demonstrat cl. LEHMKUHL ita:

« Postquam Ecclesia per supremum pastorem declaravit valori non obstare, etsi non utrumque vas, sed vel solus calix vel sola patena tacta fuerit, evidentissime pro futuris ordinationibus *ad valorem* non plus vult esse necessarium quam tactum alterutrius instrumenti, dum ambo offerantur » (Casus conscientiae II[4] n. 705). « Nam illa instrumentorum traditio cum certo sit *ecclesiasticae* institutionis, *si* ad valorem pertinet, non pertinet ad illum ultra voluntatem Ecclesiae seu supremi eius Pastoris. Verum si supremus Pastor declaravit acquiescendum esse, etsi alterutrum sacrum vas non fuerit immediate tactum, certo manifestat suam voluntatem, se nolle ad *valorem* ordinationis ulteriorem vel accuratiorem tactum pro necessario habere. Hinc si vel antea (cfr CC 28 maii 1796)

fuisset necessarius vel dubie necessarius, abhinc certo non amplius necessarius est ». (Theol. Moral. II n. 743).

Porro S. ALFONSUS (Theol. Moral., ed. Gaudé, VI n. 743) scribit: « Merito autem dicit ESCOBAR sufficere quoad valorem, quod materia *una manu* tangatur. Et pariter merito cum communi censent idem ESCOBAR ac PALAUS, CROIX cum GOBAT, et *Salmanticenses* cum VASQUEZ, CONINCK, BONACINA et AVERSA, sufficere tactum *mediatum,* nempe si contingatur calix, patena aut liber medio aliquo velo vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur ». Sic etiam BUCCERONI, Inst. Theol. Moral., ed. 6, vol. III n. 884, aliique.

Denique *ordinatio sacerdotalis valet,* si ordinandus *prius tetigit* instrumenta, postea vero, Episcopo formam proferente, aliorum manibus impeditus est (SO 17 martii 1897 D). In casu profecto habetur unio moralis inter materiam et formam; videas etiam notam supra additam decreto SO 14 dec. 1898 B.

Dubia autem negativa, etiam quoad tactum instrumentorum, sunt spernenda; cfr CR 3 dec. 1661 et 21 ian. 1863; SO 2 dec. 1896 et 14 dec. 1898 A.

De quibusdam ritibus accidentalibus.

Impositio stolae et casulae, forsan omissa, non est supplenda (MANY, n. 301, 5; GASPARRI, n. 1086; LEHMKUHL, Casus conscientiae II[4] n. 702; VERMEERSCH, Theologia Moral. III[2] n. 679).

Porro promissio oboedientiae post tertiam manuum impositionem non inducit novarum obligationum materiam, sed novum addit vinculum leve spontaneae promissionis (F. CLAEYS-BOÚÚAERT, De canonica cleri saecularis oboedientia I pp. 31-37; MANY, n. 301, 5; GASPARRI, n. 1070). Convenit, non vero necesse est, hanc promissionem, forte omissam, supplere (GASPARRI,

n. 1086). Agitur quippe de ritu accidentali, de quo BENEDICTUS XIV in epist. « Ex quo » diei 14 ian. 1747 fatetur: « Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus sollemnem illamo boedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetustissimum Ecclesiae morem ante mille annos indubitanter servatum, ut ex antiquis ritualibus colligitur » (CIC Fontes, n. 374 § 11).

Denique praeceptum grave est, ut ordinati sacerdotes recitent una cum Episcopo totam Missam ab oblatione hostiae usque ad finem; sed haec recitatio nullam novam potestatem addit ordinatis, ideoque non est supplenda, si omissa sit (GASPARRI, n. 1086; LEHMKUHL, II, n. 743; Idem, Casus conscientiae II[4] n. 702; VERMEERSCH, Theologia Moral. III[2] n. 679).

CONCLUSIO

Sic breviter concludere posse nobis videmur. Ex relatis responsis S. Sedis apparet *dubia* de collatione ordinum *ordinarie occurrentia* authentice esse resoluta ideoque in quam plurimis casibus *normam tutam* praesto esse, utrum acquiescendum an quidquam repetendum sit. Optandum igitur est, ut theologi, in tractanda quaestione practica, magis ad eadem responsa advertant; tunc enim, plerisque dubiis radicitus sublatis, cum ordinantes tum ordinandi securi reddentur.

FR. XAV. HECHT, P. S. M.

Estne Liturgia cultus mystericus?

In hac dissertatione nobis exponenda est et perpendenda nova quaedam at iamiam celebris theoria, quae liturgiam e christianis mysteriis constare affirmat. Haec porro non solum multo ultra meram cultus liturgici nominalem definitionem progrediens usque ad eius intimam naturam penetrat, at etiam tam alta atque ampla apparet ut non liturgicam tantum theologiam sed totam doctrinam de sacramentis ecclesiae et de vita spirituali suorum fidelium, seu theologiam sacramentalem et theologiam asceticam, valide afficiat. Per doctrinas autem etiam sacerdotum ac fidelium mores in bonum aut in malum formare nata est. Eius auctor praecipuus est P. Odo Casel OSB, monachus illustris monasterii Lacensis (Maria Laach) in Rhenania.

Hic compluribus iam libellis atque articulis, quorum plerique statim maximam propagationem nacti sunt, conceptus suos exponere conatus est. Praecipui sunt (ex ordine chronologico):

A) *Das Gedächtnis des Herrn in der altchristlichen Liturgie.* Die Grundgedanken des Messkanons (Ecclesia Orans, t. II), edit. 2.ª , 1920.

B) *Mysterium und Martyrium in den römischen Sakramentarien,* Jahrbuch für Liturgiewissenschaft, 2 (1922), pp. 18-38.

C) *Die Liturgie als Mysterienfeier* (Ecclesia Orans, t. IX), edit. 2.ª , 1923.

D) *Altchristlicher Kult und Antike,* Jahrbuch für Liturgiewissenschaft, 3 (1923), pp. 1-17.

E) *Die Messe als heilige Mysterienhandlung,* Benediktinische Monatschrift, 5 (1923), pp. 20-28, 97-104, 155-161.

F) *Das Gebet der Kirche im täglichen Offizium*, in: *Die betende Kirche*. Ein liturgisches Volksbuch (Abtei Maria Laach), 1924, pp. 182-206.

G) *Mysterium*. Gesammelte Arbeiten Laacher Mönche, t. I, 1926, in qua collectione tres sunt articuli P. Casel: *Altchristlicher Kult und Antike*, pp. 9-28; *Die Messe als heilige Mysterienhandlung*, pp. 29-52; *Zur Idee der liturgischen Festfeier*, pp. 53-61.

H) *Das Mysteriengedächtnis der Messliturgie im Licht der Tradition*, Jahrbuch für Liturgiewissenschaft, 6 (1926), pp. 113-204.

I) *Mysterienfrömmigkeit*, Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge, 4 (1927), pp. 101-117.

K) *Antike und christliche Mysterien*, Bayerische Blätter für das Gymnasialschulwesen, 63 (1927), pp. 329-340.

L) *Mysteriengegenwart*, Jahrbuch für Liturgiewissenschaft, 8 (1928), pp. 145-224.

M) *Die Stellung des Kultmysteriums im Christentum*, Liturgische Zeitschrift, 3 (1930/31), pp. 39-53; 72-83; 103-115.

N) *Die Messopferlehre der Tradition*, Theologie und Glaube, 23 (1931), pp. 351-367.

O) *Zum neuen Kirchenjahr*, Liturgische Zeitschrift, 4 (1931/32), pp. 37-44.

P) *Das christliche Kultmysterium*, Pustet, Ratisbonae, s. a. (1932), in quo libello, praemisso capitulo novo, *Die Wende zum Mysterium*, pp. 9-20, collecta sunt opuscula quae in nostra serie litteris M, K, O, F signata sunt, ita ut in eo totius theoriae synthetica quaedam, quamvis imperfecta expositio lectori proponatur.

Nuntiata denique est ab ipso P. Casel editio novi cuiusdam opusculi, quod, *Das christliche Opfermysterium* inscriptum, totum in explicando missae sacrificio versabitur. Hactenus tamen non prodiit.

Theoria de mysteriis christianis propria monasterii Lacensis doctrina aliquo modo facta esse videtur. Id praeter alia plura suadent opera quae supra ad litteras F et G indicavimus. Qui autem novisse velit quosnam consensus, quas contradictiones atque impugnationes adhuc illa theoria suscitaverit, adhibeat periodicum *Jahrbuch für Liturgiewissenschaft*, in cuius copiosissima bibliographia, sub titulo *Allgemeines*, singillatim percensentur et iudicantur, non raro ab ipso P. Casel, quaecumque, sive magna sunt, sive parva, pro sua sententia vel contra eam eduntur.

Magna ex parte cum theoria P. Casal congruit illa quam de natura sacramentorum ac praesertim sacrificii eucharistici propugnant Anscar Vonier OSB, *A Key to the Doctrine of the Eucharist*, Londinii, 1925 (edit. 2.a, ibid., 1931); item germanice opera P. Schneider OBS, *Das Geheimnis des eucharistischen Opfers*, 1929 (de quo opere v. C. V. Héris OP, Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques, 16, 1927, pp. 536-538; Bulletin Thomiste, 1928, pp. 233-238; M. C. OP, ibid., 1929, pp. 451-453; A. Stohr, *Vom Geheimnis des eucharistischen Opfers*, Pastor Bonus, 42, 1933, pp. 256-265); I. Bittremieux, *De nota destructionis in sacrificio missae*, Divus Thomas (Placentiae), 4 (1927), pp. 35-56; C. V. Héris, OP, *Le mystère du Christ* (La Pensée Thomiste, II), Parisiis, s. a. (1927), pp. 227-372; J. de Séguier, *Quelques réflexions sur le sacrifice eucharistique*, Nouvelle Revue théologique, 61 (1929), pp. 289-299; G. Rohner, *Messopfer-Kreuzesopfer*, Divus Thomas (Freiburg), 8 (1930), pp. 3-17; 145-174; cfr *Die Messapplikation nach der Lehre des hl. Thomas*, ibid., 2 (1924), pp. 385-410; 3 (1925), pp. 64-91; cfr ibid., 6 (1928), pp. 74-84; E. Masure, *Le sacrifice du chef*, Parisiis, 1932; B. Augier, OP, *Le sacrifice ecclésiastique*, Revue Thomiste, 37 (1932), pp. 739-757; 38 (1933), pp. 50-70.

Omnes isti auctores hanc sententiam, quam s. Thomae esse existimant, demonstrare student, quod sacrificium eucharisticum non est nisi sacramentum sacrificii a Christo olim in cruce oblati (1).

Theoriae de *cultu mysterico* praeter alios adversati sunt: I. B. Umberg SI, « *Mysterium* » - *Frömmigkeit*, Zeitschrift für Aszese und Mystik, 1 (1926), pp. 351-366.

— *Die These von der Mysteriengegenwart*, Zeitschrift für katholische Theologie, 52 (1928), pp. 357-400.

— « *Sacramenta efficiunt, quod significant* », ibid., 54 (1930), pp. 92-105.

1. Coppens, *Le mystère eucharistique et les mystères païens.* — Le canon de la sainte messe est-elle une « célébration de mystère » ? in *Cours et conférences des Semaines liturgiques*, t. VII, Lovanii, 1929, pp. 111-134.

I. Dillersberger, *Eine neue Messopfertheorie?* Theologie und Glaube, 22 (1930), pp. 571-588.

A. Stohr, *Zu P. Odo Casels Mysteriumlehre*, Pastor Bonus, 42 (1931), pp. 351-361.

— *Der hl. Thomas ein Kronzeuge für P. Odo Casels Mysteriumtheorie?* ibid., 42 (1931), pp. 422-436; 43 (1932), pp. 41-49.

Non ideo tamen isti scriptores singulas partes theoriae P. Casel repudiant; quin immo plura in ea laudant. In hoc vero omnes concordes apparent quod doctrinam de praesentia mysterica, quae illius theoriae fundamentum est, condemnant.

Theoriae autem de *sacramento sacrificii* contradicit De Vooght OSB, *A propos d'une conception symboliste de la messe*, Divus Thomas (Placentiae), 9 (1932), pp. 310-317 (2).

---

(1) De ratione huius doctrinae et doctrinae M. de la Taille, *Mysterium fidei*, edit. 3.a, 1931, v. A. Van Hove, *Tractatus de Sanctissima Eucharistia*, Mechliniae, 1933, p. 270, n. 3.

(2) De universa hac doctrina, v. A. Van Hove, *Tractatus de Sanctissima Eucharistia* (v. n. 1). pp. 260-266.

Docrinam P. Casel synthetice, distincte et clare exponere non est res adeo facilis. Etenim :

1) Ipse eam numquam ita exponere studuit vel potuit ut connexio omnium suarum partium clare appareret. Ne ultimus quidem eius libellus talem expositionem praebet.

2) Doctrinae expositio multum a scholastica brevitate, subtilitate ac perspicuitate distat.

3) Quamquam ipse rem negat, non plane immerito visus est auctor quasdam suae theoriae affirmationes in scriptis recentioribus temperavisse (1).

4) Theoria ipsa vel nondum matura est vel fortasse etiam innato quodam vitio laborat.

Conabimur tamen modo obiectivo et quam fidelissime fieri poterit, mentem P. Casel neque deformando neque corrigendo interpretari.

Haec sint igitur eius doctrinae capita, quae ex ipsis auctoris scriptis et praecipue ex iis quae ad litteras B, C, H, L et P nominata sunt, desumemus.

I. Liturgia quae sacrificium missae, sacramenta, sacramentalia, officium horarum quotidianum, annum ecclesiasticum complectitur, est cultus divinus in ecclesia catholica (2). Non est tamen cultus ille mere publicus, qui publicam dumtaxat utilitatem quaerens totusque exterioribus ritibus sedulo servandis intentus, sine ullo devotionis sensu, a ministris sacris atque a fidelibus nomine suae civitatis divinitati exhibetur (3). Seu non recte definitur liturgia cultus quem ecclesia publice Deo exhibet ; hanc enim definitionem, quae nostra constanter fuit et semper est, petere videtur descriptio P. Casel (4).

---

(1) V. A. Stohr, *Zu P. Odo Casels Mysteriumlehre,* Pastor Bonus, 42 (1931), pp. 353-354.

(2) L, pp. 117-562 ; 200-212 ; P, pp. 29-51 ; 116-173.

(3) C, pp. 13-14.

(4) Cfr. G. Laporta OSB, *L'esprit de la liturgie,* Revue des Idées et des

Liturgia igitur cultus quidem est, at cultus mystericus (a voce graeca *μυστηρικός*) seu liturgia est mysterium cultus, mysterium cultuale (Kultmysterium) (1). Proprie tamen nomen liturgia determinatum quendam cultus liturgici aspectum connotat, de quo postea dicendum erit.

Quid est cultus mystericus seu mysterium cultus?

II. Ut huic autem quaestioni responderi possit primum explicandum est quid sit MYSTERIUM CHRISTI (Christusmysterium), utpote cuius mysterium cultus non sit nisi exsecutio atque usurpatio (2).

Porro mysterium Christi illud divinae Providentiae opus est quod imprimis Verbi incarnationem, at praeterea etiam eius passionem ac mortem, resurrectionem, ascensionem in caelos ac sessionem ad dexteram Patris sui, denique eius ultimum adventum seu parusiam complectitur (3).

Passione ac resurrectione sua Christus, etiam quod ad suam humanitatem pertinet, factus est « pneuma » (spiritus), id est gloriam divinam plene adeptus Dominus (Phil. 2, 11). Sanctificatus, glorificatus est, una cum carne sua terrestri peccatum, quod sponte sua assumpserat, deposuit et etiam humanam suam naturam divinae gloriae plene participem effecit. Incarnatio igitur Verbi et praecipue Christi passio ac resurrectio revelationes quaedam Dei fuerunt, non verbis quidem sed factis theandricis peractae (4).

Porro haec revelatio non « mundo » concessa est sed electis ac sanctis, primo apostolis ac prophetis « pneumatis », dein cunctis vere credentibus et sic demum ecclesiae, id est electo Dei populo (5). Propter ecclesiam namque carnem assumpsit, passionem subiit

---

Faits, IX, 52, 21 mars 1930, p. 9; *Liturgie et éducation*, ibid., XI, 25, 11 septembre 1931, pp. 10-11.

(1) L, p. 212. — (2) L, p. 212; P, pp. 51-52. — (3) P, pp. 21-24. — (4) P, pp. 22-25; 27. — (5) P, p. 25.

atque glorificatum est Verbum, ut posset nimirum ecclesia quoque a servitute peccati ad sanctitatem ac gloriam transire (1).

Ad hoc autem satis non erat ut Christus nobis esset perfectum exemplum morale quod imitaremur, sed necesse erat ut Christus constitueretur etiam exemplar cui in omnibus rebus similes fieremus, etiam in « *esse* » nostro, quatenus id fert simplicis creaturae natura. Illud porro e nobis ipsi non possumus, sed solum per Salvatorem. Glorificatio Christi etiam in nobis efficiatur oportet; quod non applicatione solum in qua passivi essemus, non iustificatione ex fide dumtaxat vel donatione gratiae Christi, in qua nostrum tantum modo esset impedimenta quae ei obstarent removere. Verum viva ac sedula societate ipsius actionis qua Christus nos redemit, nobis opus est, ut pneumatis Christi participes fiamus; debemus physice una cum Christo glorificato glorificari, adeoque primo physice una cum Christo « historico » peccato mori. Quae redemptio passiva quidem est, quatenus Dominus eam in nobis efficit, activa vero quatenus ipsi naviter agendo illius participes nos efficimus (2).

In ista societate Christus constituitur quasi vir vel caput, ecclesia uxor vel corpus et, quoniam Christus salvator est, seu ille qui salutem operatur, debet ecclesia quoque actioni Christi consociari, effectum istius actionis in se concipiendo, et hoc active; sana namque membra in motibus capitis partem habent (3).

Ex iis autem quae hactenus dicta sunt, liquet mysterium Christi non esse Christi solius, sed Christi cum ecclesia cuniuncti.

At etiam summus sacerdos constitutus est Christus in resurrectione sua. Sacrificium enim fuit mors eius

---

(1) P, p. 29. — (2) P, pp. 29-30; L, pp. 155-158; 165-170; I, pp. 112-113; H, p. 141; C, pp. 45-49; 69-75. — (3) P, p. 28.

in cruce, quoniam tunc sponte sua sese Patri obtulit, Pater vero in eius resurrectione, oblatam sibi victimam accipiendo suamque faciendo, sanctificavit et consecravit. Et proinde sacrificium quoque est actio ecclesiae qua haec se physice Christi passioni ac glorificationi coniungit (1).

In centro igitur christianae religionis situm est sacrificium quoddam idque absolutum seu consecratione victimae in eo oblatae completum ; nimirum sacrificium quo Homo-Deus moriendo sese obtulit, quodque huius resurrectione ad gloriam perfectum est, et sacrificium quod ecclesia una cum crucifixo Homine-Deo atque ex huius virtute offert, quodque subsequitur eius unio cum Deo eiusque deificatio.

Duo namque haec sacrificia reapse unum sunt. « Historicus » videlicet Christus in cruce solus obtulit, Christus vero ad « pneuma » elevatus seu glorificatus coniuncte offert cum ecclesia, quam sibi suo sanguine mundatam acquisivit. Non quod pneumaticus Dominus nunc novum sacrificium cum ecclesia offerat, utpote qui uno sacrificio suo propositum sibi finem consecutus sit ac victima glorificata in aeternum a dexteris Patris sedeat. At ecclesia, quae nondum plene perfecta est, in partem illius sacrificii vocatur. Sicut ille semet pro ea obtulit, nunc haec active partem illius sacrificii capit, suam facit illius oblationem et hac ratione una cum illo e mundo ad Deum extollitur et glorificatur (2).

Non est ergo christianismus tantummodo systema quoddam veritatum dogmaticarum quas fideles credant et praeceptorum moralium quae servent, sed est imprimis factum quoddam divinum seu exsecutio divini atque aeterni cuiusdam consilii, per opus quod ex ae-

(1) P, p. 27. — (2) P, pp. 27-28.

ternitate Dei procedit, in tempore atque in mundo perficitur et rursus finem suum in Deo consequitur, ad effectum suum deducta. Constat videlicet christiana religio praecipue in hoc divino facto seu opere quod Verbum incarnatum per passionem suam etiam humanam suam naturam divinae suae gloriae plene participem effecit, seu plene cum ea divinum « pneuma » communicavit; ecclesia vero illius passionis physice atque active socia effecta, etiam eiusdem glorificationis particeps fit et divino pneumate donatur. In hac Christi « historici » ac glorificati et ecclesiae societate consistit imprimis christianismus (1).

Omnino autem a veritate christianae religionis discesserunt protestantes, cum religionem ad merum moralismum reduxerunt (2).

III. Quo autem modo possumus physice cum « historica » Christi passione et cum eius glorificatione coniungi?

Ad hoc idoneos nos facit MYSTERIUM CULTUS.

Mysteria namque e quibus mysterium cultus constat, sunt sacri ritus in quibus per elementa, verba atque acta symbolica ab ecclesia praestita vel perfecta, et per ecclesiae sacerdotes, ipse Christus « historicus » et glorificatus, una cum actionibus salutaribus quas olim in redemptionem nostram peregit, non quidem « historica » sua forma sed modo pneumatico, qui pneumaticum Dominum atque ecclesiae caput deceat, fidelium gratia, praesentem se reddit, ut eos, actionum suarum salutarium participes effectos, per ministerium sacerdotum pneumate suo sanctificet atque aliquo modo iam glorificet (3). Mysteria igitur sunt sanctae ac-

(1) P, pp. 21-27; H, p. 141; C, pp. 69-75.
(2) L, p. 199.
(3) L, pp. 201-202; 170; P, pp. 52; 55-57.

tiones quas nos fideles perficimus, simul autem Dominus per ministerium sacerdotum ecclesiae in nobis perficit (1).

Proinde mysterium cultus breviter dici quoque potest exsecutio in ecclesia et per ecclesiam operis redemptionis a Christo « historico » ac glorificato olim peracti, nunc autem sub velo symbolorum praesentis facti (2). Sicque est apertissima manifestatio ac simul summa efficientia corporis mystici Christi (3).

Quaenam autem actiones Christi salutares nobis mysterio cultus praesentes redduntur?

Integrum utique opus redemptionis nostrae, non solum in universo mysterio cultus sed in singulis eius ritibus seu *mysteriis,* praesens efficitur, id est non tantum ipsa passio Christi, quae est pars activa sacrificii Christi, sed etiam resurrectio eius, ascensio in caelum, sessio ad dexteram Patris, quae partem passivam eiusdem sacrificii constituunt. Etenim sine glorificatione Christi, passio eius nos non salvasset. Immo opus redemptionis plene absolutum non erit, nisi altero Christi adventu, et rursus ad redemptionem nostram pertinent quoque tota vita Christi a conceptione sua usque ad passionem. Proinde totam vitam Christi, « historicam » et gloriosam, ab incarnatione eius usque ad alterum adventum, in mysterio cultus praesentem fieri dicendum est (4).

Attamen non inde sequitur omnes actiones istius vitae in mysterio cultus praesentes esse debere, sed salutares tantum, id est actiones illas quas Christus ut erat salvator egit, et imprimis actiones eius interiores, v. g., sacrificium interius qua semet Patri dedidit. Facta secundaria vero et mere historica, quae in salute nostra procuranda nullum momentum habue-

(1) P, p. 30. — (2) L, p. 45. — (3) P, pp. 92-93.
(4) H, pp. 130-131; 202-204; L, pp. 170-171; 204-205; P, pp. 121-123.

runt, ut puta actiones inimicorum vel carnificum Christi, in mysteriis neque adesse debent neque adsunt (1).

Praeterea, licet in singulis mysteriis integra redemptio praesens fiat, in unoquoque tamen eorum unus redemptionis aspectus quasi illuminatur, unaque pars distinguitur. Per hanc cum toto redemptionis opere coniungimur.

Qua ratione cum Christo redemptore in *baptismate* sociemur et proinde redemptionis opus in eo sacramento praesens evadat, ipse s. PAULUS in epistola sua *Ad Romanos,* c. 6, 3-11, exponit: « An ignoratis, inquit, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul et resurrectionis erimus.... Qui.... mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo.... simul etiam vivemus cum Christo ». In baptismate igitur peccato morimur, at non soli morimur, sed physice una cum Christo morimur adeoque necesse est ipse Christus in unoquoque baptismate re vera ac physice moriatur, non quod Christus denuo mori possit, sed quia una mors eius « historica » in singulis baptismatibus nostris sine sui iteratione praesens redditur (2).

Per passionem suam Christus factus est « pneuma »; nos quoque qui in baptismate passionis eius participes effecti, peccato mortui sumus, cum eo quoque pneumate implemur. Hoc autem exprimitur ac efficitur in collatione Sancti Spiritus, id est in *confirmatione.* Etiam igitur in hoc sacramento praesens esse

(1) L, p. 174.
(2) L, pp. 157-161; P, pp. 30-34; C, pp. 49-54.

debet passio Christi, quatenus scilicet per hanc Christus perfecte pneumate donatus est (1). Baptismus nimirum demonstrat imprimis occisionem veteris hominis, et suavis dumtaxat sacri unguenti odor suavem resurrectionis odorem significat (2).

Baptismus et confirmatio sunt primi initiationis ritus, quibus scilicet homo vivum Christi membrum efficitur seu Christo incorporatur (3).

Praesertim in *sacrificio eucharistico* Christi passionem praesentem esse liquet. In missa nimirum per elementorum consecrationem, quam sacerdos e virtute Dei perficit, mors atque oblatio Christi mystice quidem, at vere omnino ac physice, praesens efficitur; Christus se sacramentaliter iterum offert, iterum pro nobis patiens. Quoniam autem per ministerium suorum sacerdotum missam celebrat ecclesia, ipsa sacrificium sui sponsi offert et proinde hoc eius quoque sacrificium est. Immo etiam ideo sacrificium eius fit, quod modo quam maxime personali illius particeps fit. Propter mysticam enim suam incorporationem in Christo, ut est eius corpus eiusque sponsa, ac simul cum plenissima sui devotione, sese capitis ac sponsi sui sacrificio active coniungit, ita ut una cum Christo unum sacrificium efficiatur (4).

Agitur porro in missa tota Christi redemptio, id est eius incarnatio, passio, resurrectio, ascensio, sessio ad dexteram Patris. Cum Christo physice una fideles se offerunt et suam faciunt redemptionem obiective ab eo peractam. Cum eo patiuntur, cum eo resurgunt, cum eo glorificantur et in caeleste eius *esse* penetrant. Sane non in ordine naturae et ad eius leges movetur

(1) P, pp. 34-37; H, pp. 89-91.
(2) P, pp. 54-55.
(3) P, p. 37.
(4) P, pp. 43-44.

istud drama; in uno tamen actu consecrationis panis et vini omnino vere perficitur (1).

In *communione* vero sub speciebus cibi cuiusdam ac potus sumitur corpus ac sanguis Christi, quae ab eo ipso oblata sunt sicque physice cum oblatore ac victima sacrificii nostrae redemptionis coniungimur (2).

Communio missam complet. Etenim missa est commemoratio funebris Domini, cuius oblatum corpus et profusus sanguis nobis ostenditur; at quod istud corpus, quod iste sanguis cibus ac potus vitae efficiuntur, hic est fructus ac symbolum resurrectionis ad vitam aeternam.

Ecclesia igitur per mysteria baptismatis, confirmationis atque eucharistiae primo socia fit passionis Domini, per quam ipse peccato mortuus est; et deinde per mortem particeps fit eiusdem Domini vitae, per quam ipse Deo vivit; una cum illo per crucem pneumate repletur, sanctificatur, glorificatur, deificatur (3).

Eadem tria mysteria, baptisma, confirmatio et eucharistica communio, significant perfectam incorporationem hominis in Christo. Baptisma namque eum a peccato per immersionem in crucem Christi mundat; inspirat ei confirmatio novam ac divinam pneumatis vitam; communio hanc vitam confirmat ac servat, membra aliquid omnino unum cum corpore efficiens. Sunt igitur ista mysteria initiatio seu christiana consecratio. Qui porro sic consecratus est, potest active in summo mystici Christi opere, id est in illa deditione amoris qua hic se Patri tradit (nimirum in sacrificio eucharistico), partem habere. Hac societate ipse rursus altius in corpore Christi radices mittit quoniam eum sanguis Christi etiam atque etiam mun-

---

(1) C, pp. 63-64.

(2) Cfr P, pp. 46-47 (pauca atque incerta verba); C, pp. 53-62 (prolixae commentationes quae ad rem pertinere non videntur).

(3) P, p. 55.

dat, pneuma resurrectionis iterum atque iterum et valide ac valide magis animat, cibus vero sacrificalis magis magisque Domino incorporat (1).

Etiam in ceteris quattuor sacramentis praesens fit passio Christi, et ea integra.

Paenitentia videlicet est recuperatio amissi pneumatis adeoque aliquo modo etiam alterum baptisma ac confirmatio.

Extrema unctio specialis est roboratio e pneumate Christi.

Ordinatio ordinatum summo sacerdoti Christo similem reddit, id est Christo crucifixo et glorificato, idque in quodam supra commune baptismatis ac confirmationis sacerdotium gradu, qui ordinato hierarchiam confert, nimirum partem in munere Christi pastorali ac doctrinali et in eius sacerdotali regno, cuius sceptrum est iterum crux.

Matrimonium denique mystice sacrum Christi et ecclesiae foedus exhibet, quod in sanguine dominico conditum est, neque per symbolum tantum exhibet sed etiam per gratiam symbolo significatam (2).

Praeterea, sicut tria initiationis sacramenta, licet minore gradu, etiam paenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium in constituendo mystico Christi corpore suum momentum habent. Etenim corpus istud res est viva, non mortua atomorum accumulatio; varia proinde membra habet, alia aliis muneribus fungentia, idque non solum in ultima sua aedificatione sed, quod iam nunc facilius a nobis cognoscitur, in exsecutione terrestrium suorum officiorum (3).

At non tantum in his septem sacramentis, quae ob singularem suam utilitatem de Christi institutione ex opere operato efficacia sunt, consistit mysterium

(1) L, pp. 47-48. L, pp. 204.
(2) L, pp. 205-206.
(3) P, pp. 48-51.

cultus sed ad hoc mysterium pertinent *omnes actiones liturgicae* quibus ecclesia physice cum capite ac sponso suo unita, huius vitam in se suscipit et cum fidelibus communicando ad effectum ducit. In omnibus cultus ecclesiastici actionibus ob praesentem Dei virtutem efficitur redemptio Christi. Unicuique autem actioni ecclesiam locum suum proprium assignavit, ita ut omnes e summo mysterio, ex eucharistia videlicet, proveniant et rursus ad hanc nos reducant.

Sic etiam in *anni ecclesiastici* « circulo » praesens fit opus nostrae redemptionis, non ita tamen ut uno quoque anno tota vita Christi per partes suas quasi iterum decurrat et in singulis festis una salutaris actio tantum adsit, modo incarnatio vel nativitas, modo rursus mors ac passio aut resurrectio. Sed, quamquam in singulis anni temporibus ac festis diebus una nostrae redemptionis actio praecipue consideratur ac colitur, in singulis tamen tota ista redemptio adest; tempus vel dies aspectum dumtaxat determinat sub quo nostrae salutis opus contemplandum et honorandum est. Hoc exigit ipsa redemptionis divinae natura, quae, etsi in celebratione anni ecclesiastici praesens est, nihilo minus iterari non potest; idem demonstrat ecclesiae consuetudo quae eucharistico praesertim sacrificio peragendo singulas redemptionis partes commemorat et colit (1).

Mysterium cultus habenda est etiam *s. Scripturae* publica seu *liturgica recitatio*. In sacra namque scriptura manifestatur abscondita Spiritus sancti virtus ad sanctificationem ecclesiae; in illa sub symbolico verbi humani velo continetur obiectiva Dei virtus. Quae enim ex ea recitantur pneumatice praesentia reddunt tur et quoniam haec omnia ad opus nostrae redem-

(1) L, pp. 206-208; P, pp. 116-130.

ptionis a Christo peractum necessario spectant, hoc quoque praesens fiat necesse est (1).

Inde porro sequitur quod *officium horarum canonicum*, quippe quod praecipue e textibus s. Scripturae constet, pari modo ad mysterium cultus pertinet huiusque obiectiva dignitate ac divina virtute praeditum est (2). Praeterea officium, cum sit ecclesiae oratio communis, artissime cum sacrificio missae, tamquam cum centro suo, cohaeret (3).

In *cultu sanctorum* denique praesens redditur eorum martyrium vel confessio, non autem separate, sed ut sunt ista mysterii Christi partes. Per ea igitur et cum iis praesens quoque est ipsius Christi redemptoris opus. Iam enim non solus, sicut in cruce fecit, patitur ac moritur Christus, sed una cum corpore suo mystico, cuius membra praecipua sunt martyres ceterique sancti (4).

IV. Ex iis quae hactenus exposuimus, liquet quantum momentum habeat in theoria P. Casel doctrina qua docet non solum in universo mysterio cultus sed in singulis huius ritibus seu mysteriis adesse debere omnes actiones salutares quas Christus olim redemptionis nostrae causa peregit. Ista autem praesentia, quae ab ipso auctore PRAESENTIA MYSTERICA (Mysteriengegenwart) vocata est, hoc modo ab eo explicatur ac demonstratur.

A. — *Praesentiae mystericae explicatio.*

Praesentia quaedam cum natura mysterii tam arte cohaeret ut nomen praesentiae mystericae aliud tandem non sit quam quaedam tautologia (5).

---

(1) L, pp. 208-211.
(2) L, p. 21.
(3) P, pp. 131-173.
(4) L, pp. 211-212.
(5) L, p. 145.

Quid esset praesentia mysterica supra iam ostendimus, ubi naturam mysterii cultus definiebamus. In hoc nimirum illa consistit quod in singulis actionibus cultus, in singulis missis, sacramentis, sacramentalibus, in cotidiano horarum officio, in unaquaque commemoratione alicuius mysterii vel sancti, non solum ipse Christus sed simul etiam actiones salutares, cum interiores tum exteriores, quas ipse olim redemptionis nostrae causa perfecit, vere ac physice praesentes nobis adsunt.

At si omnino vera seu realis est ista praesentia Christi ac suarum actionum, non est tamen illa naturalis sed *sacramentalis*. Rursus haec praesentia sacramentalis non est ita intellegenda, quasi esset praesentia quaedam mere symbolica, adeoque minus vera, minus realis quam praesentia naturalis, qualis est nimirum praesentia rei quae alicubi mere significatur, sicut Christus, v. g., praesens aliquo modo habetur, ubi imago crucifixi vel liber evangeliorum cultui nostro exhibetur. Sed est praesentia quaedam plane specialis quae propria non est neque divinae substantiae, neque substantiae creatae spiritualis huiusque actionum, neque corporum atque eorum motuum. Est videlicet praesentia earum rerum propria quae ex potestate divina in sacramento sunt vel fiunt; est modus quidam specialis quo creatura existere vel agere potest (1).

De illa scribit s. THOMAS, *Summa Theologica*, 3, 75, 1, ad 3, ubi de praesentia Christi in eucharistia agit: « Corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento... Per quod non intellegimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo,

(1) H, pp. 166-167; L, pp. 149; 181-182; 190-193; 195-198.

licet sacramentum sit in genere signi; sed intellegimus corpus Christi hic esse... secundum modum proprium huic sacramento ».

Praesentia enim sacramentalis eadem est quam alio loco s. Thomas praesentiam *per* vel *secundum modum substantiae* appellat, haec de praesentia Christi in eucharistia docens, *S. th.*, 3, 76, 3: « Quia in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiae, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, id est per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est non per modum illum, quo quantitas dimensiva alicuius corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur... et ideo manifestum est, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis... » Hanc doctrinam porro suam fecerunt Patres Concilii Tridentini (1).

Si autem per transsubstantiationem unum corpus Christi quod naturaliter in caelo tantum est, simul sacramentaliter in pluribus locis praesens esse potest, cur non possit divina potentia efficere ut passio Christi, quae historice semel acta est, pluribus temporibus et in pluribus locis sacramentaliter praesens fiat. Sicut enim corpus Christi passi non tamquam in loco sed ad modum substantiae in eucharistia sine multiplicatione adest, sic utique potest, immo debet etiam passio Christi non tamquam in tempore sed secundum substantiam sine iteratione praesens fieri, et sicut quantitas corporis Christi, quoniam in sacramento non est nisi per concomitantiam, adeoque non secundum modum suum sed ad modum substantiae, tota est in toto

(1) Sess. XIII, c. 1, DENZINGER, n. 874. L, pp. 150-151 ; 191 ; 195-198.

et tota in singulis partibus, sic etiam passio Christi in eucharistia ita praesens est, ut in ea non fiat partium successio sed tota sit in tota continuatione sacramenti ac tota in singulis huius momentis (1).

Ceterum ipse s. Thomas docet ad Christum in sacramento eucharistiae praesentem posse propter praesentiam suam sacramentalem, id est per modum substantiae, haec omnia attribui quae ad illum pertinent secundum quod in se est, ut puta vivere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, non autem ea quae ei conveniunt per comparationem ad corpora exteriora, v. g., irrideri, conspui, crucifigi, flagellari. *S. th.*, 3, 81, 4, c. Igitur in sacramento eucharistiae non potest Christus ab aliis *pati*, potest autem *mori* (2). Possunt igitur in sacramento eucharistiae praesentes fieri actiones salutares redemptionis nostrae sine adiunctis suis mere historicis, seu potest praesens fieri substantia illarum sine suis accidentibus (3).

Sicut autem ad explicandam praesentiam Christi in eucharistia prorsus vanum est varias de spatio excogitare theorias, quoniam exsistentia Christi sacramentalis in loco non est (4), sic etiam inutilia essent talia conamina quod ad praesentiam actuum salutarium pertinet; etenim etiam haec praesentia, quoniam pari modo sacramentalis est, non est in tempore. Intra sacramentum nimirum neque spatium neque tempus est (5).

Quae hactenus explicata sunt de mysterica praesentia, directe quidem eucharistiam dumtaxat, at indirecte, seu ex quadam analogia, etiam cetera sacramenta respiciunt. Haec enim natura sua sacramento eucharistiae similia sunt, quamvis sint dignitate multo infe-

---

(1) L, pp. 191-197; H, pp. 199-201.
(2) L, p. 151.
(3) L, pp. 158-159; 170; 174; 190-191.
(4) L, pp. 191-192.
(5) L, pp. 195; H, pp. 199-200; cfr. L, pp. 197-198.

riora. Proinde, quoniam eucharistia Christi redemptionem sacramentaliter praesentem continet, eam quoque eodem praesentiae modo contineant oportet reliqua sacramenta, unumquodque tamen ratione sua propria (1). Quod mutatis mutandis ad omnes actus cultus extendi potest (2).

Maximum vel etiam unum discrimen quo ab eucharistia dividuntur cetera sacramenta in eo est quod in eucharistia tantum corpus et sanguis Christi substantialiter adsunt et permanent, sub speciebus nimirum panis ac vini. At nequaquam propterea negandum est etiam in reliquis sacramentis Christum adesse. Adest videlicet in iis, non quidem permanenter sed dum perficiuntur, per virtutem quandam instrumentalem ab eo communicatam seu per pneuma suum (3). Quod cum aliquid vere obiectivum sit atque e passione Christi ortum, liquet per illud hanc quoque adesse, fere sicut in eucharistia per praesens dominicum corpus et sanguinem adest. Porro patet hanc affirmationem etiam de sacramentalibus et de ceteris actionibus cultus publici aliquatenus veram esse (4).

Denique ad praesentiae mystericae explicationem multum quoque iuvat distinctio earum rerum quae in sacramento praesentes sunt vi sacramenti et earum quae ex reali concomitantia vel naturali vel supernaturali in eo adsunt. Cum enim ex reali concomitantia Christus aliter in eucharistia et in ceteris sacramentis ac ritibus cultus adesse non possit nisi perpetuo vivus et gloriosus, planum est praesentiam actionum eius salutarium, praesertim eius mortis, dumtaxat vi sacramenti effici posse. Quare etiam theoria de mysteriis ea tantum considerat quae in eucharistia et in ceteris

(1) L, pp. 200-201.
(2) Cfr. L, pp. 206-212.
(3) L, pp. 162-163; 164-166.
(4) L, pp. 157-163; 201-212.

ritibus vi sacramenti vel sacramentalis adsunt, quoniam haec solum quod ad naturam sacramenti vel sacramentalis attinet, momentum habent (1).

Porro, ut antea iam diximus, theoria de praesentia actionum salutarium Christi vi sacramenti effecta arte cohaeret cum illorum opinione qui essentiam sacrificii eucharistici in hoc statuunt quod sit sacramentum sacrificii a Christo olim in cruce oblati (2).

Continuabitur

IOANNES M. HANSSENS. S I.

QUAESITA VARIA

I. De inseparabili sacramento matrimonii et contractus validi.

Titius miratur quo pacto bini coniuges qui ignorarunt suum baptisma quod infantes receperunt sint uniti sacramento neque aliqua potestate separari possint, si matrimonium consummatum fuerit.

Res tamen est sine dubio certa, cum prorsus constet ipsum consensum esse a Christo institutum ut materiam et formam sacramenti matrimonii in subiecto apto, id est in baptizato. Quare fieri nequit, ut sit merus contractus in baptizatis. Non eorum voluntas statum obiectivum quidquam mutare potest. Observata forma iure canonico praescripta, eorum matrimonium erit necessario nullum vel sacramentum. Si voluntate praevalente sacramentum noluere, tunc ne contractum quidem facere possunt.

---

(1) L, pp. 194-195; 197.

(2) Quinam sint isti auctores, v. supra. De hac re v. A. Van Hove, *Tractatus de sanctissima Eucharistia*, Mechliniae, 1933, pp. 260-266.

II. De votis.

1. Estne reservatum votum ingrediendi ut Frater laicus Institutum votorum quidem sollemnium, sed in quo Fratres laici non emittunt nisi vota simplicia?

Resp. esse reservatum. Canon enim 1309 reservatum dicit votum privatum ingrediendi religionem votorum sollemnium. Iam vero Frater de quo in casu fecit votum ingrediendi religionem votorum sollemnium, quamvis ipse nulla talia facturus sit.

2. Valetne, sub Codice, votum ingrediendi religionem strictiorem?

Resp. Valere. Verum est ius non esse transeundi ad religionem strictiorem, cum can. 632 postulet semper auctoritatem Apostolicae Sedis; sed religiosus votum ita concipere potest, ut petat a S. Sede debitam facultatem.

Immo videtur tale votum non posse irritari a proprio Superiore.

3. Potestne votum reservatum commutari a vovente in opus certo melius?

Resp. Videtur negandum, cum can. 1314 non admittat istam commutationem, nisi cum opus fuerit voto non reservato promissum.

Si autem commutetur ab habente potestatem, opus in quod commutatum est non est reservatum. Proinde potest ab omni habente potestatem in vota commutari.

De Episcopo proprio quoad ordinationem.

1. Egregius P. Schaaf O. F. M. in *Ecclesiastical Review* (april. pag. 352 ss.) asserit nos docere Episcopum fieri *proprium* quoad saecularium ordinationem

triplici ex capite, scil. non solum ratione domicilii cum origine et simplicis domicilii, addito iureiurando ad normam can. 956, verum etiam ratione *incardinationis;* affirmat vero hanc doctrinam a nobis expresse tradi in *Periodica* (XX, 1931, pag. 125 ss.), eamque sustineri non posse.

Valde miramur quod cl. P. SCHAAF id asserat, cum nostra doctrina alia omnino sit, ut quisque ex dicendis evidenter perspiciet. Dolendum profecto quod egregius A. integram nostram dissertationem legisse nullatenus videatur.

2. En ipsissima verba a nobis adhibita: « Ad normam can. 956 Episcopus efficitur *proprius* quoad ordinationem ex *duplici* titulo: 1° ratione *domicilii* una *cum origine,* quatenus ordinandus habeat tum originem tum domicilium in dioecesi Episcopi ordinantis; 2° ratione *domicilii sine origine,* praestito tamen *iureiurando,* quatenus ordinandus animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento confirmet. Hoc iuramentum non requiritur, si agatur *a)* de clerico ad ordines promovendo, qui per primam tonsuram dioecesi iam incardinatus sit; vel *b)* de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis sit destinatus; vel *c)* de promovendo religioso professo » (*Periodica,* XX, 1931, pag. 135).

Igitur, secundum doctrinam a nobis traditam, Episcopus ad normam can. 956 est *proprius* quoad sacram ordinationem ex *duplici* tantum titulo, nempe vel ratione *domicilii cum origine*, vel ratione *domicilii sine origine.* Ne verbum quidem de *tertio* quodam titulo, scil. de titulo *incardinationis.* Cur P. SCHAAF, contra ipsissima verba modo relata, affirmet nos tertium titulum addere, nequaquam intelligere possumus.

Item in alio opere hisce verbis doctrinam expresse enuntiamus: « Ex *duplici* titulo Episcopus, ad normam can. 956, est *proprius* quoad ordinationem: 1° ratione

domicilii una cum origine, quatenus ordinandus habeat tam originem quam domicilium in dioecesi Episcopi ordinantis; 2° ratione *domicilii sine origine, sed praestito iureiurando,* quatenus ordinandus animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento confirmet. Iuramentum hoc necessarium non est, si agitur *a*) de clerico ad ordines promovendo, qui dioecesi iam incardinatus est per primam tonsuram; vel *b*) de promovendo alumno, qui servitio alterius dioecesis destinatus est; vel *c*) de promovendo religioso professo » (*Summa iuris canonici,* II, n. 826).

3. Itaque concludendum: assertio cl. P. SCHAAF de doctrina tituli ordinationis ex capite *incardinationis* nobis attributa, non solum contextui, sed ipsissimis quoque verbis prorsus adversatur.

4. Casus a nobis propositus et resolutus (l. c.) hic est: « Episcopus A., conventione facta cum Episcopo B., confert primam tonsuram pro dioecesi B. iuveni qui originem et domicilium habet in dioecesi A., ibique per plures annos adhuc manebit. Potestne Episcopus B. ordinare istum clericum tamquam suum, vel ei dare litteras dimissorias? ».

Continuabitur

F. M. CAPPELLO S. I.

Solutio Casus propositi p. 72*.

Paulus ipse ignorare potuit divortium ab Ecclesia nullatenus admitti, et bona fide matrimonium contraxisse; quae bona fides facilius exstitit in uxore, quae primum matrimonium sui sponsi ignorare potuit. Utcumque se res habet, si alteruter putavit se fecisse matrimonium verum, matrimonium saltem fuit putativum, ita ut filii sint legitimi.

Dissipato errore in utroque coniuge, sane Paulus non potuit uti coniugio, manente vinculo prioris matrimonii. Sed, postquam cognita est sententia S. Rotae, Paulus re vera locum et iura veri coniugis cum Amelia vindicare potest. In foro tamen externo debebit coram parocho et duobus testibus renovare consensum; cum, in illo foro censeatur non fecisse nisi bigamiam. Consensu tamen renovato, nihil obstabit quo minus filius declaretur legitimus. Si tamen constet ambo dedisse verum consensum coniugalem, existimamus sufficere ut in tabulas referatur quid acciderit et quo modo matrimonium re vera fuerit obiective validum.

Casus de censuris

Marcus, parochus, decurrente anno pluries familiarius egit cum ancilla sua, quae adeo simplex videbatur ut nihil de peccato gravi suspicaretur. Quare eandem, ut paenitentem, singulis hebdomadis ipse absolvebat. Verum, cum sacra missio praedicaretur in loco ubi Marcus erat parochus, ancilla fassa est in confessione, se probe novisse mala quae cum parocho, toto anno commiserat. Paroecia autem distat una hora ab altera.

Quaeritur quid faciendum sit parocho; et an possit, salvo sigillo, recusare hebdomadariam confessionem ancillae suae?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Estne Liturgia cultus mystericus? (1)

B. — *Praesentiae mystericae demonstratio.*

Quo modo in eucharistia atque in ceteris cultus ritibus praesentes sint omnes actiones Christi salutares, in sectione praecedenti ostensum est. Dictum est videlicet actiones Christi praesentes esse non posse sine praesentia ipsius Christi; ipsum autem Christum et proinde actiones eius salutares in sacris ritibus adesse *vi sacramenti* et *per modum substantiae;* multo tamen pleniorem esse utramque praesentiam in sacramento eucharistiae, quam in ceteris sacramentis, et in his quam in sacramentalibus ac reliquis ritibus cultus, quia in sacramento eucharistiae dumtaxat adest Christus per ipsam suam substantiam, in ceteris ritibus tantum per virtutem seu pneuma suum, et hoc plene fit solum in sacramentis.

Nunc autem demonstrandum est Christi actiones salutares reapse, non solum in sacramento eucharistiae, sed in ceteris sex sacramentis et in omnibus ritibus cultus physice adesse. Etsi igitur demonstratio haec speciali modo respicit solum praesentiam mystericam, liquet eam simul veritatem ipsius mysterii cultus affirmare.

(1) Cfr *Periodica*, p. 112*-132*.

Demonstratio auctoris, quae magna profecto eruditione nititur, at prolixis ac quasi perpetuis ambagibus, digressionibus, repetitionibus valde impedita, pro argumentis asseverationes, pro solutionibus negationes vel effugia adhibere amat (1), non sine magno negotio convenienti ordine proponitur.

Ad haec capita reduci potest :

I). *Antiqua traditio christiana,* id est quattuor vel quinque primorum saeculorum, hanc fidem exprimit quod Christus, Deus atque homo, praesens in ecclesia remansit, ita ut fideles praesertim per sacramenta possint cum eo coniungi, non solum ut est Dominus gloriae sed praecipue qualis erat in parte « historica » vitae suae, cum nascebatur, in domo Nazarethana latebat, Palaestinam docens ac benefaciens peragrabat, in cruce pendebat ac moriebatur. Haec fuit doctrina s. Pauli, *2 Cor.,* 3, 17; 5, 16; *Gal.,* 4, 4; *Phil.,* 2, 5-11; s. Ioannis, 14, 6; 19-20; 56. Eam testantur s. Hilarius, s. Ambrosius, s. Leo Magnus. Ad eam pertinent quae post s. Paulum, *Rom.,* 6, 3, ss., antiqui patres docuerunt de praesentia ac morte Christi in baptismate ac confirmatione et de necessitate nostra commoriendi et resurgendi cum illo; quae doctrina iure merito ad omnia sacramenta et etiam, mutatis mutandis, ad omnia sacramentalia, propter analogiam omnium istorum rituum, extenditur. Huc denique spectat quod antiquorum christianorum religio, cum nondum esset philosophia neoplatonica affecta, christomystica, non theomystica fuit. Antiquae igitur traditioni conformis est doctrina s. Thomae, ubi docet in sacramento eucharistiae contineri substantialiter Christum passum, seu repraesentari passionem Christi; ex hac porro repraesentatione eucharistiam constitui sa-

(1) V. g., H, pp. 113-114; L, pp. 158; 159; 162; 175; 177; 178-179; 181; etc., etc. Cfr A. Stohr, *Der hl. Thomas ein Kronzeuge für P. Odo Casels Mysteriumtheorie?* Pastor Bonus, 42 (1931), p. 424.

crificium; in ceteris denique sacramentis adesse quandam virtutem instrumentalem a Christo participatam. *Summa theologica*, 3, qu. 62 et ss. (1).

II). *Usus anamneseos* quoque naturam mystericam cultus catholici demonstrat.

Anamnesis, id est reminiscentia, recordatio, commemoratio, vocatur illa formula canonis romani quae verbis: « Unde et memores, Domine... et calicem salutis perpetuae » contenta, affirmat nos Christi praecepto obsequentes, eius passionis, resurrectionis atque ascensionis memores, offerre Deo panem et calicem sanctum.

Haec commemoratio porro non est mere subiectiva mentis atque animi actio, quae actionem praecipuam, id est oblationem panis ac vini, tantummodo comitaretur; sed, quod totus formulae contextus demonstrat, est commemoratio *obiectiva* seu *in actione* sita, nimirum illud ipsum quod nos iussit Dominus in sui memoriam agere, nos autem offerendo facimus. Quoniam autem est realis commemoratio, necesse est obiectum suum vere seu physice, etsi mystice, praesens reddat et ex ipsis anamneseos verbis liquet obiectum hoc non esse dumtaxat ipsum Christum sed eius passionem quoque, videlicet passionem, resurrectionem atque ascensionem. Anamnesis proinde recte *commemoratio mysterica* (Mysteriengedächtnis) nominari potest. Non est enim aliud quam forma quaedam mysterii celebrandi (2).

Non missa tantum sed totus cultus liturgicus in anamnesi constat: aliud namque non est ille cultus quam commemoratio obiectiva actionum Domini; in ea Christus et ecclesia nostram redemptionem, sanc-

(1) L, pp. 153-175.
(2) H, pp. 113-115; 138-143; 152-153; 198.

tificationem ac glorificationem una operantur. Liturgia imprimis actio est eaque perpetuo iterata (1).

Anamnesis non est missae ritus romani propria sed in omnibus ritibus antiquis atque hodiernis, occidentalibus atque orientalibus, reperitur; quod e documentis liturgicis demonstratur (2).

Traditionem liturgicam confirmat et illustrat constans patrum atque antiquorum theologorum doctrina (3).

A saeculo IX tamen mysterium oblationis in missa peractum e doctrina theologorum et e pietate fidelium evanescere incepit. Huiusque rei praecipua sine dubio causa fuit, quod populi germanici maiorem partem atque auctoritatem in vita et in doctrina ecclesiae nacti sunt. Nihilominus primi theologi germanici et etiam postea plures e primis scholasticis antiquae traditioni fideliter adhaeserunt. Alii tamen ab ea discesserunt et, derelicta concreta ac realistica notione mysterii, in symbolisticum quendam spiritualismum abierunt, cui sacramentum eucharistiae iam non est nisi vacua quaedam imago seu externum dumtaxat sacrificii dominici symbolum. In eo numero est s. Albertus Magnus (4).

S. Thomas vero, ut iam dictum est et infra fusius ostendetur, traditionis antiquae continuator omnino habendus est. Huius porro doctrinam sollemniter sancivit concilium Tridentinum in Sessione sua XXII (5). Attamen mens moderna (a saeculo XVI) doctrinae de mysterio cultus non favit (6). At a paucis annis res mutari coeptae sunt: gens humana iamiam ad mysterium convertitur (7).

---

(1) H, pp. 114-115.
(2) H, pp. 115-131.
(3) H, pp. 131-138; 144-185.
(4) H, pp. 185-194.
(5) H, pp. 194-198.
(6) P, pp. 65-69; L, p. 146.
(7) P, pp. 9-20; 70-72.

III). Doctrina de cultu mysterico seu de praesentia mysterica in cultu cum *doctrina s. Thomae de sacramento et sacrificio eucharistico* plane congruit.

1. S. THOMAS (1) vocat sacrificium eucharisticum *commemorationem* sacrificii a Christo oblati et eius *sacramentum*. Iam vero ista commemoratio non potest esse mere subiectiva, neque sacramentum mere exterius, quoniam s. Thomae missa verum sacrificium est; sed in iis contineatur oportet ipsa Christi passio (2).

2. Principium est s. Thomae *sacramenta id efficere quod significant* (3). Iam vero de sacramentis in genere scribens, illis non unam sed tres significationes attribuit. Omne sacramentum videlicet est signum rememorativum praeteritae passionis, quae causa est nostrae sanctificationis; signum demonstrativum rei quae in nobis ex virtute passionis efficitur, id est gratiae; signum praenuntiativum futurae gloriae, qui est ultimus finis nostrae sanctificationis (4). Proinde necesse est omne sacramentum, et praesertim ipsa eucharistia, Christi passionem « efficiat », id est eam praesentem reddat, sicut in sacramento fieri potest, videlicet sacramentaliter. Difficultates quae ex ipsis verbis s. Thomae isti conclusioni opponuntur, omnes artificiosae sunt (5)!

3. S. Thomas affirmat in sacramento eucharistiae *Christum immolari* (6). Hanc autem immolationem, « patrum sensui inhaerens », non mere symbolicam sed realem, non tamen in ordine naturali, sed in sacramentali effectam habet. Ista immolatio est sacra-

---

(1) *Summa theologica*, 3, 22, 3 ad 2.
(2) L, p. 176.
(3) L, p. 178.
(4) *Summa theologica*, 3, 60, 3.
(5) L, pp. 177-181. Istas difficultates in altera nostrae dissertationis parte exponemus et examinabimus.
(6) *Summa Theologica*, 3, 83, 1.

mentum, est mysterium. Hic quoque difficultates artificiose fictae sunt (1)!

4. S. Thomas docet missam esse *repraesentationem passionis Christi* et quoniam veritatem sacrificii missae in hac repraesentatione ponit, non potest istam repraesentationem vacuam atque inanem imaginem existimare. Idem hoc esset quod veritatem sacrificii in missa negare. Quare dicendum est verbum *repraesentatio* a s. Thoma sensu antiquo accipi, quo significat aliquid praesens reddere; sententiam eius igitur fuisse in sacrificio missae vere praesentem fieri passionem Christi. Porro cum hac praesentia connexa est applicatio redemptionis, qui fructus est passionis Christi. Ad mentem igitur s. Thomae verum mysterium perficitur in missa, cum in ea praeterita Christi passio sacramentaliter praesens redditur (2).

5. Denique etiam sacramentorum *causalitas* et maxime eorum *causalitas physica*, quae vera s. Thomae doctrina est, praesentiam virtutis Christi adeoque etiam eius passionis postulat (3).

IV. Quo modo mysterium cultus etiam *Liturgia* sit, ipse P. Casel his verbis (quae e lingua germanica in latinam convertimus) breviter indicavit (4):

> Si duo verba « Mysterium » et « Liturgia » unum ab altero distinguimus, voce autem « Mysterium » mysterium cultus designamus, duo nomina illa idem quidem significant, at diversis modis. Mysterium significat tunc ipsam substantiam (den eigentilichen Kern) actionis adeoque imprimis actionem Domini qua per sanctas actiones a se institutas nos redimit; liturgia vero, seu, pro vi verbi, populi opus », « ministerium », potius actionem ecclesiae in opere redemptionis Christi designat. Vidimus supra Christum et ecclesiam in mysterio inter se coniun-

(1) L, pp. 181-183.
(2) L, pp. 183-186.
(3) L, pp. 179; 185; 193-194.
(4) P, pp. 75-77.

ctissime operari, nihilo minus mysterium potius actionem sponsi, liturgiam sponsae definire possumus, duas res tamen non nimis dividentes. Etenim quoniam ecclesia exteriores ritus perficit, Christus intus in iis et per eos operatur, etiam actio ecclesiae verum mysterium est. Attamen licet nomen liturgiae modo speciali de opera ecclesiae in cultu agendo adhibere et inde quaestio oritur quo modo mysterium Novi Testamenti liturgia factum sit.

Huius rei ultima ratio, ut supra iam diximus, in eo est quod Christus mysteria ecclesiae suae tradidit..... Id quod mysterio continetur, adeoque etiam huius formam essentialem, Dominus..... ipse instituit ac commendavit; illius autem celebrationem ecclesiae commisit; non tamen omnia ac singula determinavit quae ritui communi seu synaxali necessaria erant vel utilia. Cum ecclesiae suae « pneuma » suum relinqueret, etiam potestatem ei dedit thesaurum infinite locupletem qui mysterio a se tradito continetur, in pecuniam convertendi (ausmünzen), evolvendi et filiis suis novis ac novis iterum verbis et gestibus exponendi. Amor eius nuptialis illam impellit ut e dono sui sponsi canticum amoris super amore eius agat, materna eius bonitas ei suadet ut filiis suis omnia diligenter explicet et accommodet (1).

V. Si quaeritur nunc num etiam IN ALIIS RELIGIONIBUS praeter catholicam, forma mysterica cultus adhibeatur vel adhibita sit, cum ista historica quaestio ad rem nostram non pertineat, haec breviter ad mentem auctoris responderi possunt.

Forma mysterica antiquis *cultibus publicis* apud populos paganos omnino aliena fuit. Cultus *hebraicus* quidem suas commemorationes habebat, at hae erant simplices commemorationes, quibus videlicet memorabantur facta praeterita sine horum reali ac mystica praesentia. Rursus mysterium propria forma cultus fuit in iis religionibus quae maxime *in aetate hellenistica* per totum orbem terrarum ortae sunt et propa-

(1) In liturgia igitur definienda P. Casel ad sententiam D. C. Callewaert, *Liturgicae Institutiones*, Tractatus primus, De Sacra liturgia universim, edit. 3. (1933), pp. 6-10, valde prope accedit.

gatae. Typus *idealis* mysterii quem exhibent istae religiones, hac ratione definiri potest: « Actio cultualis, quae, adhibito rituum ordine, praesentem efficit oeconomiam quandam salutis; ritus porro istos agendo credentes partem assequuntur istius oeconomiae et ea ratione salutem suam operantur ».

Maxima est igitur similitudo mysteriorum christianorum et hellenisticorum. Quomodo hoc explicari potest?

Mysteriis paganis Providentia divina viam ad mysteria Christi munivit (« Die Vorschule Christi »). In christianismo mysteria pagana plenitudinem suam demum assecuta sunt. Cuius desiderio antiquitas flagravit, at umbram tantum valde imperfecte adepta erat, id adventu Christi eximie ac largissime impletum est, et hoc modo tam admirabili quem nequaquam mens humana excogitare potuisset.

Ipsum quidem mysterium christianum cum suo supernaturali symbolismo ac caelesti veritate, cum pneumate quod continet, Dei fuit beneficium; forma vero illius complectitur quidquid fuit in antiquis hominum religionibus optimum, pulchritudinem videlicet hellenisticam ac mysticismum orientalem, illud tamen purgatum, spirituale factum ac ministerio divino nobilitatum.

Liturgia christiana igitur, ut est verum cultus mysterium, e divino Iesu Christi mysterio et e formis quas antiquorum religiosus cultus suppeditabat, constituta est. Sic antiquitas Christo utique servivit, quoniam sine forma ipsa res, seu sine corpore id quod in divina Novi Testamenti revelatione novum erat atque intellectum humanum excedens, nequaquam cognosci poterat. Hellenismo autem in consiliis suis exsequentis Providentia divina usa est (1).

---

(1) C, pp. 1-44; 101-104; P, pp. 61-65; 94-115; H, pp. 139-144. Cfr D, pp. 10-15.

Ex rerum conditione ac necessitate etiam vocabula mysteriorum paganorum propria in usum s. Pauli, ss. Patrum et ipsius ecclesiae transierunt (1).

Typum antiquorum mysteriorum definire conatus est etiam auctor protestans R. Will, *Le culte.* Etude d'Histoire et de Philosophie religieuses (2). Tres videlicet typos cultus distinguit: sacrificium, mysterium, orationem. Mysterium sacrificio et orationi saepe opponit quidem etiam P. Casel (3), at cum hoc discrimine quod in religione christiana orationem quoque et sacrificium mysteria facta esse docet (4). Nihil enim Deo gratum nobisque salutare in religione a Christo condita agi potest, nisi ex virtute passionis eius; haec igitur in quolibet actu liturgico praesens reddenda est, seu nullus est cultus liturgicus quin ex anamnesi, id est e commemoratione mysterica constet. A C. Will autem (5) ipsum antiquum mysterium his verbis generatim describitur: « Omni mysterio subiacet mythus dei cuiusdam morientis et resurgentis; qui mythus unione mystica in veritatem vivam mutandus est; unio haec effici censetur sive incarnatione dei in homine, sive apotheosi hominis, qua acquirit gnosim, omnipotentiam, gaudium dionysiacum et naturam divinam; ad hoc porro adhibentur ritus qui drama quoddam constituunt et mythum religiosum repraesentant ». Tribus porro notis omnia mysteria dignoscuntur: 1. Omnia mysteria conantur figurare et efficere unionem mysticam; 2. habent naturam esotericam; 3. ad ritus suos spirituales reddendos propendent.

Quae quantum omnia ac singula vera sint peritioribus decernendum relinquimus. Nos hic tantum animadvertemus istam mysteriorum paganorum descrip-

(1) P, pp. 63-65; H, p. 141.
(2) I, Argentaurati (Strasbourg), 1925, pp. 117-202.
(3) V. g., H, p. 140; P, pp. 57-58; 63-64; 99.
(4) V. supra pp. 122*. 123*.
(5) O. c., p. 125.

tionem cum eorum definitione a P. Casel data plane congruere videri (1).

Quid autem de theoria cultus mysterici nobis IUDICANDUM est ?

Magnum profecto istius theoriae meritum est quod divinum *factum* nostrae redemptionis, quae per Christum, cum Christo et in Christo salvi fimus, splendide illustrat simulque eloquenter demonstrat omnia nobis in Christo « recapitulata » esse. Clare quoque in illa apparet sacramenta atque eorum opus operatum, et aliquo modo etiam sacramentalia ceterosque ritus liturgicos cum efficacitate sua ex opere operantis ecclesiae, quoniam ea omnia nos cum Christo redemptore coniungunt, non partem aliquam vitae nostrae spiritualis esse sed eius fundamentum ac fontem. Merito praeterea et pulchre affirmatur nostram redemptionem, sive ipsius Christi actiones salutares, sive actiones quibus nos istius redemptionis socii fimus ac sumus, considerantur, totam in sacrificio quodam sitam esse, ita ut universa nostra vita spiritualis perpetuum sacrificium dicenda sit, centrum tamen suum habeat perfectionemque assequatur in sacrificio eucharistico, quod unum est ac verum sacrificium novae legis.

Laudanda denique est demonstrationis via quam secutus est P. Casel. Etenim veritas praesentiae mystericae non pendet a quaestione utrum necne ista praesentia veri similis vel etiam possibilis appareat, sed satis est ut eius impossibilitas non demonstretur,

---

(1) V. tamen I. B. UMBERG, « *Mysterien* » *Frömmigkeit*, Zeitschrift für Aszese und Mystik, 1 (1925/26), pp. 364-365.

Breviter percenset omnes antiquas mysteriorum formas LEISEGANG, *Mysterien*, in Die Religion in Geschichte und Gegenwart (Dictionarium protest.), IV (1930), pp. 326-332. Idem facit, addita brevi rituum praecipuorum descriptione, S. TROMP, *De revelatione christiana*, edit. 2.a, 1931, pp. 282-299; subdit hic etiam bibliographiam, ibid., pp. 349-353. RURSUS E. JACQUIER, *Les mystères païens et Saint Paul* (art. script. post 1918), DAFC, III, 1916, coll. 964-1014, specialem quaestionem tractat, quam articuli titulus satis indicat.

unumque quaerendum est, utrum nimirum necne factum praesentiae mystericae directe vel indirecte tamquam veritas fidei a traditione catholica asseveretur. Si factum porro e traditione verum demonstratum erit, postea theologice explicandum erit.

Nihilominus de theoria P. Casel, ut haec est a nobis exposita, iudicium nostrum dubium esse non posse videtur : *cultus liturgicus mysterium cultus seu cultus mystericus definiri non potest* (1).

Ratio autem nostrae negationis non est quod naturam cultus liturgici, ut hic nobis definiendus esse videtur seu ut est cultus quem ecclesia publice Deo tribuit, cum natura cultus mysterici componi non posse existimemus. Si enim recte intellegitur definitio illa, neque consulto deformatur, liquet nihil impedire quominus cultus Deo publice ab ecclesia exhibitus sit etiam mystericus. Nonne sacrificium eucharisticum quod per excellentiam ritus est quo ecclesia publice Deum honorat, apud P. Casel maxime omnium mystericus est? Nonne cultus eo aptior ad Dei excellentiam protestandam apparet, quo efficacior est ad divinum nostrae redemptionis opus commemorandum? Quid autem ad hanc commemorationem mysterio efficacius haberi potest, utpote quod obiectum suum praesens facere censeatur (2)?

At verae causae ob quas definitionem liturgiae a P. Casel propugnatam non admittendam esse ducimus, ad ipsam notionem mysterii cultus ac praesentiae mystericae pertinent. Dubium namque nobis non videtur quin haec notio, 1^0 fines cultus liturgici adeo

(1) Articuli quos hic nomine auctoris additoque numero romano indicamus, integro titulo suo designati reperiuntur p. 115*.

(2) Quoniam tamen in theoria P. Casel cultus non solum Dei honorem sed etiam utilitatem nostram spiritualem respicit, liquet cultum liturgicum ut a nobis definitur, partem esse (subiectivam) mysterii cultus seu cultus mysterici.

coartet ut ex iis plurimi ritus excludantur, qui de communi omnium consensu certissime cultus liturgici partes sint; 2^0 cultui liturgico specialissimam quandam naturam indat cuius veritatem neque historia christianae religionis neque traditio catholica demonstrat; 3^0 ipsa falso conceptu praesentiae sacramentalis seu praesentiae ad modum substantiae nitatur.

I. - Si ad omnem actionem cultus mysterici necesse est *praesentes sint actiones salutares Christi*, quoniam hae praesentes esse non possunt, nisi ubi ipse Christus vere praesens est, inde sequitur nullum praeter sacramentum eucharistiae verum mystericum ritum esse posse. Etenim in eucharistia dumtaxat Christus vere praesens est, praesentia vero per virtutem instrumentalem a se participatam seu per pneuma suum, non est ipsius Christi, ut est Deus et homo, vera praesentia, licet illa virtus, quod ad effectum sacramenti attinet, aliquo modo cum ipsa Christi substantia in eucharistia praesenti comparari possit.

Veram mystericam praesentiam in eucharistia tantum haberi posse inde quoque liquet, quod ad mentem ipsius P. Casel actiones Christi salutares substantia sua dumtaxat seu ad modum substantiae tantum adsunt. Haec autem postulat ut ipse Christus ad modum substantiae adsit, quod fieri non potest nisi ex vera transsubstantiatione adeoque in eucharistia tantum. Utrum vero necne actio quaedam substantia sua praesens esse possit infra examinamus.

Idem denique ex hoc principio deduci potest, quod in nullo vero mysterio quidquam mystice perfici potest, quod ritibus mystericis non significetur. Iam vero, si eucharistiam iterum excipias, quid sit in ritibus ceterorum sacramentorum, sacramentalium, officii horarum, quo Christi passio ac glorificatio symbolice exhibeatur, ne auctor quidem demonstrare potuit. Etenim quod ad ipsum baptismum pertinet, etiamsi hoc

sacramentum in principio immersionibus et eductionibus semper agendum fuit, nemini fortasse umquam in mentem venisset ritus eius tamquam symbolum mortis ac resurrectionis Christi interpretari, nisi s. Paulus docuisset nos cum Christo consepeliri per baptismum, ut in novitate vitae ambulemus, resurrectionis Christi similitudinem referentes. Nam neque ipsi ritus immersionis atque emersionis neque verba fidei professionis quae cum istis ritibus coniuncta erant, passionem ac resurrectionem Christi manifesto ac perspicue figurare vel significare nata erant. Quo autem modo trina aquae infusio et forma baptismatis in ecclesiis Occidentis et Orientis hodie consueta illa facta significent, explicet qui potest.

Liturgicum autem cultum ad sacrificium eucharisticum reducere velle profecto divinae sacramentorum institutioni et constanti ecclesiae traditioni contrarium esset (1).

II. - A. Quoniam existimat ipsam Dei providentiam, quae hominum *historiam* regit, mysteriis paganis viam ad mysteria christiana paravisse, immo res sic disposuisse ut haec ab illis formam suam acciperent, sibi consentaneus est P. Casel, cum etiam ex mysteriorum antiquorum ratione rationem mysteriorum christianorum cognoscere atque explicare conatur.

At data, non concessa, istius principii veritate, non satis critice nobis videtur auctor in sua demonstratione egisse. Valde dubium scilicet nobis est num plerique viri historiae mysteriorum antiquorum intellegentes agnoscere velint idealem istorum mysteriorum typum quem sibi P. Casel efformavit, cum eorum vera natura congruere. Praeterea nequaquam nobis probatum est, licet hoc sit in theoria P. Casel fere praecipuum, homines aetatis hellenicae proprie affirmare

(1) Cfr Umberg, III, pp. 93-94.

voluisse non solum deos suos vere esse sed etiam in mysteriis vere adesse, in iisque reapse mori et resurgere. Nonne haec omnia illis potius mera symbola erant? Haec interpretatio certe multo altera veri similior pro generalibus illorum temporum conditionibus apparet. Quod autem in mysteriis omnia dicebantur atque agebantur, tamquam in iis vere praesentes essent dei eorumque passiones et actiones, hoc nihil efficit, quoniam liquet eam esse omnis symbolismi humani legem, ab omnibus agnitam atque admissam, ut omnia fiant, *quasi* ea quae mystice aguntur, etiam reapse perficiantur. Satis est ut effectus qui intenditur re vera sequatur. Nihil igitur e ritibus ac formulis antiquorum mysteriorum deduci potest de obiectiva veritate quae ad mentem fidelium iis attribuenda fuerit (1).

B. Similem principii petitionem in ponderandis *testimoniis traditionis* catholicae nobis perpetuo admisisse videtur P. Casel. Ipsi loci quos e Patribus vel antiquioribus theologis affert plerique satis cogniti erant. Totum negotium in eorum interpretatione est, utrum videlicet realisticum sensum habeant an symbolicum. Simpliciter autem affirmare sensum alium non esse quam realisticum (2), est id ipsum quod demonstrandum est, pro argumento adhibere. Deinde non satis est patris vel theologi alicuius unum vel paucos locos qui theoriae cultus mysterici favent adducere; integra illius auctoris de re sacramentaria doctrina perpendenda est.

Quare nostrum facere non dubitamus iudicium quod de hac demonstratione P. Casel tulit A. Stohr (3): Probatio, inquit, praesentiae mystericae passionis Christi in baptismate ex uno loco epistulae Ad *Roma-*

(1) Cfr Umberg, II, pp. 370. 371.
(2) V. g., L. p. 162 et saepius.
(3) I, pp. 356-358.

nos (6, 3, ss.) desumpta plene efficiens non est; ipsa verba s. Pauli ad hoc obscuriora sunt nec quicquam iuvant ratiocinationes quibus indulget P. Casel. Patrum vero singula testimonia accurate examinanda essent; at iam nunc asseverare licet etiam illa testimonia quae graviora videntur, si quid re vera efficiunt, non integram theoriam P. Casel probare sed eius partem tantum; lacunas autem traditionis ampliores esse, quam agnoscere velit auctor. E congestis documentis constans quidem apparet in traditione oppositio: « in re — in mysterio; in facto — in sacramento »; at quaerere quis potest utrum ita a patribus parata quaedam theoria exhibeatur, an non potius fidei ac traditionis veritas transmittatur. In rebus enim difficilibus atque obscuris, quales sunt veritates dogmaticae, necesse quidem est hanc obscuritatem significare ac certo definitoque historico facto (v. g. morti Christi in cruce) opponenda est huius arcana in sacramento quasi repercussa vox; at qui hoc facit non propterea necessario novum rerum ordinem, aequali, quamvis diversa, realitate praeditum, instituere intendit. Hoc sensu igitur intellegi potest apud Patres oppositio rei seu facti et mysterii seu sacramenti. Ceteroquin magnum certe damnum esset a perfectiore ac subtiliore scholasticorum doctrina de sacramentis ad inchoatam tantum et saepe incertam patrum theologiam reverti.

Ex diligenti autem inquisitione cui P. I. B. UMBERG (1) eandem demonstrationem subiecit, hoc saltem concludendum esse existimamus quod sensus quem P. Casel testimoniis a se collectis attribuit, nullo pacto manifestus est.

De argumento denique quod P. Casel ex usu anamneseos deduci posse putavit, fatendum est eius ratiocinium quo demonstrare conatur verbis canonis romani: « Unde et memores », aliud significari non

(1) II, pp. 376-387.

posse, quam obiectivam, realem et mystericam commemorationem, ne speciem quidem consequentiae exhibere. Cur enim non possit etiam subiectiva commemoratio veri sacrificii offerendi causa esse ? Et etiam si realis esset ista commemoratio, id est non in animo tantum, neque in verbis consistens, sed ex actionibus constans, non inde sequitur eam talem esse quae obiectum suum vere praesens reddat (1). De testimoniis vero patrum vel theologorum ad anamnesim spectantibus supra iam diximus (2).

C. Commendaturne theoria cultus mysterici *auctoritate s. Thomae ?*

Neque commendatur, neque, ut in sectione III ostendemus, commendari potest. Immo doctrinae s. Thomae contraria est.

1. Locus ille (3, 22, 3 ad 2) ubi s. Thomas affirmat sacrificium quod cotidie in ecclesia offertur non esse aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemorationem seu cotidianum sacramentum, profecto aptissime cum theoria mysterica congruit, at cum etiam alio modo intellegi possit, interpretatio eius solum e cognitione totius doctrinae s. Thomae recte fieri potest (3).

2. Principium : « Sacramenta id efficiunt quod significant », nullo modo s. Thomae fuit vel scholasticorum. Immo omnes sine ulla dubitatione negant sacramenta efficere quidquid significant ; id solum videlicet efficiunt sacramenta quod *demonstrative* significant, seu id quod simul in se *continent*, seu id quod *hic et nunc efficiendum* significant. E tribus rebus

(1) V. etiam Umberg, II, pp. 374-376.
(2) Cfr Umberg, II, pp. 376-387.
(3) Umberg, II, p. 387.

igitur quas omne sacramentum *significat*, gratia dumtaxat *efficitur* (1).

3. Quo sensu affirmaret Christum in eucharistiae sacramento immolari seu eucharistiae celebratione iure dici immolationem, ipse s. Thomas explicare non omisit. Ideo nimirum ista celebratio immolatio Christi dicitur, primo quia celebratio istius sacramenti est *imago* quaedam repraesentativa passionis Christi, quae (passio) est *vera* eius immolatio; secundo, quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur *fructus* dominicae passionis. Et paulo infra subiungit quantum ad primum modum attinet, potuisse dici Christum etiam in figuris veteris testamenti immolari; quod autem ad secundum modum, proprium esse huic sacramento, quod in eius celebratione Christus immoletur (2).

4. Non certo demonstratur vocem *repraesentare* apud s. Thomam umquam idem valere quod *aliquid praesens reddere*. Rursus non desunt loci in quibus manifesto *repraesentare* aliud non valet quam *imagine vel figura exhibere* (3).

Temere autem affirmatur sacrificium eucharisticum ad mentem s. Thomae verum seu reale esse non posse, nisi commemoratio passionis, in qua consistit illud

---

(1) De tota hac re v. demonstrationem P. Umberg, II, pp. 387-389; III, pp. 96-103, quae certissima nobis videtur neque explicationibus a P. Casel tentatis infirmanda. Hae sunt rationes e quibus ista probatio constat: 1. Ipsa distinctio atque oppositio signi *rememorativi* vel commemorativi rei *praeteritae*, signi *demonstrativi* rei *praesentis*, signi *praenuntiativi* rei *futurae*; 2. ratio omnium theologorum communis qui, cum in suis tractatibus de effectibus sacramentorum agunt, passionem vel futuram gloriam prorsus ignorant; 3. opinio s. Thomae et aliorum magnorum doctorum qui negant sacramenta antiquae legis, quod ad significationem passionis Christi pertinet, a sacramentis novae legis natura differre; 4. distinctio rei in sacramento *significatae et contentae* et rei *significatae tantum*, quarum prior sacramento efficiatur, altera non efficiatur; 5. clara ac definita plurium magni nominis theologorum sententia qui praesentiam passionis Christi in eucharistia pernegant ac denegant. Cfr Stohr, II, 43, pp. 43-44.

(2) Cfr Umberg, II, p. 389; Stohr, II, 43, pp. 45-46.

(3) Illos collectos reperies apud Stohr, II, 43, pp. 41-42 et Umberg, II, p 389, III, pp. 100-101.

sacrificium, vere contineat seu praesens reddat sacrificium a Christo in cruce olim oblatum. Veritas namque sacrificii eucharistici aliis modis a s. Thoma concipi potest et reapse alio prorsus modo ab eo intellegitur (1).

5. Tam parum doctrina de praesentia mysterica cum sententia illa quae sacramentis causalitatem physicam attribuit, cohaeret, ut, v. g., SUARESIUS hanc causalitatem doceat, a theoria vero mysterica toto caelo distet (2).

Ex iis quae de sententia s. Thomae exposuimus, deducere licet immerito quoque theoriam de praesentia mysterica concilio Tridentino et Catechismo romano adscribi (3), quoniam cum concilium tum catechismus suam fecerunt doctrinam Aquinatis (4).

III. - At theoria de praesentia mysterica non solum constitutioni cultus liturgici, historiae et traditioni adversatur, sed etiam a solida ac probata theologia aliena apparet. Quoniam autem ad numerum I iam ostendimus ipsa praesentiae mystericae definitione quam proponit P. Casel, e finibus cultus mysterii cultus excludi omnes ritus liturgicos praeter eucharisticum, ad hunc solum pertinebit praesens nostra disquisitio.

Primum igitur immerito affirmatur, quod in theoria P. Casel constanter fieri videtur, praesentiam Christi sacramentalem in eucharistia etiam modum quendam specialem, pneumaticum seu spiritualem, quo Christus esset atque ageret (eine eigene Seinsweise) in se complecti, cum in doctrina s. Thomae ista prae-

(1) Cfr STOHR, II, 43, pp. 44-45; 46-47.

(2) Cfr UMBERG, III, p. 104.

(3) Ceterum de hac re v. UMBERG, II, pp. 390-394, III, pp. 100-101 (de sensu vocis repraesentare); STOHR, II, 43, pp. 47-48

(4) Totum iudicium nostrum de argumento quod P. Casel e traditione liturgica, patristica, theologica deduci posse censuit, summatim complectitur STOHR, II, 43, pp. 48-49.

sentia non significet ullum specialem modum exsistentiae vel actionis, sed *praesentiae* tantum. Contineri namque in sacramento, sicut contineri in caelo vel in alio quolibet loco, est denominatio prorsus extrinseca et posterior (1). Est igitur Christus in sacramento ; in eo vivit, intellegit, amat ; potest in eo pati, mori ac resurgere ; perperam autem dicitur eum sacramentaliter esse, vivere, intellegere, amare ; sacramentaliter posse pati, mori ac resurgere, nisi *sacramentaliter* idem valeat atque *in sacramento*.

Falsum quoque est vel certe doctrinae de praesentiae ad modum substantiae contrarium censere opus redemptionis in sacramento eucharistiae e quadam partium suarum aliarum in alias compenetratione, « sine historico prius et posterius » (« ohne historisches Vor und Nach » ; I, p. 191) seu sua naturali duratione privatum et quasi totum in se contractum adesse. Etenim talis praesentiae modus esset etiam specialis ratio essendi, quam admitti non posse diximus. Deinde idem latet in ea sententia conceptus quem merito, ut nobis videtur, improbat L. Billot (2), apud illos theologos qui censent substantiam Christi in eucharistia actuali sua dimensione carere, spatium vero (dimensionibus panis et vini signatum) implere per modum rei quae in punctum contracta, simul continuo per spatium diffunditur atque inflatur, ut tota exsistat in toto et tota in partibus singulis.

Perperam deinde existimatur aliquid quod ad Christum ut in se est, pertineat, posse in rerum natura esse et nihilo minus in sacramento deesse, seu fieri posse ut ex universis actionibus Christi in sacramento adsint dumtaxat illae quas salutares vocat, ceteris omnibus exclusis, vel ut substantia (Kern)

(1) L. Billot, *De ecclesiae sacramentis*, t. I, edit. 6.a, 1924, p. 487 ; cfr p. 475 ; 631.

(2) o. c., pp. 452-457 ; 458-459.

tantum redemptionis nostrae, accidentibus suis spoliata, illo contineantur. Unde enim fieret ut aliae ex iis actionibus adessent, aliae deessent ? Num ex actione quadam divinae potentiae quae gratis omnino fingeretur ? An vi ipsius sacramenti ? At sacramentum talem vim nequaquam habet. Vi enim sacramenti adest tantum substantia corporis et sanguinis Christi, non autem eius anima, non eius quantitas, multo minus ergo eius actiones vel passiones. Rursus neque ullam Christi actionem vel passionem excludere valet sacramentum ipsum (1). Restat igitur ut, quod lex realis concomitantiae postulat, omnes actiones quae realiter et constanter cum Christo in essendo coniunctae apparent, cum eo etiam in sacramento praesentes dicantur et quoniam P. Casel (utrum iure an immerito, postea dicetur) non solum actiones praesentes Christi sed etiam praeteritas et futuras realiter ac constanter cum illo coniunctas esse tenet, has omnes cum omnibus ac singulis suis accidentibus in eucharistia adesse fateri deberet, ut secum constaret.

Docet quidem s. THOMAS, *Summa theologica,* 3, 81, 4, numquam fore potuisse ut Christus in sacramento irrideretur, conspueretur, crucifigeretur, flagellaretur vel alia similia pateretur, at haec doctrina nullo pacto affirmationi quam theoriae P. Casel opposuimus, adversatur. Negat enim tantum Angelicus Christum posse per sacramentum « corporibus extrinsecis » attingi atque affici, nequaquam vero negat Christum in sacramento praesentem in se pati debuisse omnes eos effectus qui necessario actiones « corporum extrinsecorum » sequuntur. Si Christus, v. g., in sacramento praesens fuisset, quando a tortoribus flagellatus est, etiam in sacramento vehementissime doluis-

(1) L. BILLOT, o. c., p. 631 ; pp. 476-479 ; M. DE LA TAILLE, *Mysterium fidei,* edit. 3. a, p. 316, a. 4.

set, immo cutis eius rubris lineis sulcata esset et fissa sanguinem mox emisisset (1).

Manifesto denique peccatur contra doctrinam de reali concomitantia, cum asseveratur Christum posse simul in sacramento mori et in natura rerum vivere. Quoniam enim Christus plane idem est eodemque modo se habet in caelo et in sacramento, licet ratio praesentiae in duobus locis alia et alia sit, nullum dubium est quin affirmatio quam diximus contradictionem in terminis complectatur.

Itaque, ut supra iam declaravimus, theoria de praesentia mysterica passionis in eucharistia, prout ab auctore exhibetur, cum solida ac sana doctrina theologica nobis congruere non videtur.

At nonne ista theoria corrigi ac perfici potest, negando videlicet Christum in sacramento eucharistiae modo speciali esse, agere ac pati, rursus affirmando non partem tantum redemptionis sed hanc totam in illo sacramento praesentem esse idque cum omnibus suis « accidentibus » et cum naturali suarum partium, extensione seu duratione. Nonne tunc, pro analogia quae est inter rationes spatii et temporis hoc modo, qui omnem difficultatem removere videtur, praesentiam redemptionis in eucharistia proponere licebit ?

Sicut quantitas substantiae Christi videlicet, cum hac et per hanc, in eucharistia praesens est, eique suam actualem extensionem confert, ita ut sine commensuratione istius extensionis cum extensione quantitatis permanentis panis et vini consecrati, Christus, etsi naturali sua statura praeditus, nihilo minus intra

(1) Immerito igitur Patri Casel a P. Umberg obicitur, ex illius theoria sequi in eucharistia non solum ipsum Christum vere praesentem esse sed praesentes quoque esse omnes etiam personas (puta B. V. Mariam, tortores, etc.) vel res (v. g. crucem) quae subiecta vel termini passionum et actionum Christi fuerunt. Umberg, II, pp. 363-366. Liquet enim istam obiectionem doctrinae s. Thomae, quam supra memoravimus, adversari.

dimensiones panis et vini contineatur, totus in toto et totus in singulis partibus; sic etiam integrum opus redemptionis Christi, una cum huius substantia ac quantitate et per eas, in sacramento praesens est, ita ut cum tota sua naturali duratione intra tempus eucharistici ritus perficiatur, sine commensuratione tamen illius durationis cum hoc tempore, sed totum in toto et totum in singulis momentis.

Seu sicut totus Christus cum integra sua statura in loco eucharisticarum specierum non-localiter adest, sic opus redemptionis cum integra sua naturali duratione in tempore eucharisticae celebrationis non-temporaliter praesens est; et sicut quantitas Christi, etsi eadem est quae cum dimensionibus loci caelestis a Christo occupati commensuratur, in sacramento tamen cum loci caelestis dimensionibus non commensuratur, sic redemptio, quamquam eadem est quae, modo in terra, modo in caelo, per complura saecula acta est, perficitur et absolvetur, nihilo minus in eucharistiae celebratione neque illis locis neque temporibus commensuratur.

Nonne porro hac ratione tollitur omnis contradictio inter actiones et passiones Christi in sacramento et actiones et passiones eius in ordine reali (id est non-sacramentali), quoniam una eademque redemptio ex integro in utroque ordine perficitur? Contradictio enim tunc solum haberi posset, si actiones et passiones Christi in sacramento iis dumtaxat actionibus et passionibus opponerentur quae nunc Christi in caelo sunt, quoniam Christus in sacramento mori ac resurgere censetur, nunc vero in caelo semper vivus est. At, ut diximus, talis oppositio in theoria correcta reapse non fit, sed tota redemptio cum tota redemptione comparatur; seu una eademque redemptio est quae modo in historia, modo in sacramento praesens consideratur, adeoque actiones et passiones Christi

quae in ordine reali praeteritae vel futurae sunt, in sacramento quoque, quamvis praesenti, necessario praeteritae vel futurae sunt. Quae res cur magis mira dicenda est quam quod affirmatur Christum in hostia quadam praesentem a se ipso in caelo praesenti non distare (1)?

Verum tamen, etiam isto modo correcta, nonne theoria de praesentia mysterica redemptionis in eucharistia intimo quodam atque essentiali vitio laborare existimanda est?

Etenim nonne perfecta illa paritas spatii et temporis in systemate P. Casel et in illius correctione non solum gratis assumi sed etiam falsa esse dicenda est? De se quidem non exigit ulla substantia, etiam materialis, ut in loco sit localiter, sed est tota in toto loco et tota in singulis huius partibus, adeoque sine absurditate admitti potest etiam quantitatem alicuius substantiae, huius realem extensionem, passiones quoque et actiones, si haec omnia in loco non adsunt nisi per substantiam ipsam, modum eundem quo ista substantia de se in loco est, sequi, id est praesentia esse in loco non-localiter. At nonne falsum est substantiam aliquam materialem alio modo in tempore esse posse quam temporaliter, id est cum durationis suae et dimensionum temporis realis commensuratione? Nonne proinde multo minus admittendum est passiones atque actiones istius substantiae, quippe quae natura sua « motus » quidam sint, in tempore non temporaliter fieri posse?

Istam difficultatem non sine fundamento theoriae P. Casel obici arbitramur. Quare conclusio nostra est neque universum cultum liturgicum neque ipsum mis-

(1) Ex non nullis suorum operum locis deducendum videtur ipsum P. Casel suam theoriam eo modo quem exposuimus concepisse vel correxisse.

sae sacrificium mystericum vocari posse, eo sensu quo P. Casel vocem « mysterium » accipiendam esse existimavit. Vere autem mystericus dici potest, si ad mentem s. Thomae, ita enuntiatur non solum missae sacrificium, sed omne sacramentum, immo omnem ritum liturgicum passionem Christi, ex qua noster cultus totam suam dignitatem atque virtutem haurit, maiore vel minore efficientia et veritate significare et commemorare. Et sic isti cultui omnia illa merita servantur, quae theoria Patris Casel ei addere nata erat.

Haec dicta sint de theoria P. Casel, prout in singulis actionibus liturgicis praesentiam aliquam Christi et operis redemptionis nostrae adstruit seu prout cultum liturgicum theologice explicare intendit.

Quid autem est de illa theoria existimandum, prout — sine ulla vera utilitate — formam cultus liturgici, peculiarem scilicet rationem qua ritus sacer suum obiectum significat ac praesens reddit, ei e cultu mysterico Gentilium obvenisse asseverat? Gravem, ut nobis videtur, errorem illa continet, quoniam (sane contra sui auctoris voluntatem) necessario affirmat rem quae ad ipsam sacramentorum substantiam pertineat, ex ritibus paganis esse acceptam. Quod utique non solum sacramentorum dignitati sed eorum divinae quoque institutioni adversatur.

Quantum denique dolendum est quod tales theoriae, quae etiam si aliquatenus verae esse possunt, semper tamen sunt falsis interpretationibus obnoxiae, tam praepropere atque inconsulte, cum primum conceptae sunt et antequam inter viros peritos et theologos ullo modo examinatae sint atque efformatae, statim omnibus modis quibus « propaganda » moderna utitur, inter fideles, cum magno plurimorum periculo, divulgantur ac commendantur.

IOANNES M. HANSSENS S. I.

De minimorum et mediocrium agricolarum conditione respectu quaestionis socialis.

Encyclica *Rerum Novarum*, licet generales traderet normas universo ordini sociali applicabiles, praeprimis tamen, ut ex ipso titulo « De conditione opificum » apparet, quaestionem operariorum exponebat. Ante omnia enim determinanda erat laboris ratio.

Encyclica Pii XI « Quadragesimo Anno » has salutares doctrinas de opificum conditione redintegrat; sed, si tota consideratur, ampliorem complectitur materiam, videlicet, totius ordinis socialis restaurationem: « De ordine sociali restaurando et ad evangelicae legis normam perficiendo ».

Commemoratis primum fructibus ab Encyclica *Rerum Novarum* collectis - etiam sub respectu conditionis opificum - ennucleat et illuminat ea quae docet Ecclesia de re oeconomica et sociali, profundasque mutationes a Leonis XIII tempore ad nostrum operatas notat. Peculiariter considerat regimen capitalisticum nostrae aetatis necnon eius consequentias in eas partes societatis quae ei directe subduntur. Cum tamen hoc regimen et influxum suum etiam in alias extenderit, in quibus et ipsum nondum viget, illa quoque in litteris encyclicis respiciuntur.

« Verum est, ita Q. A., ne hodie quidem solam hanc oeconomiae rationem ubique vigere: est enim et alia ratio, cui addicta est adhuc ingens et numero et pondere valens hominum multitudo, ut v. g. ordo agricolarum, in quo maior generis humani pars honeste ac probe, quae ad victum cultumque pertinent, sibi comparat. Suis etiam haec angustiis premitur et difficultatibus, quas et respicit Decessor Noster non paucis Litterarum suarum locis, et Nos hisce Nostris non semel attigimus.

« Ast " capitalisticum „ oeconomiae regimen, cum industriae usus toto orbe terrarum dilatatus sit, plurimum et ipsum post Leonis XIII Encyclicas Litteras datas quaquaversus est dilapsum, adeo, ut etiam eorum, qui extra eius ambitum versantur, oeconomicam et socialem conditionem invaserit et pervaserit, eamque suis sive commodis sive incommodis et vitiis, vere afficiat et quodammodo informet ».

Exinde perspicitur cur relata encyclica quasi necessario de iis etiam qui ad hoc alterum regimen adhuc pertinent verba faciat. Agricolas per modum exempli proferendo, evidenter alios etiam inspicit ordines mediae conditionis, qui in eodem statu versantur respectu regiminis capitalistici.

Paucis abhinc annis horum ordinum conditioni, illorum praesertim qui parvis incumbunt mercaturis, industriis, artibus, valde opportune cura impenditur. Illum vero ordinem qui ut exemplum affertur in encyclicis litteris, nempe agricolarum, licet et ipse dignus sit qui prae oculis habeatur, hucusque in studiis suis aut praetergressi sunt aut obiter tantum consideravere plerique sociologi.

Liceat ergo nobis his paucis paginis in illum mentem convertere omnium eorum qui de rebus socialibus agunt.

Prius autem quam propositum nostrum aggrediamur, haec duo iuvat observare:

1. In his quae sequuntur eos respicimus quos vocare possumus parvos et mediocres agricolas: parvos scilicet qui agellum colunt, mediocres autem eos qui, ut in regionibus nostris plerumque evenit, aliquot tantum hectareas aut solo familiae subsidio aut secundario paucorum extraneorum conducta opera excolunt. Consulto igitur omittimus magnam agrorum culturam, quae multorum operariorum ope perficitur quaeque speciem induit capitalismi.

2. Considerationes quas proferimus innituntur praesertim conditione agricolarum in Belgio, regione scilicet parvae et mediae agriculturae imprimis dedita, quorum ceteroquin conditioni illa quae apud nonnullas vicinas gentes conspicimus valde affinia sunt.

I.

Estne operae pretium de parvis et mediocribus agricolis agere?

A. - *Eorum momentum ratione habita numeri.*

Pro variis nationibus variatur etiam parvorum ac mediocrium agricolarum numerus. Dum in quibusdam regionibus, cum aliis collati, pauci sunt, in Europa occidentali vero magnum momentum habent et numero et industria; ac Belgium sub hac ratione typica regio haberi potest. Nempe ex centum culturis octoginta et sex non excedunt singulae decem hectareas, ita ut ex summa trecentorum milium horum operum quasi ducenta quinquaginta milia ad parvas pertineant culturas, qui numerus totidem agricolarum familias exprimit, quarum singulae, generatim, saltem ex quinque membris constant.

B. - *Eorum momentum ratione habita religionis et morum.*

Agricolarum ordo in Belgio cum spiritu religioso cum morum probitate praestat. Quod omnibus manifestum est.

Patet autem ex unanimi parochorum testimonio et ex tabulis cum de sacramentorum frequentia ac missae assistentia, tum de puerorum numero. Addi possunt eventus electionum politicarum. Satis compertum est in Belgio eam quae principiorum politica dicitur vigere, partesque quae catholicae vocantur religionem propugnare, dum adversae liberalium scilicet ac socialistarum eam impugnant. Ruricolarum autem

pagi, ii praesertim qui agricolis constant, longe plurimis suffragiis catholicis partibus favent.

Hucusque ergo agricolae nostri fideliores remanserunt religioni, sed et ipsi obnoxii sunt hodierno spiritui indifferentiae religiosae ac morum depravationi ideoque his periculis serio obnitendum est.

C. - *Eorum momentum sociale.*

Praemittamus primum considerationem aliquam generaliorem, ex qua appareat quam necessarii sint in re publica mediae conditionis ordines, non secluso illo de quo agimus.

Quorum quidem partes eo maioris momenti sunt quo magis intendit capitalismus hodiernus ad homines in duos ordines valde diversos ac plerumque inter se oppositos dividendos: quorum alter capitalistas divites, alter vero humiles ac inopes complecteretur. Inter illos, mediae conditionis ordines quasi intermedium efformant, quo munere impeditur quominus discidium et altius et latius pateat; ideoque non sine gravi malo publico evanescerent aut momentum suum amitterent.

His praemissis, redeamus ad parvorum et mediocrium agricolarum ordinem.

Huius maximum momentum respectu boni socialis iam ex hoc apparet, quod in eo ordine permultae inveniuntur familiae numerosae: familiae magni faciendae quod apud eas elucent virtutes morales reverentiae erga auctoritatem, in laborando strenuitatis, in vivendo parcitatis; familiae cum corpore tum animo sanae, quae optimas consuetudines et a maioribus traditos mores sedulo conservarunt.

Augendo earum familiarum numero favet ars ipsa cui addicuntur. Parva enim et mediocris agricultura plerumque ope membrorum propriae familiae exercetur et pro portione magnum numerum alit familiarum, cum multas exigat manus in modica agri extensione colenda.

Insuper eae familiae urbibus ipsis haud parvae utilitatis sunt, quarum fere indesinenter renovant succum vitae, necnon operibus industrialibus, quibus valida praebent brachia; quod inspicienti tabellas et acta publica, vel etiam leviter consideranti, luce clarius apparet.

Omnino naturae consentaneum est ut hoc officio fungantur. Sed certa calamitas nationi immineret si, relictis aliquando agris ac immoderate sese in urbes et ad opera industrialia conferentibus, exhauriretur ille fons renovandarum virium. Re tamen vera non ita longe ab hac misera conditione absumus, quae quidem in nonnulis regionibus iam exsistit. Quem enim latet quot et quanta in Gallia oriantur lamenta de hac ruris derelictione?

Facili negotio quilibet in societate nostrae aetatis derelictionis huius percipere potest causas: alliciuntur a florentibus civitatibus, facilius cum illis communicare possunt, stipendia militum omnibus imponuntur, aliaeque multae dantur causae, praeter eas quae ab oeconomicis rebus proveniunt.

Num sufficienter prae oculis habetur quo tendat immoderata haec emigratio ac quantae ex ea consequi natae sint miseriae? Rectum libratumque societatis statum in discrimen vocaret et, quamvis indirecte, reapse tamen in nocumentum cederet industriae et opificum conditionis.

Nimia iam est opificum multitudo. Quippe in magna orbis terrarum parte ingens eorum numerus ab opere cessare hodie cogitur, in quorum sustentationem magnae singulis diebus pecuniae a guberniis impenduntur; dubitantque officinarum heri possintne omnibus illis in posterum laborem offerre. Quae cum ita sint, quid si etiam parvi et mediocres cultores magna multitudine ad augendum plus aequo numerum opificum concurrerent?

D. - *Eorum momentum oeconomicum.*

Quantum sit momentum agriculturae sub respectu oeconomico nemo non videt. At parva et mediocri scultura suas partes exercendas habet iuxta ampliorem culturam; cui immo ratione quadam praestat.

Siquidem haec agricultura varios profert generatim fructus, neque magnae pecuniae in diversis iis negotiis collocandae sunt; ex quo fit ut aptius sese accomodare possit oeconomicis conditionibus emendi et vendendi, quae de repente mutari possunt, his praesertim iniquis nostris temporibus, quibus continuo fere deturbantur, cum singulae nationes propriis mercimoniis omni modo favere conentur. Nonne de cetero patet fructus hos varios diversis necessitatibus absumptionis mirum in modum respondere?

Addas et huius generis cultores, si bene edoceantur et adiuventur, libenter intensam assumere culturam et selectos agri hortique fructus haud difficulter proferre. Unde iam suspicari fas est, quod eventu probatur, illos in praedictis adiunctis collocatos maiorem quam altera cultura fructuum quantitatem in unaquaque hectarea colligere posse: huius rei fidem faciunt tabellae publicae.

Generalioris ordinis aliud adest commodum, ad quod considerandum placet rursum ut exemplar sumere ea quae in Belgio offeruntur. Iam supra demonstravimus in hac regione ad 250.000 familias degere plerasque cum numerosa prole, quae de hac de qua agimus agri cultura vivunt. His vero ditescit res publica, eaedemque magno sunt usui iis qui modicam mercaturam exercent et industriam, apud quos stabili ac regulari modo necessaria emunt. Sic itaque parva et mediocris agrorum hortorumque cultura ad oeconomicam rem sustentandam concurrit.

Sufficiant proinde eae paucae considerationes ut liquide ostendatur quantum intersit etiam sub ratione oeconomica ut hae parvorum et mediocrium cultorum familiae conserventur, quantoque malo publico et oeconomico extinguerentur; et exinde, quomodo emigratio immoderata harum familiarum in opera industrialia et urbes non minus noceret ordini oeconomico quam sociali.

Commoda vero illa in re oeconomica quae secum fert ordo parvorum et mediocrium agricultorum — et hic insistendum videtur — obtineri et servari non possunt, nisi ordo ille ex se debilis et cui imminent pericula ex oeconomicis conditionibus huius temporis, efficaci sustineatur subsidio, sagaci iuvetur consilio ac prudenti dirigatur ductu.

II.

Quaenam est conditio parvorum ac mediocrium cultorum?

Mente fingamus parvum agricolam, omnino sibimet ipsi derelictum, qui satis sibi esse ducit tritis usque viis agellum suum colere. Misellus hic homo, quamvis servorum more laborans, vix aut ne vix quidem maxime sibi et familiae suae ad victum et vestitum necessaria comparare poterit. Multo minus lucratur quam opifex, quo etiam vitae ratione inferior est. Quibus in conditionibus, quomodo educet uti convenit prolem suam plerumque numerosam, aut quo modo ea otia inveniet quibus mentem aliquo modo excolat? Felix, si casu per aliquod anni tempus in officinis laborando, aut apud magnos colonos operam suam pro tempestate locando, vitae subsidia quadantenus augere potest!

E contra, si ii boni agricolae viam progressus sequentes, intensam assumere culturam selectosque agri

et horti fructus producere volent, in altiorem statum assurgent ac meliore etiam fruentur conditione oeconomica. En quod in Belgio et in aliis regionibus, quia de eis cura habita est, multis feliciter contigisse cognoscimus.

Et ipse mediocris agricola qui nonnisi paucas excolit hectareas, suis tantum viribus innixus ac tenaciter veteribus colendi rationibus addictus, vix statum suum servare valebit. Increscente in dies contentione, difficiliores inveniet emptores et pro mediocribus vulgaris suae culturae fructibus insufficiens tantum pretium accipiet, dum etiam vectigalia publica et alia onera agris imposita in dies ingravescunt. Etiam quod attinet conditionem socialem et intellectualem tardus ille agricola in peiore statu manebit.

Sed et iidem medii cultores generatim experti sunt suam conditionem omni ex parte meliorem effici in regionibus ubi, ut in Belgio, de eorum sorte cura habita est.

Nam perfectius artem exercere edocti ac recentiores culturae rationes adhibentes, meliores ac requisitis oeconomicis accommodatos fructus producunt, intellectum excolunt, ampliorem statum in societate obtinent, ipsi et praesertim eorum nati per vias progressus incedunt.

De hoc genere mediocrium parvorumque cultorum asserere potuimus eos maiores et meliores fructus ex agris percipere valere; et addere licet se hucusque, saltem in Belgio, difficilibus horum temporum adiunctis plus minus bene accommodare potuisse.

Ex his videtur affirmative solvi posse praegravis illa quaestio: daturne possibilitas incolumem servandi ordinem parvorum ac mediocrium agricolarum?

Indaganda restant media quibus magnum illud opus fauste perfici possit.

III.

Quibus viis et rationibus illis subveniendum?

Haurienda sunt haec media ex triplici fonte designato ab Encyclicis *Rerum Novarum* et *Quadragesimo Anno:* ex interventu scilicet Ecclesiae, ex interventu Status publici et ex actione propria eorum quorum id interest.

Quod ad interventum attinet Ecclesiae, cum admodum evidenter et perspicue eius utilitas pateat rationesque ab ipsa auctoritate constitutae sint, non opus est in praesenti amplius de iis tractare: sufficiet ergo ea breviter perpendere quae et a Statu et ab ipsis agricolis praestanda sunt.

A. - *Interventus Status.*

Praecipua principia quibus partes quas Status exercere debet et ipsa in praedictis encyclicis determinantur; exinde patet hic etiam pauca tantum dicenda esse.

Ex parte Status iusta libratagque aequabilitas inter diversas civium industrias servanda est; ideoque in legibus ferendis aequabiliter tractare debet agriculturam, nec ei onera proportione maiora imponere eique eadem commoda praestare quam aliis industriis, et consequenter in hodiernis difficilibus rerum adiunctis eam aeque ac ceteras tutari.

Maximi momenti pro illa est quaestio proprietatis eiusque usus, de qua tam ample tractant encyclicae. Publica auctoritas prae oculis habeat oportet duplicem characterem, individualem et socialem, proprietatis. Curandum est ut iura propietatis sarta tecta maneant, et ex alia parte, si adiuncta id postulent,

providendum ut locatarius protegatur eique praestetur firma possibilitas colendi agros cum iusto et convenienti lucro. Insuper nitendum erit ut quamplurimi parvi aut mediocres cultores et ipsi proprietates acquirere possint.

Status omni ope progressum agriculturae foveat, atque actionem seu sollertiam privatam eorum quorum res interest fulciat, ad litteram et mentem Encyclicarum R. N. et Q. A. Agitur hic potissimum de consociatione, quae tot sub formis tam apte multiplici necessitati parvorum mediocriumque cultorum respondet, de qua inferius verba faciemus.

Quod autem ad pauperiores et magis miseros inter agricolas spectat, debet civilis potestas aequa ratione in concedendis favoribus procedere, id est, pari passu ad eis auxiliandum sicut ad alios a fortuna derelictos iuvandos concurrere.

Encyclicae de quibus supra - et hoc indubium est - nullam distictionem faciunt: postulant enim a potestate civili ut subsidia sua aeque ad omnia genera indigentium extendat. Q. A. sua facit verba R. N., et inter alia hunc affert locum: « Siquidem natio divitum, suis saepta praesidiis, minus eget tutela publica: miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime innititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica ». Advertas opifices notari utpote qui ad pauperum genus pertinent.

Hic praesertim nobis socialem legislationem proponimus.

Fere ubique legislatio socialis, Deo gratiae reddantur, magnos progressus fecit in tutandis mercenariorum iuribus ac commodis; sed optare licet ut maiorem quam antea curam habeat parvorum agricolarum

et generatim eorum qui independenter laborant atque in inferiore conditione versantur.

En exemplum: Lex belgica, lata die 4 augusti anni 1930, de subsidiis ad sublevandas familiarum necessitates, decernit sat amplas subventiones mercenariis, pro numero prolis annis 14 minoris, vel etiam ad annum 18, modo adhuc scholam constanter frequentet. Apertis verbis, legis huius commoda tribuuntur omni mercenario quacumque fruatur mercede aut stipendio. Intelligimus quidem hanc legem, quae in interventu pecuniario dominorum fundatur, applicari non posse ei qui independenter laborat. Re tamen vera anomalia quaedam hic adest, siquidem parvus agricola vicinum sibi videt opificem his commodis fruentem quibus ipse caret, dum fortasse in longe peiore conditione versatur ipse. Optandum est igitur ut lex feratur quae quodam modo parvis cultoribus ac ceteris modicae conditionis civibus qui suo iure reguntur in laborando, ea commoda extendat.

Gallica quoque lex de eadem materia solis mercenariis favores suos reservat.

Si vero parvus cultor in deteriore quam ceteri ponitur conditione, non obviam itur primis eius necessitatibus, atque timendum est ne, intuitu subsidiorum quae mercenariis quidem concessa sibi denegantur, ab arvis recedens se in fabricas et fodinas conferat, unde necessario diffluent incommoda superius demonstrata: ceteroquin in Belgio hanc migrationem hisce annis iam incoeptam vidimus, quoad industrialis inopia ei posuit modum.

B. - *Actio eorum quorum res interest - Consociatio.*

Liquet eos ad quos res attinet teneri ad adhibenda omnia media quae ipsis praesto sunt, inter quae praecipuum illud est quod in Encyclicis R. N. et Q. A. apprime commendatur, nempe consociatio.

Encyclicae illae profecto primario de opificum consociatione agunt; sed tamen Pius XI non sine gaudio quae sequuntur refert: « Iisdem Leonianis Litteris haud exigua ex parte tribuendum videtur quod etiam inter agricolas aliosque mediae conditionis homines tantopere florere et augeri in dies cernuntur utilissimae huiusmodi consociationes, aliaque id genus instituta, quibus cum oeconomico emolumento animorum cultus feliciter copulatur ».

Non est cur notemus agricolarum consociationes ab opificum consociationibus differre, siquidem agricolae, etiam minimi, sui iuris sunt in laborando. Eiusdem sunt generis atque eae in quibus consociantur qui parva exercent negotia, industrias, artes.

Quomodo autem constituendae sunt agricolarum consociationes? Apte possunt illis applicari quae generaliora proponit Encyclica R. N. de opificum consociationibus: « Eam quae memorata est temperationem disciplinamque collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat, decerni certis definitisque regulis non censemus posse... Ad summam rem quod spectat, haec tamquam lex generalis ac perpetua sanciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur ».

Cui regulae Leo XIII hanc addit normam: « Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad causam praecipuam spectari oportere: eaque potissimum causa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent ».

Pius autem XI in Encyclica Q. A. sua facit quae ab R. N. docentur.

Non intendimus enumerare ea quibus, ut perfecta sit, constare debet agricolarum consociatio; attamen nobis videmur utilitatem aliquam allaturi si, quamvis brevissime, exponemus quae consociatio quaedam iam diu constituta protulit; atque fas sit exempla sumere ex ea quae nobis magis nota est, quippe cuius participes sumus, nempe foederatione agricolarum Belgii dicta *Boerenbond Belge*.

In territorio quod circiter dimidiam partem Belgii i. e. plus minus quindecim millia km. quadrata complectitur, *Boerenbond* collegit 122.000 membra, familiarum capita, in 1.200 sectiones pro locorum opportunitate distributa. Maior autem numerus eorum ex parvis mediisque cultoribus constat.

Foederatio nostra curam gerit de tota familia agri-vel horticultorum sibi adscriptorum. Idcirco constituit etiam consociationes iuvenum ruricolarum, ut et circulos villicarum et puellarum qui 116.000 membra complectuntur.

In capite sui programmatis primum omnium ea quae ad religionem et mores pertinent conlocans, pro viribus suis ad conservandam apud agricolas fidei ac morum integritatem, de qua superius diximus, cooperatus est. Perfecit etiam ut membra altiorem suae dignitatis socialis sensum caperent. Technicorum suorum studiis et experimentis rationes exquirit meliorandae et adiunctis aptandae culturae. Scientiam agrorum, quae in dies melior evadit, necnon disciplinas de re familiari gerenda, omnibus modis conatur in vulgus spargere.

Etiam de materialibus membrorum suorum necessitatibus magnam curam habet. Ita ad emendas materias primas agrorum ac vendenda mercimonia agri et horti culturae, mensam emptionis ac venditionis instituit,

quae multa et magna negotia pro membris tractat, ita ut etiam minimis inter eos omnia cooperationis commoda praebeat.

Habet et institutum crediti mutui ruralis, 1.100 capsas locales complectens, secundum systema « Raiffeisen » constitutas. Exeunte anno 1933 deposita capsae centrali concredita ad 1.640.000.000 fr. Belg. numerabant. Quae vero exsolvenda erant de pecuniis mutuo datis, decedente anno 1932 ad 333.760.000 fr. attingebant.

Societas assecurationis mutuae anno 1933 exeunte 204.000 contractus habebat: ut praemia vero decurrente anno 54.750.000 fr. acceperat.

En per summa capita exposita ea quae praecipue indolem et activitatem denotant consociationis *Boerenbond*. Sic fit ut agricolae et horticultores nostri, quia in arte meliorem peritiam consecuti sunt fideliterque instructionibus parent a consociatione receptis, atque, alia ex parte, a Statu in praesentibus adiunctis magis necessarias cautiones obtinuerunt, hucusque melius quam alii multi temporum difficultates sustineant.

Usque ad hoc tempus etiam Socialismus, non obstantibus summis conatibus ad alliciendos nostros parvos cultores, nihil perficere potuit. Populus noster agricolarum etiam nunc christianus et bene moratus permanet. Iuventus autem, ope consociationis suae foederationibus Actionis Catholicae adscripta, laetam pro diebus venturis praebet spem.

Divinae Providentiae gratias agamus quod nostros conatus fortunavit et finem facientes dicamus nos et alias regiones novisse ubi similes exitus eorumdem mediorum usum coronaverunt.

LUYTGAERENS (R. D.)

Secretarius generalis foederationis « Boerenbond Belge »

Maritus, valetne directe irritare uxoris vota matrimonio durante emissa?

Quaestionem hanc usque in diem carere responso communiter accepto neminem fugit. Mens nostra est methodo positiva doctrinae fontes perscrutari. Inde stratam nobis putamus viam, ut aequum possimus ferre iudicium de datis quaestionis huius solutionibus.

Voti irritatio, *ut paucis declaremus conceptus*, intellegitur eius ablatio per usum iuris contrarii, quo potitur irritans. Talis usus potest respicere ius, quo quis dominatur sive rei sive personae.

Irritatio quae efficitur per usum iuris quod confert rei dominium, nuncupatur irritatio *indirecta*. Hoc modo votum non annihilatur, sed tamdiu suspenditur, quamdiu voti adimpletio irritanti praeiudicium afferat.

Irritatio *directa* autem utitur iure quod tradit potestatem dominativam in ipsam personam. Hac ratione irritans habet sibi obnoxiam ipsam voventis voluntatem. (cfr C. I. C. c. 1312 § 1). Inde consequitur, ex una parte quod votum hac via omni sua vi destituitur ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat; altera ex parte quod irritandi facultas tali iure innixa non limitatur, quod attinet suam extensionem, nisi ipso in voventis voluntatem dominio (1). De facto ambitus facultatis directe irritandi comprehendit omnia prorsus vota, si demas votum professionis religiosae et votum perfectioris religionis capessendae.

Momentum sane habet quaestio haec non exiguum. Ipsam tangere personalem uxoris dignitatem, nemo ignorat; inquiritur enim, utrum uxor ita marito sit subiecta, ut ne unum quidem votum eius sit firmum

(1) Qua ratione attingat et vota interiora, videsis: Vermeersch A., Quaestiones de virtutibus religionis et pietatis ac vitiis contrariis. Brugis 1912; n. 135.

sine viri approbatione, saltem tacita, necne. Quid est hoc aliud nisi quaerere an aequales esse ducendas partes hac in re uxoris et filii impuberis ?

I. - Quid nos docent doctrinae fontes?

S. Scriptura.

Num 30, 7; 11s: Pro uxoribus in domo mariti degentibus haec in v. 14 statuitur regula: (hebr.) « omne votum et omne iuramentum obligans ad afflictionem animae vir eius ratum habebit et vir eius irritabit ». — Limitatur tamen viri hac in re potestas quoad tempus: v. 15: « quodsi audiens vir tacuerit et in alteram diem distulerit sententiam (scl. si non ipso illo die verbis irritaverit votum), quidquid voverat atque promiserat, illa reddet, quia statim, ut audivit (in die quo audivit) tacuit ». — Quid vero, si vir post illum diem persistat in voluntate irritandi voti? Respondet v. 16: « Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius ». (i. e. Et si nihilominus irritaverit ea, postquam audivit, post elapsum illum diem, ipse, non mulier probabit iniquitatem eius scl. mulieris seu actionis vel omissionis mulieris). Mulier tunc marito obtemperet, a votis implendis abstineat: vir reus erit laesi voti. — An eo in casu mulier remanserit omni obligatione soluta, an obligatio voti implendi revixerit post mortem mariti, a. v. an votum tantum suspensum fuerit, textus non patefacit.

Quoniam hic est unicus textus, quo V. T. nostram tractat materiam, *liceat haec tamquam conclusionem deducere:*

1^0 mariti est vota uxoris rata habere aut irritare; (v. 14);

2^0 licite irritat primo tantum die, quo illa habet comperta (v. 15);

3⁰ postea saltem suspendit; an et irritet, textus silet;

4⁰ ratione contextus (Lev. 27; Num 6) intelleguntur vota, quae pro obiecto habent rem materialem (bonum temporale).

Quae tamen lex est *caerimonialis*; quod elucet iam ex eo quod Num 30 (= lex complens tractatum de oblationibus voluntariis) adscribitur legi Num 28 seq., quae tractatum oblationum legitimarum absolvit; tunc etiam exinde quod lex nostra est complementum legum Lev. 27 (de redemptione votum) et Num 6 (de aliqua votorum specie, nazaraeatu); illae leges statuebantur indiscriminatim pro viris et mulieribus; at mox docuit experientia aliquod hac in re statuendum esse viros inter et mulieres discrimen (1).

Eph. 5, 24: « ... sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus ». Num hoc significat uxorem debere oboedire marito in omnibus simpliciter, dummodo ne sint mala? S. Paulus tractat de coniugum mutuis officiis. Naturaliter inde referendum est τὸ omnia ad ista officia. Hoc confirmatur Tit. 2, 9: « servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes »; id quod vult dicere: in omnibus quae ad servorum officia spectant. Cui interpretationi suffragantur et SS. Patres et exegetae; inter quos v. gr. Estius et Knabenbauer ita dicunt: « in omnibus ad quae potestas viri seu superioritas se extendit. Ea autem sunt quaecumque ad gubernationem domesticam pertinent ». Inde textus allatus potestatem vota directe irritandi non continet.

1 Cor. 11. S. Paulus agit h. l. de subordinatione feminae in Ecclesia; re darguit feminas emancipatas.

---

(1) Cfr Hummelauer, v., Fr., Commentarius in Numeros, Parisiis 1899. pg. 338 ss.

Capitis metaphora in hac pericope illum designat, cui potestas alium vel alios gubernandi competit; nullo autem modo effert rationem dominii; quod tamen requiritur, ut textus ad rem nostram faciat. Id quod simplex contextus demonstrat: ratione dominii nempe, quod Christo-homini competit, Christum non magis viri quam mulieris caput esse; cur tunc dicitur viri caput?

Ulterius: nomine mulieris, non solas uxores, sed virgines quoque et viduas comprehendi Tertullianus (1) iam monuit; et ex v. 7, 8 elucet Paulum de omnibus feminis loqui; ac profecto praeceptum, quod tradit, virgines viduasque non minus quam uxores attingit; quapropter principium quoque ex quo illud derivatur, generaliore modo intellegatur necesse est (2).

SS. Patres.

Voti irritationem PP tractant unice (quantum scio) commentando Num 30; inter commentatores problema attingunt S. Augustinus et Procopius Gazensis.

S. Augustinus (ML 34, 745) et idem verbotenus *Rabanus Maurus* (ML 108, 791) haec docet:

1° maritus valet sec. legem V. T. in vota uxoris, « quae abstinentiae causa voverit »;

2° maritus non valet in votum continentiae, « ubi parem utriusque esse voluit Apostolus potestatem »;

3° Contextus suadet interpretationem allegoricam; i. e. vir supponit pro ratione, ita ut sensus sit: vota tunc esse rata, cum ea approbaverit ratio, quae ad vicem viri debet regere omnem animalem motionem.

Inde S. Augustinus vota a marito irritabilia restringere videtur ad illa quibus promittitur abstinentia

(1) De vel. virg. 7. ML 2, 898 s.

(2) Cfr Cornely, R., Commentarius in S. Pauli Ap. epistolas II. Parisiis 1890, pg. 313 s.

a licitis; id quod confirmatur verbo hebraico h. l. unice usurpato: אסר (= vinctio). Interpretatur igitur Veteris Testamenti legem; silet tamen prorsus de Nova lege.

Magis positive *Procopius Gaz.* (MG 87, 879): Pueri votum derogans honori parentum nullum est, utpote quarto decalogi praecepto contrarium. Idem praeceptum infringit votum neonuptae citra approbationem patris factum (scl. peccans contra auctoritatem patris), item maritatae marito non consentiente. Igitur quartum decalogi praeceptum dat viro auctoritatem in vota uxoris. Hoc-absolute loquendo-duplici intellegi potest modo; vel vir ratione 4.i praecepti irritat, quia uxoris voluntas ipsa habet sibi subditam; ambitus eodem praecepto i. e. statu coniugali circumscriberetur; vel vir irritat ratione 4i pr., quia hoc praeceptum assignat viri iura, quibus uxoris vota, salva eorum firmitate, derogare non possunt. Attamen ipse addit: « Quo sane institutum Dei primitivum confirmatur, quod viri causa facta sit mulier, aequumque eam esse subditam exsistat. Necnon Pauli quoque illud, ut mulier virum timeat ». Quae verba sane non excludunt sensum irritationis directae.

Eius auctoritas est permagna; celeberrimus scholae Gazensis Syriae magister confecit catenas, inter alia et in Octateuchum. In secunda earum editione, quae tantum nobis praestat, nomina PP etc. desiderantur. Inde studiis doctorum nostrorum temporum debemus nomina fontium, ex quibus exscripsit. Nostrum locum quod attinet, nominanda sunt Cyrilli Alex. *Γλαφυρά* necnon « De adoratione in spiritu et veritate », insuper et Theod. Cyr. « Quaestiones in Octoteuchum » (1) Inde textus citatus forte sibi vindicat magnam auctoritatem.

---

(1) Cfr Bardenhewer, V., Geschichte der altkirchlichen Literatur V. Frbg. 1932, S. 86.

SS. Patres, cum commentantur priorem S. Pauli ad Corinthios epistolam et illam ad Ephesos, ambitum paternae potestatis unice definiunt communi familiae bono. Uterque coniux suum conferre debet, diversum sec. eius diversam indolem. Viro delatus est dirigendi principatus, ita tamen ut sec. Patres uxori maneat secundus principatus. Inde videmus SS. Patribus facultatem directe irritandi vota uxoris mansisse ignotam (1).

Theologi.

Docentem praeprimis introducimus *S. Thomam,* maxime quia auctoritatem eius in oppositas videmus trahi partes. S. Th., II. II^{ae} qu. 88 a. 8 ad 3, rem nostram exhibet; talis est contextus: post voti substantiam et virtutem subsequitur Angelicus Doctor indagare, quinam sint quibus suppetat facultas et arbitrium vovendi. Duae autem sunt hominum condiciones, quibus non plenaria suppetit ad vovendum facultas: subditi nempe qui aliis habent mancipatam voluntatem, de quibus in a. 8; - et pueri quibus per aetatem non licet rationis luce satis illustrari, et de his a. 9.

In resp. ad 3 sic loquitur: « nullum votum religiosi est firmum nisi sit de consensu, praelati; sicut nec votum puellae exsistentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu mariti ».

Qualis est sensus eius? S. Doctor comparat vota religiosi cum votis puellae et uxoris, non quoad eorum firmitatem, sed *quoad rationem eorum infirmitatis* (!), ita ut sensus sit: sicut nullum votum religiosi est firmum quia nulla est actio in qua non subiiciatur praelato, ita votum puellae aut uxoris non est firmum in iis quibus subiicitur patri aut marito.

---

(1) Cfr v. gr. S. Chrys. in Eph. h. 20 MG 62, 140 s., S. Cyril. Alex. in 1 Cor MG 74, 882.

Hanc revera esse germanam interpretationem imprimis probatur consequentia falsa; alias enim cum loquatur de puella indefinite, i. e. non distinguendo inter puberem et impuberem, sequeretur puellam puberem nullum posse emittere votum firmum sine consensu patris; id quod est falsum et negatur ab ipso S. Thoma in resp. ad 2. Insuper, si alius supponeretur sensus, Angelicus Doctor sibimetipsi contradiceret; praeter locum modo adductum hoc elucet ex Quodlib. III a. 18 c, quo loco dicit mulierem, quae votum non petendi debitum voverit, manere huic voto adstrictam, quia τὸ non petere debitum sit voluntatis i. e. hac in re mulier sit libera et prorsus sui iuris. Cui interpretationi suffragantur et eius commentatores, v. gr. Billuart (de relig., diss. 4, a. 8 § 2), Suarez (de relig. II, l. 6, c. 4).

Inde S. Thomam ad quaestionem positam negative respondisse satis compertum habemus.

Reliquos quod attinet theologos, hoc unum certum est praestantissimos inter ipsos doctores et numero praevalenti responsum negativum fecerunt suum. Ut paucos nominem : saec. 16 : Dr. Navarrus (1), qui doctorum iuris canonici sua aetate facile princeps salutatur; saec. 17 : Gregorius de Valentia (2), quem Clemens VIII doctorum doctorem vocasse fertur; L. Lessius (3), Fr. Suarez, Tanner (4), Laymann (5); saec. 18 : Reiffenstuel (6), Lacroix (7); saec. 19 : v. gr. Bouquillon (8), Kirchberg (9); nostris temporibus : Noldin (10),

(1) Manuale Confess., Wurzeburgi 1593, cap. 12 n. 64.
(2) Disp. 6, q. 6, punct. 6.
(3) De iust. et iure l. 2 c. 40 dub. 15 n. 89.
(4) Univ. theol. schol., Ingolst. 1627, disp. 5, qu. 4 dub. 2 n. 24.
(5) Theol. mor., Mogunt. 1709, l. 4 tr. 4 c 7 n. 12.
(6) Theol. mor. Antverpiae 1743, tr. 6, dist. 3, qu. 3, n. 41.
(7) Theol. mor., Col. Agrip. 1713, n. 493.
(8) Instit. theol. mor. spec Brugis 1880; de virt. relig.
(9) De voti natura. Monast. 1897., n. 123.
(10) De praeceptis [17] Oenip. 1924, n. 227.

Prümmer (1), Schilling (2). Sententiae affirmativae adhaerent Th. Sanchez (3), Salmanticenses (4), S. Alphonsus (5), quem recentiores pauci sunt secuti.

Documenta ecclesiastica.

Huc pertinet can. Noluit 16. C. XXXIII. qu. 5. Continet textum S. Augustini supra citatum; restringit ergo ambitum facultatis irritandi ad illa uxoris vota, quae abstinentiae causa voverit. Proinde can. Noluit non refert doctrinam eorum, qui marito irritandi (directe) potestatem concedunt.

Iure insuper dubitari potest de vi legislativa huius documenti. Insertus est enim canon iste in Gratiani decreta. De his autem Benedictus XIV ita loquitur: « Gratiani decretum vim ac pondus legis non habet; quin immo inter omnes receptum est: quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere quantum ex se habuisset, si numquam in Gratiani collectione foret insertum » (6). Inde de valore canonis Noluit iudicant eius fontes. Ut tales se praebent vel Num. 30 vel S. Augustini auctoritas. Nunc autem Num. 50 tradit legem caerimonialem, quae in Nova Lege est abrogata. S. Augustinus vel mere interpretatur legem Antiqui Testamenti, nihil dicendo de eius valore in Nova Oeconomia, vel tacite eius valorem admisit in Lege Evangelii; si hoc, tunc inde explicatur quod S. Augustinus (sicut et alii multi) de abrogatione legis caerimonialis dubitabant (7). Igitur canon Noluit omni prorsus vi est destitutus.

---

(1) Manuale theol. mor. II, Frbg. 1923, n. 418.
(2) Schilling, Lehrbuch der Moraltheol., München 1929, n. 320.
(3) Opus morale in praec. decal. l. 4, c. 34, n. 3; de matr. l. 9, disp. 39, n. 4.
(4) Cursus theol. mor. Venetiis 1728, de voto n. 57 s.
(5) Theol. mor., de 2° praecepto decal. n. 234.
(6) De syn. dioeces. l. 7., c. 15, § 6.
(7) De eadem quaestione in re sexuali tractat permagna eruditione: Browe, P., Beiträge zur Sexualethik des Mittelalters, Breslau 1932.

Si quis (1) *ad tacitum Ecclesiae consensum* recurrit, debet bene inspici, an probet suam rem. Nam ut talis Ecclesiae consensus sit argumentum pro affirmanda mariti facultate directe irritandi uxoris vota, debet ostendi Ecclesiam in hanc sententiam consensisse. Consensus nempe iste potest etiam hac ratione intellegi, ut Ecclesia plurium theologorum placito satis se accommodasse censeatur, ut sufficientem marito dederit potestatem, qua vota uxoris irritare possit.

Nominatim *Litterae Encyclicae « Casti connubii »* quaestionem hanc non tractant. At sat decisum obtinemus responsum ex principiis quibus in diiudicanda mulieris erga virum obtemperatione insistit. Talis subiectionis ambitus secundum Encycl. litteras unice circumscribitur bono familiae ab utroque coniuge procurando; in illis scil. rebus, quae ad commune familiae bonum faciunt, iisque solis, vir primas tenet partes, i. e. ipse decidit, ipse gubernat; mulieris vero est oboedire et caritatis officium implendo hanc viri decisionem prosequi atque complere (2). Inde iam appareret facultatem viri directe irritandi uxoris vota, quae potitur vero dominio in voventis voluntatem, alienam esse a mente litt. Encycl. « Casti connubii ».

Nondum satis! Ipsum opinionis affirmativae argumentum internum, quod mox referemus, ab Encyclicis litteris reicitur. « Nec, — sunt verba Encycl. —, uxorem aequiparandam docet (scl. obtemperatio) personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet » (3).

---

(1) Cfr Lehmkuhl, Theol. mor.[12] Frbr. 1914, n. 611.
(2) Cfr Encycl. « Casti connubii » n. 26-28; 78. (sec. edit. Herder.).
(3) N. 27.

Ratio.

Fere apud omnes auctores qui partes affirmativas in quaestione hac tenent, invenitur haec probandi ratio: Valde expedit ad pacem familiae conservandam, ad mutuum amorem fovendum, ad mulierum impetum retundendum, ad succurrendum tenuitati iudicii ipsarum, quod uxor in omnibus viro plene subiecta est.

Ratio allata, quamvis sit mere ex convenienti, nobis nec ut talis convincens videtur. Nam neque ad servandam concordiam pacemque familiae tam ampla in marito potestas requiritur; plane sufficit maritum gaudere facultate indirecte irritandi uxoris vota domus gubernationi praeiudicantia. Nec iudicium mulierum tam tenue est, ut imaginari alii videntur; alioquin ipsae, si coniugatae non essent, semper tutoribus essent subiciendae quasi perpetui impuberes.

Ratio, quam sententia contraria affert, initium sumit ex facto hoc quod ratio subiectionis uxoris oritur ex solo contractu matrimoniali. Hic autem contractus - ita arguunt - solum obligat, ut alter alteri iura coniugii tribuat, ut mulier viro tamquam capiti subdita sit in vitae societate, liberorum educatione familiaeque administratione. Talis subiectionis modus est necessarius, quoniam non possunt esse duo capita; alias non est pax nec ordo. Maior autem ipso non requiritur; inde non est, unde fingi possit; nam media sunt proportionata fini, et ita etiam effectus est commensuratus causae, ex qua nascitur.

II. - **Quid censendum de probabilitate sententiae affirmativae?**

Nullam certo agnoscet probabilitatem intrinsecam, qui consideraverit argumenta allata.

Pari ratione nobis concedet probabilitatem eius extrinsecam recurrere plus minusve ad S. Alphonsi

auctoritatem. Ipse hanc sententiam non proponit ut certam, sed ut probabiliorem, et hoc quidem extrinsece. Argumentis utitur canone Noluit et textu S. Thomae supra citato; hos autem testes nihil vel potius contrarium evincere satius ostendimus. Inde quaestio vertitur ad hoc, num sententia affirmativa dici possit extrinsece probabilis, *quia* fuerit S. Alphonsi doctrina. Pluries tutas declaravit S. Alphonsi sententias Sanctae Ecclesiae magisterium (1). Decreto contrario deficiente fas cuique est in praxi ipsum sequi.

Sententia autem illa, quae marito talem facultatem denegat, theoretice unice vera esse videtur, et hoc hodie eo magis, postquam « Casti connubii » laetum nuntium in universo orbe resonuerit.

H. Schäufele (R. D.)

De Episcopo proprio quoad ordinationem.

(Sequitur)

Cum ex dictis Episcopus *proprius* quoad saecularium ordinationem, nonnisi ratione *domicilii una cum origine* aut *domicilii sine origine* constituatur, hinc iure supponitur in casu iuvenem, de quo agitur, habere quidem originem et domicilium in dioecesi A., sed habere quoque domicilium legitime acquisitum in dioecesi B.

Non repugnat sane ex iure Codicis, uti in antiqua disciplina, quempiam habere duo seu plura domicilia. Ita passim Auctores (2).

5. Hoc posito, quinam erit Episcopus *proprius* quoad ordinationem iuvenis de quo in casu? Quaestio, ut

---

(1) Cfr Linzner Quartalschrift 82 (1929) 141 f.

(2) Cfr Cappello, *De matrimonio*, n. 683; D'Annibale, I, 83; Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, n. 217; Chelodi, *Ius de personis*, n. 92; Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, II, n. 13, etc.

palam est, non respicit collationem primae tonsurae, quae procul dubio competit Episcopo dioecesis A.; sed respicit alios ordines conferendos usque ad presbyteratum. Collatio ordinum competitne Episcopo dioecesis A., an Episcopo dioecesis B., cui per primam tonsuram iuvenis iam incardinatus est, an potius utrique Episcopo? Huc praecise spectat ratio dubitandi ac totius quaestionis cardo.

Prima fronte videretur uterque Episcopus esse *proprius* quoad ordinationem, perspecto can. 956. Nam in dioecesi Episcopi A. iuvenis habet originem atque ibi domicilium adhuc servat; in dioecesi Episcopi B. habet domicilium simplex, nec requiritur in casu iusiurandum, cum agatur de candidato « qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est », ut expresse statuit citatus can. 956. Porro, attenta disciplina Codicis, possuntne admitti plures Episcopi *proprii* quoad ordinationem? Quidam affirmant (1); plerique negant. Quorum sententia praeferenda eaque ut vera, ex dicendis retinenda.

6. Ad hanc sententiam rite intellegendam, quaedam opportune debent praemitti.

1°. Ex can. 111, § 2 « per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cuius servitiis promotus fuit ». Huiusmodi effectus incardinationis *ipso iure* obtinetur ex primae tonsurae receptione, ita ut peculiaris actus seu adscriptio subsequens minime requiratur. In casu habetur incardinatio *virtualis*, quae opponitur incardinationi *formali* et *explicitae* de qua in can. 112-117. Huc spectant quae leguntur in folio S. C. Concilii ex officio in causa apud eam acta 10 mart. 1923 (*Acta Apost. Sedis*, XVI, pag. 51 ss.).

Alia erat antiqua disciplina, attentis Decreto S. C.

(1) Grimm, *Kirchenrecht*, n. 83.

Concilii « *A primis* » 20 iulii 1898 et Decreto diei 24 nov. 1906 eiusdem S. Congregationis.

2⁰. Quando laicus recipit primam tonsuram, et ordinatur pro servitio *alius* dioecesis, distinguendum sedulo inter casum et casum. Si candidatus promovetur servitio *certae* ac *determinatae* dioecesis, per susceptionem primae tonsurae ipse incardinatur eidem dioecesi, non autem dioecesi Episcopi ordinantis. Id manifesto patet ex responso Pontificiae Commissionis Codicis 17 aug. 1919 ad Archiepiscopum Armacanum. Proposito dubio : « Utrum ille qui ordinetur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta canonem 111, § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta canonem 969, § 2 » ; responsum fuit : « *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam ». De vi et valore huius responsi, quamvis non fuerit promulgatum in *Acta Apost. Sedis,* alias diximus (*Periodica*, XX, 1931, pag. 126).

Si quis promoveatur servitio dioecesis *indeterminatae*, quatenus Episcopus proprius ordinans probe sciat hanc aut illam dioecesim laborare penuria sacerdotum, sed praevius assensus atque approbatio Episcopi huius aut illius dioecesis non intercesserit, clericus ita promotus manet incardinatus dioecesi Episcopi ordinantis, non autem dioecesi *indeterminatae* pro cuius servitio ordinatur. Agitur quippe in casu de ordinato, « qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur », ad normam can. 969, § 2.

Ad rem rectissime P. VERMEERSCH in suis adnotationibus ad responsum Pontificiae Commissionis diei 17 aug. 1919 ita concludit : « Post responsum Commissionis duplex iam collatio tonsurae pro aliena dioecesi distinguenda erit : prior ex communi consensu utriusque Episcopi, proprii et Antistitis cui candidatus destinatur, collata, quae immediatam incardinationem

virtualiter operatur; altera sine isto consensu de immediata subiecti translatione peracta, quae subditum in propria dioecesi manere interea sinit: *interea,* i. e. donec benevisum erit alieno Episcopo ordinatum recipere, et proprio Episcopo eumdem excardinare » (*Periodica*, XII, 1923, pag. 75 s.).

7. Eo ipso quod quis incardinatur alicui dioecesi, haec fit *propria* eiusque Episcopus item fit *proprius.* Sed naviter attendendum, vinculum dependentiae et subiectionis erga Episcopum et dioecesim duplex esse: aliud quo quis detinetur qua *fidelis,* ratione domicilii vel quasi domicilii aut, utroque deficiente, actualis commorationis, ad normam can. 94; aliud quo quis detinetur qua *clericus,* ratione peculiaris adscriptionis seu incardinationis dioecesi. Quare duplici sensu Episcopus dicitur *proprius* vel *alienus* itemque dioecesis *propria* vel *aliena* nuncupatur, ubi agitur de clericis. V. g. Antonius sacerdos est incardinatus dioecesi A.; at de consensu Episcopi vel S. Sedis docet sacras disciplinas in Seminario dioecesis B. ibique quasi domicilium aut forte domicilium acquirit. Episcopus *proprius*, cui Antonius qua *clericus* subest, manet semper Episcopus dioecesis A., sicuti haec manet propria, et dioecesis B. aliena.

Iam vero quando Codex loquitur de *clerico* eiusque Episcopo vel Ordinario *proprio* (cfr can. 112, 125, 126, 127, 128, 139, § 3, 141, § 1, 143, etc.), sumit hanc vocem sensu specifico, quatenus significat Episcopum vel Ordinarium cuius dioecesi clericus est incardinatus. Huc spectat praesertim praescriptum c. 127: « Omnes clerici... *speciali obligatione* tenentur *suo quisque Ordinario* reverentiam et oboedientiam exhibendi ».

Ipsi autem conceptui incardinationis repugnat, clericum duabus seu pluribus dioecesibus esse *eodem tempore* incardinatum. Quare Episcopus sensu specifico clerici proprius *unus* est unaque dioecesis propria.

8. Quibus praemissis, ad casum nostrum quod attinet, Episcopus dioecesis B., cui dioecesi est iam incardinatus iuvenis, potest eum promovere ad ordines superiores sive per se ipse sive per alium, litteris dimissoriis ad id concessis. Utraque conditio requisita a can. 956 exsistit in casu.

Id expresse confirmatur responso Pontificiae Commissionis Codicis diei 7 dec. 1931 ad Episcopum S. Fidei in America Merid. Proposito dubio: « An ille, qui promotus fuit ad primam tonsuram a proprio Episcopo, sed pro servitio alius dioecesis, cui eo ipso est incardinatus ad normam can. 111, § 2 et responsi Pontificiae Commissionis diei 17 aug. 1919, ad II, superiores ordines recipere debeat a priore Episcopo, an potius ab Episcopo dioecesis cui rite iam incardinatus est, etsi studia theologica absolvere teneatur in alia dioecesi »; responsum fuit: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ».

De hac responsione eiusque vi et valore etsi nondum publici iuris facta in *Acta Apost. Sedis* idem dicendum ac de alia iam relata. De his fuse disseritur in opere *De Ordine*, quod quamprimum prodibit.

Veritas responsi perspicua atque evidens est. Episcopus, quoad clericos qui servitio suae dioecesis destinantur, gravissimam habet obligationem et maximam responsabilitatem coram Deo et Ecclesia suaque dioecesi. Hinc est quod can. 970 proprius Episcopus potest suis clericis ascensum ad ordines interdicere, ex can. 973, § 3 idem Episcopus sacros ordines nemini conferre valet, qui ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate.

Instructio S. C. de Sacramentis diei 27 dec. 1930 haec, inter alia, sapienter statuit: « In primis itaque Episcopus rationem habere debet eorum, quae vigens ius de Seminariorum disciplina constituit, necnon ceterarum normarum, quas ad nostra usque tempora

Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad rem praestituere placuit, ut Seminariorum alumni iis qualitatibus se ornatos exhibeant, quae ad rite, sancte ac fructuose ministerium sacerdotale exercendum hodie requiruntur.... Nam penitius candidatorum animus singulatim erit explorandus ab Episcopo *proprio* vel, eo impedito, a Vicario generali, vel *ex mandato,* a Seminarii moderatore..... Quod si agatur de alumnis degentibus in Seminariis extra dioecesim, *mandatum* ad hoc fieri poterit Episcopo loci commorationis.... Episcopus, seu loci Ordinarius non solum attendere debet quae iam acta sunt, sed, antequam subdiaconatus conferatur, candidati mores iterum perscrutetur oportet.... » (*Acta Apost. Sedis,* XXIII, pag. 120).

9. Haec omnia, in casu nostro, praestanda sunt ab Episcopo A., an potius ab Episcopo B., cuius dioecesi clericus est iam incardinatus et pro qua munia ecclesiastica erit obiturus? Procul dubio praestanda sunt ab Antistite qui est sensu specifico *proprius* candidati; ab Episcopo, qui, cum agatur de clerico *incardinato,* gravissima obligatione devincitur coram Deo, Ecclesia et dioecesi, ad canonicam quod attinet promovendi idoneitatem.

Quare ipse, servatis servandis, ius habet conferendi ordines aut litteras dimissorias concedendi.

10. Ex dictis manifesta oritur sequens conclusio: 1° quae tradit cl. P. Schaaf (*Ecclesiastical Review*, april., 1934, p. 352 ss.) de nostra doctrina circa Episcopum proprium quoad saecularium ordinationem ex titulo *incardinationis*, minime congruunt cum textu et contextu, imo ipsissimis verbis aperte adversantur; 2° doctrina a nobis tradita (*Periodica*, XX, 1931, pag. 125 ss.) vera est eaque hodie confirmata reperitur responso Pontificiae Commissionis Codicis.

F. M. Cappello S. I.

QUAESITA VARIA

De admissione postulantium.

I. - In Instituto iuris pontificii duae puellae intrare in religionem Instituti cupiunt. Prima applicatur studiis quibus consequatur diploma ut habilis sit ad munus magistrae scholae elementaris, ac sperat se post paucos menses obtenturam esse diploma; secunda nunc degit in convictu et se praeparat ad idem diploma consequendum. Utraque caret *dote;* nec potest sine diplomate cooptari in Institutum.

Quaeritur utrum per ultimos sex menses postulatum sex mensium peragere quaeant?

Resp. Nulla obstat difficultas, dummodo maneant in domo congregationis, sub directione Sororis aptae ad puellas instruendas de vitae religiosae ratione.

II. - Cum art. Constitutionum praescribat ut postulantes « sequantur perfecte vitam communem » nonne relicto convictu transire debent ad vitam communitatis religiosae?

Resp. Adiuncta consideranda sunt. Can. enim 540 requirit ut postulantes probationem suam faciant in domo religionis ubi « disciplina secundum Constitutiones accurate servetur ». Si ergo convictus isti descriptioni respondeat, poterunt ibi probari. Perfecte vitae communis ratio servatur eo quod hora surgendi, mensa sit ipsis ut religiosis praescripta; atque congrua exercitia pietatis obeant. Quod praeterea maior temporis pars studiis detur, istud minime obstat.

III. - Est alia postulans; optima, qua fidi possit, et bonum spiritum et aptitudinem ad opera Instituti probavit. Sed cum iam 42 annos nata sit, velint Superiorissae impetrare ipsi facultatem *a)* faciendi professionem, post annum completum noviciatus, dum

Constitutiones imponunt duos annos; *b)* emittendi statim professionem perpetuam, omissa professione temporaria.

Resp. Recurrendum est ad S. Congregationem de Religiosis. Haec ut est verisimile priorem facultatem concedet, negabit alteram.

Concedet primam, quia Codex duos annos minime requirit, et candidata iam cognita est ut prorsus idonea.

Negabit alteram, quia haec petitio adversatur Codici, qui introduxit ut necessarium experimentum votorum temporaneorum, et etiam professa votorum temporaneorum est vere religiosa. Cfr can. 488, 1°.

A. VERMEERSCH S. I.

De Religiosis.

De testamentis. Ambrosius, testamenti *legalis* forma accurate servata, mere designat legatarium universalem, cui ipse dein, scripto *privato* explicabit quemnam usum de suo patrimonio fieri voluerit. Cum privatae istae notae nullum habeant civilem valorem, quaerit num ipse legatarium universalem aut dispositiones particulares sui patrimonii mutare possit sine recursu ad S. Sedem.

Resp. Agitur in primis de peculiari obligatione novicii Congregationis religiosae condendi testamentum de bonis praesentibus aut futuris ante professionem votorum temporaneorum (c. 569 § 3), quod testamentum mutare, votis emissis, non potest sine licentia S. Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, « sine licentia Superioris maioris, aut, si nec ille adiri possit, localis ».

Haec dispositio non est confundenda cum obligatione communi omnium noviciorum, cedendi, ad to-

tum tempus quo simplicibus votis astringetur, bonorum suorum administrationem cui maluerit, et « nisi Constitutiones aliud ferant, libere disponendi de eorundem usu et usufructu ». Cfr can. 568, quo additur, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint eam cessionem aut dispositionem faciendam aut iterandam esse secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa.

Hoc praemisso, observamus in primis attendi ad valorem conscientiae quam legislatio canonica facilius agnoscit testamentis sine forma editis. Itaque, si privato scripto religiosus vere voluit definire rationem qua bona vult esse distributa, haec forma observanda est de omni legato quod religiosus efficit et quod causam habet piam. Ut haec mutet, habere debet consensum S. Sedis. Si autem instrumentum quo vult bona sua certo modo distribuere est in forma legali redactum, et mere voluerit aliquam destinationem mutatam *ex caritate*, v. g. rogando legatarium ut velit dono dare, dummodo iura maneant intacta, id facere poterit sine ullo recursu, cum religiosus, in hac re omnia disposuerit secundum formam legalem.

N. B. Observes, nihil peculiare statui circa membra Ordinis religiosi.

A. VERMEERSCH S. I.

De cooperatione excusata bona fide.

Bertha, uxor, a marito iubetur immediate post copulam coniugalem aqua pura vaginam lavare. Vir hoc praecipit ut minuatur spes foecundationis. Uxor oboedit tantum ad vitandam viri indignationem, adulteria : nullo enim pacto alios habere filios is annuit.

Dum haec narrabat in confessione, confessarius, facta interrogatione, comperit uxorem eius esse sententiae ut ipsa nullatenus exerceat neo-malthusianismum, maritum autem permittat in errore suo manere ad vitanda graviora mala.

Obiective loquendo lotio vaginae immediate post copulam spem foecundationis non aufert, cum meliora nema-spermata in ipsa copula iam ex vagina uterum ingressa sint, notabiliter tamen eam minuit. Cfr nostrum T. IV *Theol. mor.* 3, n. 79, 2.

Iamvero quaeritur utrum Confessarius mulierem monere debeat de sua obligatione eamque ut indignam sine absolutione dimittere nisi errorem mariti et proprium errorem dissipaverit; an contra, omnibus perpensis, silere possit ut coniuges in suo usu perseverare permittat.

Resp. Perpendamus casus adiuncta.

1. Quod mulier existimet se nullatenus ream usus contra naturam id facile admittitur et in confessione cognosci potest. — Vir quidem peccat intentione et opere, monitus autem ab uxore, timendum est ne, sine fructu admonitus, in peiora peccata cadat, et coniugi vitam importabilem efficiat. Quod filiis iam natis non parum nocebit.

Cum ablutio vaginae cum aqua pura non sit obstaculum certum conceptioni, sterilitas coniugii, quae praxim istam comitatur, aliis causis tribuenda videtur. — Ingens tamen est uxoris cooperatio ad neomalthusianismum viri *obiective* et *subiective: obiective,* quia immediate post copulam facta ablutio est usus neomalthusianus; *subiective,* quia maritus conscio modo exercet neomalthusianismum, cui ipsa cooperatur.

2. Connivere isti praxi confessarius non potest. Ageret contra gravissimam prohibitionem Enc. *Casti Connubii.* Sed id possit mulieris bonae fidei concedere ut monitiones suas in tempus magis opportunum dif-

ferat. Ut veri simile est, eventus ostendet copulam foecundam vel semper sterilem. In utroque casu res vel per se patebunt, vel explicatio completa dari poterit. Quod si sterilitas demonstrata fuerit, facilius ambo coniuges ad correctum usum coniugii adduci poterunt.

3. Si tamen vir fuerit garrulus, qui, narrando experientiam suam seu silentium confessarii, propagaret suam methodum quam confessarius videatur silentio suo approbare, confessarius non possit interea silere sed monere uxorem et, per uxorem, maritum de re ut obiective se habet et de officiis coniugum instruere debeat.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus propositi p. 136*

I. In primis observandum est Marcum nullius censurae reatum incurrisse. Nullam enim absolutionem dedit personae quam existimabat secum graviter peccavisse. Nec speciem mutat, sive ancilla in confessione de tractationibus suis cum parocho-confessore locuta sit, sive easdem silentio praeterierit. Numquam enim easdem ut gravia peccata accusavit et confessarius nullam falsam persuasionem ipsi iniecit.

II. Quaeritur autem quid parocho faciendum supersit. Si ancilla, saniora principia edocta, iam bene vivere voluerit, res non magnam difficultatem habebit. Quamvis enim minime optandum sit ut is in moderatorem conscientiae assumatur quocum paenitens peccaverit, superanda distantia ad reperiendum alium confessarium iustam hic praebet excusationem. Uterque ergo abstineant a peccato; pergatque parochus ancillam suam singulis hebdomadis audire et absolvere. Ut liquet, si occasio interdum habeatur alius confessarii, optimum erit ut ancilla eam opportunitatem non neglegat.

III. Quid autem si parochus iterum peccet cum ancilla sua? Cum via licita cognoverit reatum ancillae, ipse eam a peccato isto absolvere non poterit.

Allegantem difficultatem quaerendi confessarium tam distantem, poterit quidem ab aliis peccatis absolvere paenitentem, monendo eam de subsistente obligatione accusandi alii confessario peccatum commissum. Satius tamen erit ut ancillam excitet ad perfectam contritionem, et dimittat non absolutam.

IV. Cum autem scientiam duplicis animi ancillae, legitimo modo confessarius acquisierit, nihil obstat quin ea utatur. Sigillum nullam in causa difficultatem efficit. Etenim in alia confessione, non extra, fas est uti cognitione habita ex praecedente.

A. VERMEERSCH S. I.

Casus de baptismo in missionibus

Titius missionarius, in baptismo permultorum:

— Omissis interrogationibus circa nomen, caeteras interrogationes omnes ponit in plurali;

— In impositione salivae, salis, in unctionibus peragendis, unica vice formulas dicit genere plurali.

— Unica vice facit trinam insufflationem in faciem omnium simul sumptorum.

— Sic et inhalationem unica vice peragit.

— Simul alloquitur electos et electas pro « Pater Noster » (Ordo baptismi adultorum Tit. II c. IV n. 16).

Obicienti rubricas ritualis: « Singulos si plures ». respondet: Ordo tradit ritus baptismi plurium in casu ordinario i. e. paucorum.

At in casu permultorum, observari potest methodus Tituli II, c. IV n. 53: « Si vero ob baptizandorum multitudinem, ut quandoque contingit, in singulorum Baptismo praescripti ritus ad Baptismi essentiam non pertinentes adhiberi non possint, tunc vel pluribus simul ea adhibeantur, vel urgente necessitate omittantur ».

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De hysterectomia in mulierem gravidam exercita.

Uterum supponimus qui contineat fetum viventem sed nondum vitalem.

Post disputationem habitam in Gallica Ephemeride *Nouvelle Revue Théologique,* inter Rev.mum P. Gemelli, Rectorem magnificum Universitatis SS. Cordis et P. Vermeersch, S. I., qua is contendit, cum moraliter omnibus scriptoribus Theologiae moralis, fas esse, cum salus matris id postulet, extrahere uterum gravidum, quia abortus non sequatur nisi indirecte, prodiit in *Palestra del Clero,* 20 april. 1934, p. 361 ss. lucubratio R. D. MANCINI « *In questione di isterectomia* » qua is, paulo diverso usus modo ratiocinandi quam R. P. GEMELLI, illicitam tenet hysterectomiam, cum mater est gravida. Breviter eius argumenta perpendamus.

1. Imprimis argumentatur ex iure quod fetus acquireret in organa matris, eo ipso quod ipsi ad vivendum sunt necessaria. Inde, si ipsum audieris, fierent quasi commune bonum matris cuius sunt pars, et fetus ad quem destinantur. Quare, quaevis actio in uterum fetum directe attingeret, ita ut letalis repercussio actionis exercitae in uterum abortum directum constitueret.

Quaeritur iam utrum episcopus, nixus isto canone, possit prohibere ne sacerdotes in alia domo quam in seminario exercitia spiritualia peragant quae sint liberae optionis. Non agitur enim de exercitiis quae post certa intervalla praescribuntur communiter facienda clero dioecesano. Ut aliis utamur verbis, fasne est Episcopo simpliciter prohibere accessum domus religiosae erectae et approbatae pro exercitiis spiritualibus?

Quod hoc sit alienum a mente Ecclesiae non est dubitandum. Documenta pontificia urgent amicam cooperationem utriusque cleri, dum hic intenditur separatio; in domibus religiosis cavetur silentio, recollectioni, fovetur maior diuturnitas exercitionum, ita ut non paucae domus ordinent exercitia spiritualia decem, immo triginta dierum; in domibus religiosis praesto esse solet praedicator, qui in tradendis exercitiis sit habilis et expertus. Haec aegerrime praestare possunt seminaria.

Sive ergo spiritualem proventum, sive rationem qua religiosi cum saecularibus conversari debent consideres, haec episcopi exigentia plane absona et arbitraria considerari debet, et iniuriosa religioni.

Quo iure clerici quibus lex communis indulget ferias annuas prohibentur ferias agere sacras?

Induerit quandam vexationem huiusmodi postulatio episcopi. Quare episcopus utatur quidem iure suo, dum praescribit omnibus sacerdotibus exercitia triennalia, biennalia, vel adeo annualia in seminario per tot dies habenda, sed ne, ultra communia praecepta, inaudita specialia decernat. Quo pacto id possit, nescimus.

II. De negotiatione clericorum.

Licetne religiosis vendere coronas precatorias, imagines et numismata sacra, chartas pictas sanctuarii, parvos libellos pietatis et similia parvi valoris ?

Resp. Dummodo fiat pacifice, sine studiosa inquisitione ementium, ita ut res fere petentibus suppeditentur, negotiationem istam licere respondemus. Habetur hic quaedam negotiatio politica, quae fovet devotionem et accepta est piis personis quibus parcit incommoda quaerendi huiusmodi res. Modicum lucrum compensat onus assumptum a religiosis et impensas factas ad servandas, cum aliquo periculo, multas res collectas. Accedit denique usus, qui frequenter exercetur : prope sanctuarium solent adesse huiusmodi tabernae.

Cavendum tamen est ne coronae precatoriae venundentur postquam benedictae sunt: res enim benedictae vendi nequeunt quin pereant indulgentiae iisdem annexae.

III. De Processu circa dimissionem sollemniter professi.

« Can. 1555 N. 3 statuit: « In iudicio pro dimissione religiosorum, serventur praescripta can. 654-668. »

Quaeritur iam utrum iste canon deroget, in speciali casu professionis religiosae, canoni generali de ordine iudiciorum, an appellari possit ad tribunal S. Sedis a dimissione professi, quam S. Congregatio vi 668 ratam habuerit aut ipsa tulerit.

Resp. Ad primam partem *affirmative*, ad alteram partem *negative*. Etenim, in cap. III *De Religiosis*, Codex ordinat plene processum dimissionis religiosorum qui, in religione clericali exempta, vota perpetua nun-

cuparunt; processum inquam ordinat usque ad supremum gradum Congregationis religiosae. Iam vero a sententia S. Congregationis non datur appellatio ad aliud tribunal. Quando quis pervenit ad gradum supremum, non iam suppetit nisi remedium extraordinarium recursus ad S. Pontificem.

Praeterea, in casu recursus ad tribunalia formaliter excluditur can. 1555 § 2 et 3. § 2 cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur. § 3 In iudicio pro dimissione religiosorum serventur praescripta can. 654-668.

IV. De assistentia infirmis periculose decumbentibus

1. Can. 882, permittit ut sacerdotes omnes absolvant ab omnibus peccatis et censuris, infirmos in periculo mortis.

Quaeritur quamdiu habeant huiusmodi amplam potestatem?

Resp. Illam habent et servant infirmi quamdiu in periculo mortis versantur. Tunc enim impletur condicio apposita canoni: « in periculo mortis ».

2. Infirmus laborans infirmitate diuturna, v. g. hydropisi, bis vel ter inungitur, recurrente novo periculo. Quanam formula utendum est in ministranda ipsi fere cotidie communione?

Resp. Quamdiu censetur in periculo mortis, per se adhibenda est formula *viatici*. Sed cum non agatur de viatico praecepto, fas est etiam formulam ordinariam communionis adhibere. Sacerdoti ministranti quaedam optio esse sinitur, ut consulat paci, devotioni infirmi.

V. De Matrimonio in radice sanando

Titia catholica nuptias mere civiles contraxit cum Sempronio, anno 1922. Anno proxime sequenti, S. Officium committebat curiae episcopali sanationem in radice istius matrimonii. Curia episcopalis exsecuta est sanationem.

Verum Sempronius erat aversus a sanatione, nec in eam consentiebat.

Quaeritur de valore sanationis.

Resp. Sanatio in radice supponit perseverantem consensum matrimonialem qui sanatur. Neque necesse est ut ambo coniuges sint conscii sanationis. Sed hic, vir aversus a sanatione, *noluit* matrimonium esse validum coram Ecclesia. Si *efficaciter* noluit, debuit retractare consensum, ita ut nihil supersit sanandum. Exinde liquet quid respondendum sit. Si vere et efficaciter nolebat, sanatio fit nulla, nullumque matrimonium. Si autem mere repudiavit commercium cum sacerdotibus et Ecclesia, seu noluit aliquid addere ecclesiasticum, praesumendum est ipsum, perstare in suo consensu matrimoniali, ita ut sanatio sit valida, sicut valet sanatio quae confertur dum altera pars ignorat quid fiat.

VI. De Forma celebrationis Matrimonii.

Ex can. 1095, § 1 parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt... « 3° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. »

Titius et Caia se sistunt cum testibus coram parocho, matrimonium celebraturi. Parochus est iam in sacristia, ubi etiam paratus est actus duplex matrimo-

nialis (1), qui conscribitur sive a sponsis sive a duobus testibus, sive ab ipso parocho. Inde ad altare accedunt sponsi, ubi parochus, pluribus intentus, quia sollemnitas festiva celebrabatur, annulum benedicit, cetera secundum Rituale peragit, consensum tamen contrahentium non exquirit. Post elapsos aliquot dies parochus, facta recogitans, de valore talis matrimonii, non sine anxietate inquirit.

Resp. Ut scripsimus in *Epitome Iur. can.* II, n. 394, 3: « Etsi necessitas requirendi et excipiendi consensum *stricta* sit ex schemate decreti *Ne temere* et actis Commissionis (2), verba Rit. Rom. non sunt ad valorem adhibenda, et sufficit omnis modus agendi qui petitionem et acceptionem consensus clare significat.

Verba Ritualis Rom. non esse ad valorem necessaria, iam exinde perspicitur, quod modus diversus in pluribus locis admittitur. Quamvis igitur irregularis fuerit ratio agendi parochi, nimis occupati ut cum pace procederet, id unum pro valore matrimonii inquirendum est utrum, in casu, agendi modus petitionem et acceptionem consensus clare significaverit.

Iam vero voluntaria parochi praesentia, seu assistentia, cura ab ipso assumpta ut duplex actus matrimonialis scriberetur, ipsius accessus ad altare, ubi annulum benedicit et alia consueta ex Rituali peragit, manifestant petitionem consensus; sponsi rursus, qui cum testibus advenerunt, dum faciunt quaecumque facere iubentur, produnt consensum matrimonialem, ad quem dandum se in ecclesiam contulerunt. Quare matrimonium validum fuit.

Confirmamur altero exemplo, in quo parochus, volens invalidum celebrare matrimonium quod erronee putabat fore infelix, mere ad altare dixit sponsis:

(1) Duplex, inquam actus, alter pro ecclesiae archivo, alter mittendus ad civilem potestatem, secundum pacta Lateranensia.

(2) Cfr ASS, t. 40, 540. 548. 565.

« iungite manus » ; quod matrimonium valere S. Paenitentiaria declaravit.

Hortandus tantum est parochus, ut non turbatus, magisque sui compos, in posterum matrimoniis assistat, utque non valida tantum sed prorsus licita sit tota celebratio.

VII. De privilegio fidei.

Titius et Caio, *ambo infideles*, matrimonium fecerunt valde dubii valoris. Post factas nuptias, ambo se separarunt atque se contulerunt in diversas regiones. Ibi autem uterque factus est catechumenus et baptizatus est. De praecedenti matrimonio nulla sollicitudo habita est. Titius autem iam cupit ad alia vota transire cum parte catholica. Missionarius autem, facta seria inquisitione, audivit de isto matrimonio anteriore. Inde dubitare coepit utrum matrimonium prius in infidelitate contractum possit in favorem fidei pro nullo haberi, an post utriusque baptismum locus sit alii servandae regulae, et in dubio matrimonium praesumendum sit validum sacramentum.

Resp. Si in isto dubio standum est pro valore matrimonii dubie contracti, necessaria libertas pro novis nuptiis obtineri tamen potest per recursum ad S. Pontificem, qui facultatem habet dissolvendi, propter iustam causam, matrimonium quod non fuit consummatum sed ratum In casu autem, ante baptismum, uterque dubius coniux abiit in partem suam.

Verum estne via haec necessarie ineunda? Nonne suppetit simplicior, tractando matrimonium in infidelitate contractum ut nullum ex privilegio fidei?

Quaestio huc vertitur, utrum baptismus utriusque coniugis quidquam matrimonium mutaverit. Si non

fuisset dubium, per utriusque baptismum simplex contractus conversus fuisset in sacramentum, prorsus indissolubile, salva gratia dispensationis Pontificiae in matrimonio mere rato. Verum certitudo utriusque baptismi operaturne in matrimonium *dubium*, ita ut habeamus in casu, matrimonium *fortasse* indissolubile?

Etiam si ita res se haberet, causa Titii desperata non foret. Namque potestas data est S. Pontifici solvendi matrimonium ratum. Res tunc explicanda foret legali sanatione in radice, si matrimonium *obiective* valeret.

In Cod. can. 1127, ubi agitur de casu Apostoli enuntiatur principium, « in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ». Quod ex contextu canonis ita declarari potest. Can. 1120-1124, exponunt privilegium fidei; c. 1125 extendit ad universum orbem Constitutiones quae faciliorem reddunt solutionem matrimonii quod non fuit sacramentum.

Quid iam *in dubio?* Respondet can. 1127: Sume partem quae magis favet libertati i. e. dissolutioni, ubi factum est dubium.

E. licet uti privilegio fidei; licet enim neglegere matrimonium praecedens et agere quasi constent condiciones privilegii.

Utcumque matrimonium se habet obiective, potestas non deest S. Pontificii. Atque eo ipso loco ubi ponitur can. 1127, eam potestatem exercet: sive agitur de privilegio Paulino, sive dissolvendum est matrimonium mere ratum: tunc habetur per legem dispensatio S. Pontificis, quam extra hunc casum nemini committit sed sibi reservat personaliter concedendam.

VIII. De Processu matrimoniali.

In missione extera, causa de nullitate matrimonii locum dedit huic disputationi.

Post primum causae examen, in prima instantia, iudex sententiam dixit pro nullitate, ex cap. vis et metus. Absoluta ista causa, defensor vinculi nihil iam obiciendum vel notandum habebat. Quare acta processus missa sunt ad tribunal appellationis sine animadversionibus Defensoris vinculi, qui mere ad obtemperandum can. 1986 appellavit ad tribunal superius. Quod observans, iudex appellationis conclusit processum laborare vitio essentiali, quia neque in corpore litis, neque ad muniendam appellationem aliqua Defensoris animadversio legeretur.

Curia autem a cuius sententia erat appellatum reposuit nullam legi animadversionem Defensoris vinculi, quia, post diligens causae examen, nullam viderat faciendam esse.

Etenim can. 1968, 3^0 dicit quidem defensoris vinculi esse « animadversiones contra nullitatem ac probationes pro validitate... scribere et allegare » ; sed huiusmodi praecepta semper intellegenda sunt, quatenus adsint.

Si autem, post accuratam inspectionem, Defensor vinculi existimet nihil serio obici posse, ut quid vana allegaret? Observes can. 1986 mere praescribere ut Defensor vinculi provocet ad tribunal superius. Quod si officium suum implere neglegat « compellatur auctoritate iudicis ».

Atque can. 1984 § 1 praevidet interrogationem factam a tribunali ad Defensorem utrum aliquid supersit sibi deducendum vel inquirendum ; atque ad sententiam definitivam ne deveniat, antequam Defensor declaraverit sibi nihil superesse observandum... Quod

si, ante prafinitum a iudice diem, defensor nihil deduxerit « praesumitur nihil eum iam deducendum habere ». Haec praescribuntur de prima instantia.

Quo igitur argumento iudex appellationis existimare potest processum vitio substantiali corrumpi, quia non legat animadversiones Defensoris? Interroget Defensorem vinculi de causa absentiae. Is potuit ultro eam manifestare dum acta mittebantur.

Legatur, in confirmationem, instructio S. C. de Prop. Fide 1883 (n. 1587) de Processu matrimoniali. Ibi, n. 28, iubetur tribunal appellationis, acta examinare, eaque omnia peragere ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, errores corrigantur. Sed nullatenus ad ipsum spectat reicere processum ut vitiatum, quia non legantur animadversiones Defensoris vinculi, quae nusquam iubentur faciendae, ubi nullae detegantur.

IX. **De castitate puerorum vel adulescentium.**

In regione quae caret multis sacerdotibus, suntue in minore seminario servandi pueri qui satis bene se applicant ad studia, qui exterius satis sunt oboedientes, sed:

a) laborant habitu *hebdomadario* solitario post duos annos in seminario transactos;

b) qui laborant eodem vitio *bis in mense;*

c) qui laborant habitu *mensili?*

Resp. Regula generalis statui non potest. Inspicienda est origo pessimi habitus; puritas familiae (si tabes in familia); motivum cur voluerint aspirare ad sacerdotium; progressus facti: et exinde colliges utrum sit seria spes perfectae emendationis in seminario maiore. Si nulla seria spes, non sunt servandi in seminario. Peior casus fuerit, si peccata committantur

interdum cum alio seminarista. Isti fuerint instantius monendi de necessitate se corrigendi perfecte aut linquendi seminarium.

Si, antequam, studio philosophiae, seminarium maius non plene emendati ingredi voluerint, regulariter dimittendi sunt, utpote nimis fragilis virtutis, qui non potuerint cum subsidio cotidianae communionis pravum habitum debellare.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus propositi, p. 196*.

Missionarius non est ex toto reprehendendus; immo non immerito pro se adducere potest Rit. II, c. 4, n. 53.

Attamen melius, ni fallimur, menti S. Sedis et spirituali utilitati baptizandorum consulere potuit hac vel simili ratione.

Mens enim Ecclesiae est, ut, quantum fieri potest, serventur, in administratione baptismi, caerimoniae, eae potissimum quae, qua sacramentalia, utilitatem spiritualem afferunt, ita ut tunc tantum neglegantur, ubi earum observatio maiora bona spiritualis ministerii impediret.

Iam vero, hodie, permittente Ordinario loci, possunt, vi can. 755 § 2, in baptismo adultorum, caerimoniae baptismi infantium adhiberi. Cum caerimoniae eae longe breviores sint, hoc modo agendi fortasse iam omnis evanescit difficultas, sine ullo detrimento baptizandorum.

Quod ad methodum hactenus adhibitam a missionario, haec notabimus: De omissis interrogationibus, vel dictis genere plurali, nihil occurrit obiciendum.

Quod formulae dicantur genere plurali in impositione salivae, salis, unctionibus, id tolerari potest,

dummodo servetur coniunctio sufficiens inter verba et materiam, cui applicantur.

Quod, unica vice in faciem omnium simul sumptorum ter fiat insufflatio et una inhalatio, videtur minus certae efficaciae; si enim multi sunt ambigi potest num facies singulae attingantur?

Nihil demum obstat quin simul alloquatur electos et electas ante Pater Noster.

Casus de matrimonio mixti ritus

In parte quadam Orientali, tres exstant dioeceses ritus Orientalis quae, in re matrimoniali, subsunt decreto « Tametsi ». Ac simul habetur ibi dioecesis latina, quae territorium trium dioeceseum Orientalium complectitur.

Orientalis quidam matrimonium fecit cum muliere latina. Celebratio autem facta est extra territorium domicilii, coram parocho tamen domicilii. Simul a bannis dispensavit Ordinarius latinus. Et vix celebrato matrimonio, Sponsi adiverunt Ordinarium domicilii qui ipsis benedixit.

Quaeritur utrum matrimonium sit validum annon:

a) Ut celebratum coram parocho domicilii extra territorium versante;

b) Ut sanatum ab Ordinario latino qui dispensavit a bannis;

c) Ut celebratum vel sanatum ab Ordinario loci domicilii?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

S. Robertus Bellarminus de Communione frequenti.

Singulari aliqua Providentia ductus, ante aliquos menses inveni manuscriptum S. Bellarmini hucusque ignotum (1).

Continet codex 158 folia ab ipso sancto conscripta, si excipis folia 31-39, quae tamen a Bellarmino variis locis correcta et additionibus aucta sunt.

Est autem manuscriptum tractatus completus de Sacramentis. Exposita doctrina de Sacramentis in genere, agitur de septem Sacramentis in specie, necnon de Missae sacrificio.

Modus procedendi hic est. Statuuntur conclusiones, quae magis vel minus compendiose, prout materiae difficultas postulat, exponuntur, demonstrantur, defenduntur.

Lectori propono propositionem 58^{am} ex conclusionibus « de augustissimo et tremendo Eucharistiae Sacramento», in qua quaestio est de frequenti communione. Quod ad doctrinam spectat, S. Doctor multum pendet a Toleto, cuius dictata de Sacramentis certe prae oculis

(1) Autographon inveni in Archivo provinc. Rom. S. I.; consignatum est Archivo Pont. Univ. Gregorianae.

habuit (2). Quo non obstante manet prorsus sui generis. Codex conscriptus est, ut ex charta et modo scribendi patet, Lovanii (3) et quidem — quod longum esset nunc exponere — anno scholari 1569-1570, ante professoratum initum, quo anno Bellarminus ordinatus est sacerdos.

Lectori propono textum, prout habetur in codice, quibusdam additis in notis. De doctrina iudicet ipse; legendo sanctum ipsum melius cognoscet et amabit.

***

Propositio 58ª

Laudabilius est frequentius communicare, quam abstinere.

Nota, quod hic non loquimur, nisi supposita convenienti praeparatione.

Nota 2⁰, quod tres fuerunt status in Ecclesia (4). Primus, ut omnes tempore sacrificii communicarent, ut patet ex epistola prima Analecti (5), qui hoc praecepit, et habetur *de consecratione* dist. can. *Peracta* (6); et idem habetur in canone 10⁰ apostolorum (7) et

---

(2) Conf. Toletum in III Partem S. Th. q. 80 art. 10, in editione Patris Pariae S. I., Romae 1870, p. 281-286.

Conclusiones de Confirmatione, i. e. folia ista 31-39, quae conscripta sunt manu a Bellarmini diversa, sunt dictatum praelectionis, quam Toletus in Collegio Romano habuit.

(3) Insunt tamen in codice quaedam addita Romae, cum Bellarminus proponebat controversias.

(4) Nota secunda denuo redacta est Romae. Prior recensio sic sese habet: « Nota 2, quod tres fuerunt status in Ecclesia. Primus, ut quotidie communicarent, ut patet ex *epistola* prima Anacleti, qui hoc praecipit, et habetur *de consecratione* dist. 2, can. *Peracta*. Secundus, ut ter in anno communicarent, nimirum in Paschate, Pentecoste et Natali, ut habetur ex decreto Fabiani *de Consecratione* dist. 2, can. *Et si non frequentius*. Tamen ab hoc tempore cessavit praeceptum, sed non consilium quotidie communicandi. Unde ab eo tempore diversi diversa faciebant... » Cf. S. Th. III q. 80 art. 10 ad 5.

(5) [Anacletus], MG 2, 795.

(6) Decr. Grat., III dist. 2, can. 9: peracta.

(7) Canon. Apostol. 9: MG 137, 53.

apud Gratianum dist. 1 *de consecratione* can. *omnes fideles* (8). Non tamen hinc colligitur, quod tenerentur communicare singulis diebus, sed solum singulis dominicis: nam non tenebantur interesse sacrificio, nisi singulis dominicis, ut patet ex Iustino in fine apologiae secundae (9), et ex Clemente lib. 2, *Constitutionum Apostolicarum* cap. 63 (10) et ex Athanasio *Apologia secunda*, car[ta] 385 (11).

Secundus, ut ter in anno communicarent, nimirum in Paschate, Pentecoste et Natali, ut habetur ex decreto Fabiani de *Consecratione* dist. 2, can. *Et si non frequentius* (12), et ex canonibus iuniorum conciliorum, qui ibidem citantur; sed licet ex praecepto non tenerentur saepius communicare, tamen ex consuetudine diversi diversa faciebant. Nam multi retinuerunt usum quotidie communicandi, ut Romani et Hispani, ut docet B. Hieronymus in Apologia ad Pammachium *pro libris in Iovinianum* (13) et epistola ad Lucinium (14). Aliis magis place- (fol. 65^{v}) bat interponere aliquos dies; unde D. Basilius, interrogatus quoties esset Eucharistia sumenda, respondet in quadam epistola — in epistola ad Caesariam patritiam — (15), id quod ipse faciebat, nimirum die dominico, quarta et sexta feria, et sabbato, et in festis martyrum. Quorum dierum — excepta quarta feria — meminit Chrysostomus homilia 5^{a} *in epist. primam ad Timotheum* (16), quasi in illis solis diebus sacrificaretur. Ait enim: *Nostis, profecto, qui estis initiati, id quod dicimus: sive sexta feria, sive*

(8) Decr. Grat. III dist. 1 can. 60: *omnes fideles.*
(9) Iustin, Apolog. 1, 67. 7.
(10) [Clemens], Const. Apost. II, 59: MG 1, 744.
(11) Athanasius, Apologia secunda = Apol. c. Arian. 11: MG 25, 267.
(12) Decret. Grat., III dist. 2 Can. 15: *etsi non.*
(13) Hieronym., Ep. 48, 15 ad Pamm.: ML 22, 506.
(14) Hieronym., Ep. 71, 6 ad Lucin.: ML 22, 672.
(15) Basilius, Ep. 93 ad Caesar.: MG 32, 484.
(16) Chrysostom., *In 1 Timoth.* Cap. I hom. 5, 3: MG 62, 529-530.

sabbato, sive dominica die, sive in celebritate martyrum; eadem litatur hostia, idem sacrificium consumatur.

Augustinus quoque ad Ianuarium *epist.* 118 dicit (17) suo tempore, aliquos singulis diebus, aliquos rarius communicare et utrosque bene facere. Tertius status fuit, ut semel in anno communicarent omnes fideles ex praecepto, ut patet ex Innocentio cap. *Omnis utriusque sexus* (18). Tamen neque tunc cessavit sacra communio frequentior in consilio. Unde B. Franciscus referente B. Bonaventura (19) saepe communicabat, et Sancta Catharina Senensis (20) singulis diebus, et alii nonnulli.

Probatur modo nostra conclusio:

Primo authoritatibus Sanctorum. Vide Ignatium *Epist. ad Ephesios:* (21) *Festinate,* inquit, *frequenter ad Eucharistiam, et gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipsum assidue agitur, expelluntur potestates sathanae, qui actus suos convertit in sagittas ignitas ad peccatum.* Cyprianus *serm.* 6 *super orationem Dominicam* (22): *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti et non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, dicente ipso et monente: ego sum panis vitae, qui de coelo descendi: si quis ederit de hoc pane, vivet in aeternum.*

---

(17) Augustin, *Ep.* 118 (nunc 54), 3, 4 ad Januar.: ML 33, 201.

(18) Innocentius III, Concil. Later. IV cap. 21; Denzinger, ed. 17, n. 437.

(19) Bonaventura, *Legenda S. Francisci* IX, 2: Ed. Quaracchi, 1898, VIII 530.

(20) Toletus *In III Part.* q. 80 art. 10 p. 285: « Bene respondit S. Catharina, ut narrat Antonius in eius vita, cuidam monacho reprehendenti ipsam; et obicienti hunc locum Augustini (« quotidie communionem percipere Eucharistiae nec laudo nec reprehendo », cfr not. 27) respondit: « Reverende Pater, si Augustinus non me vituperat, cur vos me vituperatis ? ».

(21) Ignatius, *ad Ephes.* 13: MG 5, 656, collata epistola interpolata, ibid. 745.

(22) Cyprian., *De dominica oratione* 18: ML 4,531; Corp. Vindeb. CV, 3, 1, 280.

Vide Ambrosium lib. 5 *de Sacramentis* cap. 4 (23): *Accipe quotidie*, inquit, *quod quotidie tibi prosit.* Hieronymus ad Lucinium (24) dicit Hippolytum et alios non nullos scripsisse de Eucharistia quotidie accipienda. Et item monet illum traditiones ecclesiasticas — qualis ea erat de communione quotidiana — esse retinendas, ut a maioribus traditae sunt. Et quamquam in *Apologia contra Iovinianum* (25) dicit se nec reprehendere, nec probare morem maritatarum foeminarum quotidie communicandi; tamen quin saltem singulis octo diebus communicent, nusquam reprehendit. Immo super caput 4 *ad Galatas* (26) dicit, licere nobis diem dominicum accepto corpore Domini indesinenter celebrare. (fol. 66[R]). Augustinus videtur fuisse eiusdem sententiae.

Nam *de Ecclesiasticis Dogmatibus* cap. 53 dicit (27): *Quotidie communionem percipere Eucharistiae nec laudo nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor.* Et *Epist.* 118 dicit (28) illos, qui quotidie communicant, bene facere, quamquam non sint reprehendendi, qui aliquando abstinent propter humilitatem. Chrysostomus hom. 5 *in epist. ad Timoth.* (28): *Non est audaciae saepius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quisquam in toto tempore vitae accedat.* Similia dicit, hom. 28 *in priorem ad Corinthios* (30). *In oratione* autem *de B. Philogonio* (31) dicit: *Quemadmodum, qui sibi nullius mali est conscius, hunc*

(23) Ambros., *De Sacram.* V, 4, 24, ML 16, 452.
(24) Hieromym., ep., 71, 6: ML 22, 672.
(25) Hieronym., ep. 48, 15: ML 22, 506.
(26) Hieronym., ad Gall. Comm. II, 3 (4, 11): ML 26, 405.
(27) [Augustin.] *De eccles. dogmatibus* 23 (nunc 53): ML 42, 1217.
(28) Augustin., Ep. 118 (nunc 54) 3, 4: ML 33, 201. Alia testimonia patrum Lat., eaque uberrima, vide apud *Browe*, De frequenti communione... documenta varia, Text. et Docum., Ser. theol. 7, Romae, 1932.
(29) Chrysostom., *In 1 Timoth.* cap. I, hom, 5, 3: MG 62, 529.
(30) Chrysostom., *In 1 Cor.* 11, 28; hom. 28, 1: MG 61, 233 sq.
(31) Chrysostom., *De beato Philogonio*: MG 48, 755.

oportet singulis diebus accedere, sic qui peccatis occupatus est, neque poenitet, ei nec in festis accedere tutum est.

Probatur secundo authoritatibus scholasticorum. D. Thomas 3 part. q. 80, art. 10 dicit esse laudabile, si quis sit dispositus, quotidie communicare, et in 4 *Dist.* 12 in responsione ad 3am dicit (32) esse melius accedere quam abstinere. D. Bonaventura *Dist.* 12 articulo ultimo quaest. 2 dicit (33), quod si aliquis semper esset paratus, semper esset bonum accedere. Et in tractatu de *profectu religiosorum* lib. 2 cap. penultimo (34) devotissimis verbis hortatur ad frequentem communionem, etiamsi quis non sentiat fervorem, etc. Idem habet Richardus, *dist.* 12 art. 6 q. 1 (35); Alexander, 4 part. q. 11 membr. 3 (36) et Gerson, *tract.* 9 *super Magnificat* (37); Durandus, *dist.* 12 (38); Dionysius Chartus., dist. 12 et in tractatu *de frequentatione Eucharistiae* (39) et Gabriel, lect. 87 *in canonem* (40) toti sunt nostri. Unus Caietanus est, qui dicit, quod si homo sentit se bene proficere, pergat; si minus, recedat (41). Verum non est bona regula ista. Est enim, ac si dicat: « si friges, recede ab igne ».

Probatur tertio ratione. Qui accedit, exercet plures et nobiliores virtutes, quam qui abstinet, nimirum amorem, spem et fiduciam. Secundo: qui abstinet vere ex humilitate, solum lucratur id, quod ipse meretur per illud opus virtutis. At qui accedit, lucratur suum meritum, quod debetur operi devotionis et charitatis

---

(32) S. Thom., 4 dist. 12, q. 3, art. 1, ad q. 3am.

(33) Bonavent., 4 dist. 12, p. 2, art. 2, q. 2, ed. Quaracchi IV 296.

(34) [Bonavent.] De profect. religios., II cap. 77, ed. Venet. 1756, vol. XIII, 180-182.

(35) Richardus de Mediavilla 4 Dist. 12, art. 6 q. 1.

(36) Alex. Hal., *Summa Theol.* IV membr. 2, q. 11, art. 4.

(37) Gerson, *Tract. nonus super Magnificat,* ed. Ant. 1706, IV 426 sq.

(38) Durandus, dist. 13, q. 5.

(39) Dionys Carth. 4 *Dist.* 12 q. 5, ed Torn. 24, 338 sq; *De Sacra Comm. frequent.* 6 et 7, ibid., 35, 449 sq.

(40) Gabriel Biel, *S. Can. Missae Expos.* ed. Brixen., 1576.

(41) Caietanus, *Comm. in S. Th. III* q. 80, art. 10, ed. Leon., XII, 242.

et etiam gradum gratiae sacramentalis. Tertio: hoc sacramentum est cibus, et est institutus sub specie panis et vini, quae frequentissime comeduntur. Ergo frequentari debet. Quarto: qui frequentius accedit, magis honorat Deum. Nam primo confitetur summam Christi charitatem, omnipotentiam (fol. 66^{v}), sapientiam, bonitatem, etc. Quinto probatur experientia: nam, qui frequentant cum desiderio sui profectus mirabiliter proficiunt; qui autem coeperunt frequentare et desinunt, fiunt multi peiores. Sexto: quia in primitiva ecclesia quotidie sumebant et non erant omnes religiosi; et tamen adeo proficiebant, ut nos videamur Christiani depicti, si cum illis conferamur. Adde ultimo, quod hoc esset unica via reformandi Ecclesiam, si possent adduci saeculares ad communicandum singulis mensibus; et qui sunt meliores singulis dominicis. Nam hoc modo cogerentur saepe confiteri; unde omnia mala tolluntur.

Argumenta opposita sunt nullius momenti. Primum est: quia centurio fuit laudatus, qui non recepit Dominum (42).

Respondeo: centurio laudatur de fide, non quod non receperit Dominum. Praeterea laudatur etiam Zaccheus (43), qui recepit Dominum; et Petro dicenti: *exi a me Domine*, respondetur: *noli timere* (44). Praeterea, numquid non est stultitia anteponere factum unius Centurionis pagani omnibus Sanctis Ecclesiae, qui quotidie communicabant!

Secundum est: Nimia familiaritas parit contemptum.

Respondeo: Si rex diceret: « veni ad prandium meum », vel: « para mihi in domum tuam, quia hodie ad te veniam », numquid diceres: « nolo serenissime princeps; nam timeo, ne fiamus nimis familiares? ».

---

(42) Cf. MATTH. 8, 8-11; LUC. 7, 1-10.
(43) Cf. LUC. 19, 1-10.
(44) Cf. LUC. 5,8.

Tertium: Est praesumptio saepius accedere.

Respondeo: praesumptio est abstinere, quia tu confidis sine cibo posse te vivere miraculose. Unde Cyprianus contendit, quando periculum erat persecutionis, dandam esse Eucharistiam etiam poenitentibus, ut possent esse fortes in martyrio, quibus alioqui non fuisset data. Vide lib. 1 epist. 2 et aliis (45).

Quartum: melius est sequi viam tutam, quam periculosam. Sed si quis non communicet, nisi semel in anno, tutus est. Ergo etc.

Respondeo: etiamsi esset tutius, non communicare saepius, tamen est utilius communicare; et hoc est anteponendum, quod accidit in omnibus bonis operibus. Nam et in ieiunio, eleemosyna, etc... est periculum inanis gloriae et excessus, etc. Praeterea nullum est hic periculum, si homo velit facere, quod in se est, et habeat bonam voluntatem. Alioqui male faceret Ecclesia, quae cogit homines communicare in Paschate, si cum tanto periculo fit communio; immo ipse Dominus cur rem tam periculosam instituit et praecepit? Praeterea qui aegrotat, numquid dicit: « nolo mihi venam praecidi, quia est periculum, ne tangat nervum »? et qui esurit, numquid dicit: « nolo comedere, quia est periculum veneni »?.

Quintum: maior est reverentia non accedere.

Respondeo: immo maior est reverentia quotidie exire, ut Domino reve - (fol. 67^{R}) rentiam exhibeas; et experientia patet, ex quo coepit frequentari sacramentum, mirabiliter auctum esse cultum ipsius.

Sextum: quia qui frequentant, non usque adeo proficiunt. — Respondeo primo: non est putandum, qui communicant frequenter, statim in gratia confirmari. Nam Petrus eadem nocte qua communicavit, Dominum ter negabit, et apostoli ceteri fugerunt. Sed tamen expe-

---

(45) Cyprian., *Epist.*, ed. Erasmi I 2; ML 3, 854 sq.

rientia constat, multos incredibiliter profecisse. Praeterea videamus, quales sint ii, qui communicant singulis annis semel!

Septimum: quia si rarius fieret, fieret cum maiori devotione.

Respondeo: propter hoc non est consulendum maritatis ut singulis diebus communicent, quia impediti in aliis, non possunt tam facile se colligere (46). tamen cum multo maiori devotione accedit, qui frequenter, et habet tempus se colligendi, quam qui raro. Unde experientia videmus, eos qui semel in anno communicant, potius ex consuetudine quam ex devotione id facere. Non tamen mirum, si quidam sacerdotes mercennarii non proficiunt. Nam potius propter lucrum temporale quam ex devotione celebrant (47).

Post haec omnia considera, quod D. Gregorius lib. 4 *Dialog.* cap. 56 de B. Cassio episcopo Narnensi scribit (48), nimirum, quod quia quotidie celebrabat, audivit a Domino: « age quod agis; operare quod operaris; non cessat pes tuus; in natali enim apostolorum venies ad me ». Et ita fuit.

—

En, lector, conclusionem 58^am^.

Notes velim in pericope ultima, quae incipit: *Post haec omnia,* Bellarminum alloqui semetipsum (49). Quid sibi velint haec verba ultima, plane intelleges, si prae oculis habeas ea conscripta esse a Sancto modo ordinato vel mox ordinando. Cum Bellarmino concludo: *finis, laus Deo.*

SEB. TROMP. S. I.

(46) Cf. Supra pag. 213* de Hieronymo, qui non reprehendit maritatas, singulis octo diebus communicantes; quod a Bellarmino laudatur.

(47) Fol. 93 agit Bellarminus contra eos qui multas accipiunt eleemosynas, et una missa pro iis volunt satisfacere: « Ipsi profecto digni essent, ut omni tali eleemosyna privarentur ».

(48) GREG. MAGN., Dialog. IV, 56: ML 77, 421.

(49) Hoc frequentissime facit Bellarminus iuvenis in scriptis suis, v. g.: *Considera haec Roberte.* Cf. *Archiv. Hist. Soc. Iesu* II, 1933, 185 sq.

De castitatis voto ordinibus sacris annexo.

Nihil frequentius inter canonistas et moralistas, qui de coelibatus ecclesiastici lege agunt, quam illam proponere sub duplici obligationis forma: legis continentiae, scilicet, et emissionis voti. Vide, exempli gratia, OJETTI, *Synopsis,* vol. I. col. 933: « Obligatio autem haec est ex lege ecclesiastica, quae clericis praecipit tum castitatem, tum *modum* eam profitendi, scilicet *ex voto* ».

De isto tamen *modo,* de isto *voto,* numquam fuit plena auctorum concordia. Semper aliquis inventus est, tam ante quam post Codicis promulgationem, qui illam negarent simpliciter aliis contradicentibus. Sic S. ALPHONSUS (1), inter auctores qui negant obligationem voti emittendi enumerat MASTRIUM, etc. SCOTUM, PALUDANUM VALENTIAM, etc. (2). P. LEHMKUHL (3) ait « Dissensus quidem est inter theologos utrum obligatio coelibatus ex sola lege ecclesiastica, an simul ex voto oriatur ». Post Codicem *sufficiat allegare* D. PISTOCCHI qui in « *Perfice Munus* » (4) sententiam propugnat quae voti emittendi obligationem negat, et P. M. C. A CORONATA (5) qui sententiam de obligatione voti appellat tantum *probabiliorem* et *veriorem;* et putat concedendum esse quaestionem non solvi ex solo canone 132 § 1: sunt etenim Codicis commentatores qui praedictam obligationem negant.

---

(1) S. ALPHONSUS, *Theol.* Mor. (Ed. *Gaudé*) vol. III, n. 808.

(2) Verum est quod notat BALLERINI-PALMIERI, *Opus Theologicum Morale, vol.* IV (Ed. 3) nn. 236-239, aliquos ex his auctoribus « per meram aequivocationem » allegari: agunt enim de vi qua sacer Ordo dirimit matrimonium. At non merito inde concludit contra ipsam sententiam quae a *Salmanticensibus* (*Theol. Mor. Tract. VIII.* Cap. VI Dub. II) et a S. ALPHONSO ut vere probabilis habetur, non ex *aequivocatione,* quaestionem veram attingunt, sed ex rationibus quas ibi afferunt.

(3) Theol. Moral. vol. II, (ed. 12) n. 782.

(4) *Perf. Munus.* 1926, pag. 408.

(5) Institutiones Iuris Canonici, vol. I. n. 191.

***

Et re quidem vera mirum quid hic cernitur: generatim auctores indubitanter loquuntur de *modo* castitatis canonicae, ut de re *necessario* admittenda: dum, vero, rationes afferre conantur, praeter auctoritates doctorum, et praxim Ecclesiae vix aliam efficacem adducere videntur.

Auctoritas quidem doctorum adeo magna nobis videtur ut nos ad doctrinam commmunem admittendam vehementer impellat. Imo illam reicere a quadam temeritatis nota excusare non possimus.

Audiatur ante omnes S. THOMAS « Ordo sacer apud graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, sed apud latinos, impedit ex vi ordinis et ulterius *ex voto continentiae quod est ordinibus sacris annexum* » (6). Et cum S. Thoma sentit eius schola.

Eodem modo S. BONAVENTURA loquitur:

« Omnis qui non vovet continentiam est ineptus ad sacros ordines ». GREGORIUS dicit et habetur in littera: « Nullum subdiaconum facere praesumant Episcopi, nisi qui se promisit caste victurum » (7).

Exponit SUAREZ, statum controversiae suo tempore existentis, et postquam, ut solet, omnes sententias expendit, concludit: « Primo, ergo, *certum* existimo intentionem Ecclesiae esse, ut is, qui sacrum ordinem voluntarie suscipit, votum castitatis emittat, et ad hoc obligare sic ordinatum, quod recte facere potest » (8).

Benigniores sunt SALMANTICENSES: contrariam sen-

---

(6) 3a p. Suppl. q. 53 a 3. Cf. quoque 2, 2ae q. 88, a 7.

(7) *In IV Sent. Dist.* 37 a 1. q. 2 n. 3 et conclus: refert S. Dr. sententias auctorum ut concludat, votum apud latinos « impedit ratione *statuti* et ratione *voti* ».

(8) *De virtute et statu religionis,* Pars. 2. Lib. 9. Cap. 17. in quo affert omnes sui temporis auctores, et quid revera diversum asserant perpendit.

tentiam reputant probabilem cum SANCHEZ (9); illam tamen reiciunt et communem amplectuntur quam clare et distincte proponunt: « In praesenti datur lex Ecclesiastica prohibens contrahere matrimonium... *et* datur praeceptum de emittendo votum castitatis implicite vel explicite pro illo qui ad ordines assumitur, et datur votum ipsum castitatis iam ab ordinato in sacris emissum » (10).

Ut ad testes recentiores veniamus, sufficiat auctoritatem P. WERNZ adducere, qui mentem canonistarum aperit: proponit quaestionem de *fonte* obligationis *coelibatus,* et respondet. « In Ecclesia occidentali, sine dubio, onus coelibatus ex *lege ecclesiastica,* omnibus et singulis clericis *directe* imponitur, qui ad sacrum subdiaconatus ordinem rite sunt promoti. At Ecclesia occidentalis sua lege *conditionata* non solum *praescribit ipsum coelibatum*... sed etiam specialem *formam,* qua sit suscipiendus et exercendus i. e. per *votum* perfectae castitatis » (11).

Tandem mentem auctorum, post codicem, reasumit optime cl. P. F. REGATILLO, qui, BALLERINI adhaerens, contrariam sententiam ait « *perperam appellari probabilem* » (12).

Unde P. MERKELBACH *O. P.* qui fere ultimus Theologiam Moralem edidit, ut rem planam asserit « obligationem continentiae immediate voto inniti » (13). Et cl. DE SMET, qui in aliis editionibus potius parebat sententiae quae votum negabat, in ultima editione praeclari operis « *De Sponsalibus et Matrimonio* » (1927) ait: « Quibus attentis, sententiam *in quam iam incli-*

(9) SANCHEZ, *De Matrimonio,* Tom. II. Lib 7. disp. 27.

(10) COLLEGII SALM. THEOL. MORALIS Tom. I. Tract. VIII. De ordine, Cap, VI, Dub. 2.

(11) *Ius decretalium,* (Ed. 2.) Tom. II. Tit. IX. 201.

(12) *Cuestiones Canonicas de Sal Terrae, Santander,* 1927, vol 1º n. 162.

(13) Summa Theologiae Moralis, Parisiis 1933, Tom. 3, n. 865.

namur, iuxta quam coelibatus obligatio proxime derivatur a castitatis voto.... » n. 574, 4⁰ (14).

Ergo a S. THOMA ad nostra tempora, habemus ininterruptam Auctorum assertionem, quae firmiter, etiam si non nulli repugnent, indubitanter, nobis testificant saltem *factum historicum* observantiae coelibatus in Ecclesia occidentali non ex sola lege Ecclesiastica, sed ex lege quae etiam *votum* imponit ordinando.

Hoc certe concluditur, ut nobis videtur, praescindendo a rationibus quibus moventur AA. *ad factum theoretice* illustrandum.

Etenim, fieri non potest ut nisi haec esset Ecclesiae persuassio, tot auctores, tanta constantia, tanto munere, per tot saecula, in idem affirmandum, constanter permansissent.

Haec sit ergo prima nostra conclusio: *De facto,* adest in Ecclesia occidentali praxis saecularis, quae coelibatum ecclesiasticum ita interpretatur ut clerici in maioribus ordinibus constituti, et a nuptiis arceantur et legi servandae castitatis, ita adstringantur ut hanc, voto saltem implicito, promittere teneantur.

Si autem de facti ratione quaeratur, haec in fontibus iuris quaerenda est: qui fontes si in sua nativa vi inspiciantur, plenam probationem facere nobis videntur. In sua vi, i. e. non ultra proprios limites educendo documenta.

Disputationis causa ea fuisse videtur quod vel rationes aprioristicae invocatae fuerunt, vel maior vis

---

(14) Citat DE MET in nota 2 ad pag. 505, pro contraria sententia inter alios OJETTI, et VLAMING. At VLAMING quaestionem non ut discutitur proponit; *Prael. Iuris Matrimonialis*, (ed. 3). 1913, n. 295. OJETTI, in l. c. fere de hac re non loquitur, in vol. vero 1⁰. suae « Synopsis n. 1232. verbo « Coelibatus » *data opera* sententiam communem tuetur: sicut et in *Comm. in Cod. Iuris Canonici vol.* III pag. 104. Neque SÄGMÜLLER, quaestionem solvit contentus ipsius exsistentiam post Codicem asserere. Cf. *Lehrbuch d. Kath. Kirchenrechts. Ester Band.* Freiburg, 1930 pag. 381.

documentis tributa fuit quam habebant. Quod ex sequentibus magis apparebit.

Inspiciamus ergo, a Codice eiusque fontibus investigationem incipiendo, documenta quae hac in re afferri solent.

De Codice, fatendum est nihil ad nostram quaestionem solvendam decissive proponere. Can. 132 § 1 ita redactus est ut studium potius vitandi solutionem manifestet (15). Explicite quidem, asserit reatum sacrilegii in violationibus coelibatus, at hoc optime explicari potest, etiam, voto excluso. Nam ut ait S. ALPHONSUS ex *Salmanticensibus* (16), ad sacrilegium habendum sufficit violatio legis quae continentiam imponit ex motivo religionis, ob reverentiam ordinis sacri, clericos in maioribus, Deo in perpetuum ad continentiam consecrando.

Si ad Codicis fontes veniamus (17), eos, quo propius ad nos accedunt minus de quaestione nostra agere videntur: inculcant Romani Pontifices PIUS IX, GREGORIUS XVI coelibatus necessitatem, contra modernas impugnationes, at nihil de radice obligationis habent (18). Deveniendum est ad BENEDICTUM XIV ut documenta doctrinam nostram respicientia inveniantur. ' Non tamen illa inter fontes Codicis citantur '. Ex quatuor Pontificis Constitutionibus, nulla tangit quaestionem, sed de disidiis cum orientalibus plus minusve agunt, et de modo quo ipsi ad coelibatum teneantur vel non. Affertur communiter Constitutio « *Inter praeteritos* » 3 dec. 1749 § 41.

---

(15) Cf. P. M. C. A CORONATA l. c.

(16) l. c. n. 809.

(17) Documenta omnia quae ad Coelibatum pertinent collecta inveniri possunt in opere classico a DD. DE ROSKOVÀNY scriptum; *Coelibatus* et *Breviarium*, 5 vol. *Pestini*, 1861. cum Supplemento, Nitriae 1888, edito.

(18) Eodem modo procedit, ut res postulabat, BENEDICTUS XV, Allocut. Consistoriali 16 Dec. 1920 (A. A. S., XII, 585); in qua damnavit intentum sacerdotum societatis « Jednota », et Epistola ad Archiepiscopum Pragen., 3 ian. 1920 (A. A. S. XII, 33).

Ad doctrinae vero expositionem, neque in hac Constitutione, aliquid invenitur decisivum. Neque speranda erat doctrinalis quaedam expositio in Constitutione quae tota est in dubiis solvendis circa Iubilaei facultates.

Occurrit ipsi solvendum dubium circa facultates quae minoribus poenitentiariis concedebantur. Atque ut solvat dubium quoddam affert verba quae ab omnibus citantur: « *Quod idem est ac si dicatur, ipsos* (paenitentiarios) *potestatum* (sic) *dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae in solemni Religiosa Professione*, sive in ORDINIS SACRI SUSCEPTIONE EMISSIS, minime habere: haec autem sola solemnia vota sunt » (19).

Habemus ergo apud BENEDICTUM XIV, ut Romanum Pontificem, mere *incidentalem assertionem*, de voto in ordinibus sacris emisso, quae supponit ita fieri consuevisse; cur ita fiat non dicitur, neque de obligationis origine ulla fit mentio.

Non magis ad casum nostrum faciunt aliorum Pontificum documenta qui inter Concilium Tridentinum et BENEDICTUM XIV vixerunt, et in notis Codicis citantur.

Concilium quidem Tridentinum non semel egit de coelibatu: at substantiam tantum attingit. « Subdiaconi ordinentur... qui sperent, Deo auctore, se continere posse » (19).

Inter canones de Matrimonio, habetur can. 9. quo anathemate plectuntur dicentes « clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere... non obstante *lege ecclesiastica* vel *voto* ».

In quo canone legem ecclesiasticam clericorum contraponit voto regularium. Ex quo contrarium vide-

---

(19) In « *Ss. Domini nostri* BENEDICTI *Papae XIV Bullario*. Tomus III. Ed. Venet. 1778 pag. 77 et seq.

(19) Sess. XXIII Cap. 13, De reform. - 193) Sess. XXIV Can. 9.

retur deducendum, nisi bene notetur sub denominatione « legis ecclesiasticae » contineri complexum obligationis saecularium, quocumque modo illa demum sit explicanda.

Veniendum tandem est ad Decretales. Ibi copiosa textuum exhibetur collectio. Ad illa qui magis ad rem faciunt deveniamus. IOANNES XII, (20) loquitur de *voto*, « *votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis* » efficax ad dirimendum matrimonium.

Celeberrimum est BONIFACII VIII responsum propter usum eius frequentissimum in scholis. Quia de textu omnium magis explicito agitur, iuvat illum diligentius exponere: « *Praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam; factam alicui de religionibus per sedem apostolicam approbatis* » (21).

Quodnam, hic, est obiectum directum « *sanctionis* » ? Quod, in ordine ad matrimonium post contractum, dirimendum, solum duo genera votorum solemnium habentur; quorum unum est *votum solemnizatum* per sacri ordinis susceptionem.

Quid assumitur ut notum ? Quod ordinandi verum votum emittunt castitatis cui effectus voti solemnis ab Ecclesia annectuntur, ipsa sacri ordinis susceptione. Hoc significat locutio « solemnizatum per susceptionem sacri ordinis ».

Non ergo hic obligatio vel statuitur vel inculcatur vel explicatur, sed ut factum notum assumitur.

Magnam ergo vim habet textus ut testimonium

---

(20) *Extr. Ioann.* XXII Tit. V. Cap. unic. de voto...

(21) L. III. Tit. XV Cap. unic. in VI.

ad probandam exsistentiam voti: illa certo erat Ecclesiae praxis tunc temporis, in pacifica possessione vigens. Undenam originem duceret, non asseritur: at argumentum hoc ipso datur de illius antiquitate. Unde concludere possumus: tempore BONIFACII VIII (1294-1303) nullum aderat dubium de praxi Ecclesiae annectentis votum ordinis sacri susceptioni.

Affertur etiam INNOCENTIUS III (1198-1216): qui in loco passim citato (22) asserit Orientalem Ecclesiam *votum continentiae* non admisisse: unde a contrario arguitur Occidentalem admisisse.

Afferri potest in eodem loco, cap. II, ALEXANDER III (1159-1181) praecipiens ut clericus coniugatus ad sacros ordines non promoveatur nisi « *castitatem voveret perpetuam* ».

Anno 1139 *Concil. Lat. II*, Cap. 7 = C. 40 C. XXVII q. 1., Lex coelibatus clarissime proponitur pro omnibus ordinibus sacris, de forma tamen nihil asseritur.

Devenimus ergo ad tempora GRATIANI. Neque apud ipsum legis origo invenitur, sed, eodem fere modo ac Romani Pontifices locuti sunt, ipse loquitur de *voto* de « *voventibus* » de « *promissione* » castitatis (23) de « *professione castitatis* » etc.

Tamen, cum haec praesertim in *Prima parte* inveniantur, atque non pauca, ex conciliis particularibus sint desumpta, nec concordem exhibeant sententiam, non solum ad legem statuendam nequeunt afferri, sed neque plenam faciunt probationem de *facto* exsistentiae legis, quae uniformiter applicetur.

Et revera, dum ex. gr. affert auctoritatem S. GREGORII M. (24) dicentis: « Nullum facere subdiaconum praesumant Episcopi, nisi qui se victurum caste pro-

(22) Cap. VI, X de clericis coniugatis, III, 3.
(23) Cf. Prima Pars Decr. Dist. XXVII-XXVIII.
(24) Ep. ad Petrum Sub. Mg. L. 77, col. 498.

miserit » (25) paulo antea (26) inducit MARTINUM Papam dicentem, de diacono ordinando, a quo est exigenda electio continentiae, quam si non promiserit et ordinatus « *postea matrimonium desideraverit*; *alienus sit a ministerio et vacet a clero* » (27).

De ista *protestatione* castitatis, de *promissione caste vivendi*, etc, ex his locis, merito iam dubitare quis potest utrum de vero voto Deo faciendo agatur, an de promissione coram Episcopo facienda quae verum votum non contineat. GRATIANUS, ut S. GREGORIUM interpretatur, loquitur de vero *voto*, sed aliis in locis non eadem perspicuitate verba facit (28), neque omnino de vero voto loqui S. GREGORIUS nobis constat (29).

Si praeterea ad concilia particularia accedamus quibus castitas clericalis multum inculcatur, nostra *hypotesis* confirmari videtur.

Doctrina de promissione evolvitur optime a *Concilio Toletano* II (30) cap. I. De his loquitur, qui a parentibus oblatis in spem sacerdocii, in domo Ecclesiae erudiebantur. Ii « ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuit, et professionem castimoniae suae, absque coniugali necessitate se sponderint servaturos, hi tamquam appetitores arctissimae viae, lenissimo Domini iugo subdantur: ac primum subdiaconatus ministerium habitu probationis suae a vicesimo anno suscipiant »..... ait postea, cavendum

---

(25) D. XXVIII, c. 1 Cf. quoque dictu Calixti II. Dist XXVII, Cap VIII.

(26) D. XXVII. Cap. I.

(27) Vide similem casum in Dist. XXVIII Cap. VIII.

(28) Patet nos, hic, non attingere quaestiones quae directe pertinent ad ipsam coelibatus obligationem, in his locis contentam: ideo neque concordare chronologice dicta GRATIANI nostrum esse ducimus. Unum intendimus: investigare quomodo ipse et auctoritates ab ipso invocatae de *voto* loquantur.

(29) Mg. l. c. col. 505.

(30) *Mansi* vol. 785.

esse ne promissionem violent, et concludit: « *Quod si forte fecerint*, ut *sacrilegii rei damnentur*, et ab Ecclesia habeantur extranei ».

Non multum differunt termini apud *Concil. Tolet. IV* cap. 26 (31); *Arausicanum I.um* can. 22 (32). *Arelatensem* II.um cap. 2 (33).

Promissio, professio castitatis exigitur: violatores promissionis, explicite in *Concil. Tol. II*, ut sacrilegi habentur. Quid amplius desideratur ad votum adstruendum? Quomodo ut sacrilegi essent habendi nisi promissio, Deo facta, esset intellegenda?

At fateri debemus explicite votum non nominari. Neque hoc tribuendum est defectui in terminologia. Clare tunc temporis vis voti percipiebatur apud virgines et monachos: de ipso frequens est sermo apud GRATIANUM, et quidem in hac saepe cita *Dist. XXVII.* Professio virginitatis « *dedicatio* », « *consecratio* » dicitur. Cf. hoc in loco Cap. 2, 3, 4, 5, 9.

Promissio ista de voti stricte emissione necessario non est intelligenda. Imo forma ipsa qua fiebat: post examen, coram Episcopo, praesente clero indicat potius agi de promissione in foro externo, quam de interna voti nuncupatione.

Neque ex eo quod violantes illam ut sacrilegii rei habeantur hoc apodictice demonstratur. Ut quis reus sacrilegii habeatur sufficit, ut supra diximus, quod violet promissionem hominibus factam intuitu religionis, ex reverentia ministerio sacro debita.

Evidens est pronam viam ad complendam istam fori externi promissionem, per voti nuncupationem, hic aperiri. Unde, ultro concedimus fundamentum hic haberi ad posteriorem doctrinae evolutionem; de stadio

(31) *Mansi*. vol. X. col. 477.
(32) *Mansi* vol. VI. col. 434.
(33) *Mansi*, vol. VII. col. 875.

tamen agi, fatendum est, in quo promissio castitatis certo habetur: quod vero haec promissio sit votum non apparet.

***

Id magis adhuc manifestum fiet, si ad rationem attendamus cur promissio exigebatur. Pulchre a Sancto GREGORIO M. exponitur, in citata epistola ad PETRUM subdiaconum: reprobat prohibitionem factam subdiaconis Siciliae, utendi uxoribus suis legitimis, ut morem romanum imitarentur: at ait « *durum atque incompetens videtur, ut qui usum eiusmodi continentiae non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari... Unde videtur mihi ut a praesenti die episcopis omnibus dicatur ut nullum subdiaconum facere praesumant nisi qui se victurum caste promiserit quatenus et praeterita quae per* **propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, et futura caute caveantur** ».

Ecce prudentissima agendi ratio: castitas ex sua ipsa natura imponi non debet, nec potest nisi libere et sponte acceptetur: unde, immerito exigitur ab iis qui illam non promiserunt, neque imponitur nisi illis qui deliberate illam amplecti apud se statuant.

Quod quidem maiori firmitate, spirituali praesidio et devotione praestatur si voti religione firmetur; hoc tamen non est necessarium. Unde promissio addita legi necessaria est: voti emissio non est necessaria, valde autem conveniens.

***

Ideo si evolutionem totius doctrinae de obligatione coelibatus sub forma voti, breviter exponere velimus, haec videntur fuisse stadia:

---

(34) Cf. quoque exhortationem *in Pontif. Rom.* contentam ante subdiaconatus collationem.

1° Lex simpliciter proponitur quae praxim denuntiat servandi castitatem. Cf. *Concil. Iliberitanum* inter 303-313. celebratum, can. 33.

2° Ante ordinum susceptionem exigitur explicita promissio castitatis.

3° Haec promissio paulatim in votum convertitur, quod iam saecl. XIII in pacifica habetur possessione.

4° Cum scholasticis incipit expositio systematica; doctrinae controversia suscitatur de voto, quae ad nostra tempora usque perduravit.

5° Cum votum haberetur ut *requisitum* ad ordines sacros suscipiendos, qui ad illos accedit eo ipso *tacite* votum emittere censetur (35).

***

Porro quis mirabitur quomodo controversia tamdiu durare potuit.

Ratio, ut nobis videtur, in excessu ex utraque parte invenienda est.

Ut dictum est, ex documentis solis, *directa* legis constitutio de voto emittendo, probari non potest. Hoc ex iis quae hactenus diximus constare videtur.

Votum praxi, sensu sine sensu, introductum fuit: votum praeterea ad explicandam obligationem castitatis perfectae non est necessarium.

Ex hoc, ad conclusionem ducti fuerunt non nulli haud veritati conformem: Ergo nulla adest emittendi votum obligatio.

Quamvis nulla lege ecclesiastica, proprie tali, voti emissio sit imposita, dum controversiae ipsae incoeptae sunt; praxis approbata ab Ecclesia usu et stylo quotidiano, erat ut propositum castitatis, voto solemni firmaretur. Unde voti emittendi adest obligatio.

---

(35) Non multum distat nostra explicatio ab ea quae pulchre a SUAREZ pro ponitur, *De Religione*, L. IX Cap. XVII, n. 6, partis 2.

Hoc indubitanter concluditur documentis allatis supra.

Praeterea comprobatur stylo Curiae Romanae. Sufficiat lectorem remittere vel resolutiones Congregationis Concilii. (Vide aliquas apud RICHTER-SCHULTE. Canones et Decreta Concilii Tridentini, Lipsiae 1853, p. 201 et seq.) Quid frequentius quam, in dispensationibus a votis religiosis concessis, vel in facultatibus dispensandi, quam appositio clausulae « Nullatenus tamen *ab eodem* (voto ergo) illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem coelibatus tenentur, etiam si ad statum laicalem redacti sint? » Ita SS. Papa noster PIUS XI, in Bulla « *Indicto* » 30 ian. 1933 (36) qua, **facultates maximi iubilaei** *pro anno Sancto Redemptionis centenario,* poenitentiariis Urbis conceduntur. Nec in re evidenti diutius est immorandum.

Ergo votum reicere nequaquam licet, nec de obligatione illud emittendi est dubitandum, quamvis sufficiat *tacita,* per liberam ordinis susceptionem, nuncupatio.

Rationes vero obligationis non eae sunt quae passim a non nullis auctoribus invocantur, sed quae ex practica legis interpretatione decursu saeculorum firmata, eruuntur.

ULPIANUS LOPEZ, S. I.

(36) A. A. S. (1933) XXIV, 14. Cf. P. Fábregas - *De Iubilaeo*, « Ex Periodica », 1933.

De facultate concessa infirmis ex can. 858, § 2.

Summarium: I. Utrum facultas interpretandi authentice praescriptum can. 858 § 2 spectet ad Pontificiam Commissionem Codicis, an potius ad aliquam S. Congregationem; — II. Utrum praescriptum citati can. 858, § 2 sit late, an stricte interpretandum; — III. Num mensis, de quo in can. 858, § 2, sit moraliter sumendus, an potius mathematice; — IV. An requiratur infirmitas gravis; — V. An necesse sit ut infirmus ieiunium naturale servare nequeat; — VI. Quot, igitur, et quaenam conditiones postulantur, ut fiat locus praescripto can. 858, § 2; — VII. A quanam S. Congregatione et quomodo petenda dispensatio super ieiunio eucharistico.

I.

Utrum facultas interpretandi authentice praescriptum can. 858, § 2 spectet ad Pontificiam Commissionem Codicis, an potius ad aliquam S. Congregationem.

1. Can. 858, § 2 statuit: « Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint ». Agitur de peculiari favore, qui primum a Pio X aegrotantibus concessus fuit per Decretum S. Congregationis Concilii diei 7 dec. 1906.

2. Quidam etiam recentissime docuerunt *authenticam* interpretationem praefati can. 858, § 2 competere S. Congregationi de Sacramentis. Quae doctrina, nisi congruae et accuratae distinctiones fiant, non solum minus recta, sed plane erronea est. Sane interpretatio, ad normam can. 17, datur vel per modum legis

vel per modum sententiae iudicialis seu decisionis aut rescripti.

Interpretatio *authentica per modum legis*, quae « eandem vim habet ac lex ipsa » (can. 17, § 2), attento BENEDICTI XV Motu proprio « *Cum iuris canonici* », 15 sept. 1917, ubi agitur de canonibus in Codice contentis, pertinet *exclusivo iure* ad Pontificiam Commissionem Codicis, praedicto Motu proprio institutam. In eo sane decernitur : « Consilium seu *Commissionem*, uti vocant, constituimus, *cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi*, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea Congregatione cuius propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur ». Igitur certum atque indubitatum est, interpretationem canonum *authenticam* uni competere Pontificiae Codicis Commissioni.

3. S. *Congregatio de Sacramentis*, ut aliae Congregationes pro suis respective rebus, potest concedere dispensationem super lege ieiunii eucharistici ad normam can. 249, atque interpretationem per modum rescripti dare, necnon opportunas ferre de hac re instructiones. Sed neminem latet maximum haberi discrimen inter interpretationem *authenticam*, quae vim legis obtinet, et interpretationem per modum rescripti vel sententiae iudicialis aut decisionis latam : ea quippe obligat omnes, haec per se nonnisi partes ligat ac res afficit pro quibus data est (can. 17, § 3).

Ceterum, eadem potestas dispensandi super lege ieiunii eucharistici quae competit S. Congregationi de Sacramentis pro fidelibus et clericis communicantibus, competit quoque S. Congregationi de Religiosis, ad normam can. 251, ubi agitur de religiosis atque de iis qui, quamvis sine votis, in communi tamen vivunt more religiosorum.

Eadem facultas, pro fidelibus orientalibus, spectat ad S. Congregationem pro Ecclesia orientali, et pro

sacerdotibus litantibus ad S. Congregationem S. Officii.

4. Itaque assertio eorum, qui dicunt ius *authentice* interpretandi praescriptum can. 858, § 2, competere S. Congregationi de Sacramentis, plane erronea est, utpote quae expressis atque disertis verbis BENEDICTI XV Mot. propr. « *Cum iuris canonici* » adversetur.

II.

Utrum praescriptum citati can. 858, § 2 sit late, an stricte interpretandum?

1. Hoc praescriptum plura continet, v. g. conditiones requisitas ut infirmi frui valeant favore benigne iisdem concesso a R. Pontifice, quid aegrotantes sumere possint ante Communionem scil. « aliquam medicinam vel aliquid per modum potus », etc. Idem praescriptum, proinde, considerari potest ac revera considerandum est sub variis respectibus.

Sub uno aliove respectu, ex. gr. quod attinet ad verba « *semel aut bis in hebdomada* », item ad verba « *etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea* (infirmi) *sumpserint* », procul dubio stricte interpretandum est, seu applicandum principium: *verba clara non indigent interpretatione.* Dum e contra, quoad cetera, nimirum quatenus praescriptum can. 858, § 2 continet *favorem* aegrotantibus benigne concessum ab Ecclesia, late interpretandum est, cauto quidem, ut per se patet, ne abusus aliave incommoda habeantur. Huc profecto spectat notissimum iuris axioma: « *Favores sunt ampliandi; odia restringenda* ».

2. Imo, cum agatur de peculiari solatio eoque maximi momenti afferendo infirmis decumbentibus, illud axioma speciali omnino ratione urgendum videtur.

Abusus et incommoda etiam quoad alios favores ceteraque privilegia verificari possunt; at nihilominus praefatum iuris adagium omnem vim atque efficaciam semper obtinet, scil.: « *Favores sunt ampliandi* ».

Ceterum, si res iuridice ac theologice penitius consideretur, dicendum, abusus, servatis servandis nec proxime nec directe nec per se, sed forte solum *remote,* ac *indirecte* et *per accidens* oriri: id autem in casu attendendum non esse, secundum normas communiter traditas tum a theologis tum a canonistis.

3. Maxima facilitas qua hodie, aliter ac olim, conceditur dispensatio super lege ieiunii eucharistici id manifesto confirmat. Antiquitus numquam aut fere numquam eiusmodi dispensatio concedebatur. Hodie, contra, iusta exsistente causa, praedicta dispensatio cuilibet petenti conceditur, etiam sine litteris commendatitiis Ordinarii; nec semper, v. g. in Urbe, exsecutio rescripti S. Congregationis de Sacramentis remittitur eidem Ordinario.

Haec omnia luculenter ostendunt, quaenam sit mens et voluntas piae Matris Ecclesiae, quae infirmos decumbentes divino solatio provide benigneque recreare curat.

Quo iure ac titulo nonnulli huiusmodi favorem aegrotantibus concessum ab iisque tam ardenter exquisitum, praesertim ab iis qui sani quotidie aut frequenter divinis epulis refici solent, coarctare et restringere satagant, prorsus nescimus.

III.

Num mensis, de quo in can. 858, § 2, sit moraliter sumendus, an potius mathematice.

1. Pontificia Commissio Codicis die 24 nov. 1927, proposito dubio: « *Utrum mensis, de quo in can. 858, § 2, mathematice sumendus sit, an potius moraliter* », respondit: « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam ».

Hoc responsum ipsi retulimus in fine vol. I. *De Sacramentis* ad « Addenda et corrigenda » et deinceps

in textu ad n. 506. Nihil refert quod responsum istud promulgatum non fuerit per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali.* Nam interpretatio, quae verba legis in se *certa* declaret, promulgatione non indiget et valet retrorsum; dum non retrotrahitur et promulgari debet ea interpretatio, quae legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet. Ita expresse statuit can. 17, § 2.

2. Ea interpretatio, quae legem vel actu impossibilem, aut valde difficilem practice, aut maxime molestam, vel menti ac spiritui Ecclesiae manifeste contrariam reddat, a priori reiicienda est. Porro eiusmodi videtur interpretatio, quae cogeret ad accipiendum *mathematice* mensem de quo in can. 858, § 2.

Sane: 1° Si mensis sumendus foret *mathematice,* ut quidam opinantur, non solum dies, sed etiam horae, imo ipsa quoque *minuta* essent necessario attendenda. Id autem in casibus *ordinarie* et *communiter* contingentibus vix aut ne vix quidem fieri potest. Nam momentum praecise quo infirmus *qua talis* (nota verbum) decumbere dicendus sit, solum in aliquo casu peculiari et extraordinario, v. g. in casu vulneris seu infortunii, cognosci potest. Terminus *a quo,* inquam, vix unquam in casibus ordinarie et communiter contingentibus *mathematice* dignosci ac praefiniri potest. Porro lex sumenda ac interpretanda est iuxta ea quae *ordinarie* et *communiter* contingunt, ut evidenter liquet ex eiusdem fine.

Huc spectant quae fuse ipsi exponimus in *Teologia pastorale* (II, n. 158):

« Nella maggior parte dei casi non solo è difficile, ma assolutamente impossibile determinare *mathematice* il momento *a quo,* da cui si deve calcolare lo spazio del mese a norma del can. 858, § 2. Questo calcolo preciso e matematico si può avere soltanto quando trattasi di qualche infortunio, d'una caduta, d'una

ferita, ecc., e in altri casi consimili. A questo proposito si possono fare parecchie ipotesi, per chiarire la cosa.

« Tizio si sente indisposto. La sera prende una medicina, si corica tranquillo, deciso di alzarsi la mattina seguente all'ora consueta e riprendere le ordinarie occupazioni. Al mattino, invece, si sente stanco, depresso e sofferente. Rimane in letto e si chiama il medico. Questi dichiara che trattasi d'una leggerissima indisposizione. La sera l'ammalato è piuttosto grave; e in questo stato l'infermo rimane per settimane e settimane. Ora si domanda: *da quale momento si deve computare l'inizio del mese? dalla prima sera, oppure dalla mattina susseguente, ovvero dalla sera in cui si manifestò la gravità del male?*

« Parimente: Tizio, al mattino, si reca alle ordinarie occupazioni; durante il giorno sente un po' di malessere; si ritira in casa e si adagia sul divano. Durante la notte, il malessere cresce; il giorno seguente, la malattia si manifesta grave ed allarmante. Si chiede: *l'inizio del mese deve computarsi dal momento in cui Tizio si è ritirato in casa e si è adagiato sul divano, oppure dalla notte inoltrata quando il malessere crebbe? ovvero dal giorno seguente, quando la malattia fu riconosciuta grave dal medico?*

« Un altro caso: Tizia è madre di famiglia, e deve necessariamente attendere alle necessità della casa. Si sente male. Costretta dalle circostanze speciali della famiglia, non può mettersi a letto, e passa un giorno e due, alternando il lavoro al riposo, parte adagiata sul divano e parte intenta alle occupazioni più urgenti. Finalmente.... non potendosi più reggere in piedi, è costretta a mettersi definitivamente in letto. *Il mese,* di cui al can. 858, § 2, *quando deve ritenersi incominciato e quando finito?*

« *Questi casi sono ordinari, frequenti, anzi frequentissimi* ».

2° Si mensis *mathematice* sumendus esset, cum momentum *a quo* vix aut ne vix quidem omnimoda certitudine cognosci ac determinari queat, infirmus eiusque familia scrupulis et anxietatibus necessario exponerentur. Quod profecto est contra mentem et spiritum Ecclesiae, quae solari et adiuvare pro viribus curat materno affectu quotquot aerumnis et calamitatibus vexantur.

« Se fosse vero che il mese si dovesse prendere in senso *fisico* o *matematico,* e non già in senso morale, sarebbe praticamente aperta la via a mille scrupoli ed ansietà di coscienza. Ora è mai possibile che la Chiesa, che è madre di bontà e di misericordia e che vuole recare conforto e sollievo agli infermi, abbia fatto una legge e ne esiga l'osservanza in tal modo, da togliere la pace all'infermo e alla famiglia, dando occasione *ex ipsa rei natura* agli scrupoli ed alle angustie di spirito? No, certamente. *Affermare il contrario, sarebbe fare un torto gravissimo* » (CAPPELLO, *Teologia pastorale,* II, n. 159).

3. Vocabulum *mensis*, iuxta communem loquendi usum, non sumitur semper et necessario *mathematice,* sed potius et plerumque *moraliter,* praesertim cum agitur de temporis spatio e quo peculiares effectus iuridici nullatenus dependent, ut in casu. « Per es. se Tizio è assente o ammalato da 29 o 31 giorni, si dice che è ammalato o assente da un mese, appunto perchè il termine *mese* si prende, nel linguaggio ordinario e comune, in senso *morale,* e può significare tanto 29 giorni, quanto 31 o 32 » (CAPPELLO, l. c. n. 158).

4. Can. 858, § 2 refert verba Decreti « *Post editum* » S. Congregationis Concilii diei 7 dec. 1906. Canones autem « qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi (can. 6, 2°).

Porro, ante Codicem, utrum mensis *mathematice,* an *moraliter* sumendus esset; utrum dies *a quo* et dies *ad quem* supputandus foret, controvertebatur.

Ad rem egregius VAN HOVE ait: « Utrum mensis iuxta calendarium supputandus esset, an constaret triginta diebus, scriptores non conveniebant » (1).

Idem Auctor dicit: « Quidam opinati suot in certis materiis favorabilibus, tempus non physice, sed *moraliter* esse sumendum » (2).

Itaque etiam in iure antiquo ex quo can. 858, § 2 aestimandus est, mensis non semper et necessario physice seu mathematice accipiendus erat, sed interdum *moraliter,* praesertim in re favorabili. In casu nostro agitur praecise de huiusmodi re favorabili, ex benignissima Sanctae Matris Ecclesiae concessione aegrotantibus facta, cfr VERMEERSCH, *Periodica*, 1934, p. 62*, *Palestra del Clero,* 1934, p. 129 seq.

5. Sit igitur conclusio: perspectis fine legis Ecclesiaeque mente atque spiritu ad normam can. 18, attento iure antiquo ad normam can. 6, 2^0, ceterisque omnibus mature perpensis, dicendum mensem, de quo in can. 858, § 2, sumendum esse *moraliter,* non autem physice seu mathematice.

(continuatur) F. M. CAPPELLO, S. I.

De prudenti ratione indicandi sterilitatem physiologicam.

His nostris diebus, postquam anno 1929-30, duo medici, KNAUS, in Graz, et Ogino, in Niigata, Iaponiae, notum fecerunt fructum observationum suarum circa relativam foecunditatem vel sterilitatem mulieris, quibus

(1) *De consuetudine ac de temporis supputatione,* 1933, n. 273.

(2) Op. cit. n. 275. Cfr d'ANNIBALE, I, n. 39, not. 9; ANTONELLI, *De tempore legali,* lib. IV, cap. 1 s.

ambo affirmarunt esse tempus biologicum in quo mulier viri copula praegnans fieri nequit, quod tempus prorsus diversum est ab eo quod medicus CAPELLMANN (1) statuerat, seducti scientifica methodo istorum peritorum, multi in ephemeridibus sive scientificis medicorum, sive moralium theologorum practicis studiis destinatis, vel etiam separatis lucubrationibus et libris de tempore ageneseos et conexis moralibus quaestionibus agere coeperunt.

Medici in primis in diversas, sub initio, abierunt sententias. Alii (2) esse tempus huiusmodi negarunt, alii aliud tempus assignarunt, v. g. 1-4; 21-28 dies post coeptam ultimam menstruationem (3). Theologi morales novam methodum Ogino-Knaus exponere conati sunt. Ita, in *Studien,* 1931, R. P. HEYMEYER, S. I.: *Periodieke onthouding en Moraal; Katholiek Malthusianism? In nouvelle revue théologique*, 1931 R. P. HÜRTH, S. I. *De sterilitate physiologica* qui etiam germanice argumentum resumpsit in *Chrysologus*, sub titulo: *Der Wille zum Kind;* in *Collationes Tornacenses,* 1931, R. D. X. NASSAUX, *La période d'agénèse chez la femme;* in *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, R. P. BUIJS, C. SS. R., 1931, Periodieke onthouding.; in *Theol.-prakt. Quartalschrift* Linz, 1931, R. D. GROSAM: *Pastoraltheologische Einstellung zu den neusten Forschungen über « Fakultative » Sterilität;* et 1934, Dr HEILWECK: *Hat sich die Methode Smulders bewährt?* in *Ami du clergé*, 1931, *Le temps d'agénésie*, p. 193 ss.

---

(1) CAPELLMANN-BERGMANS feocunditatem existimaverant paucis diebus post fluxum menstruum et 16 dies post menstruum coeptam (LEHMKUHL II, 1076). OGINO-KNAUS demonstrarumt normaliter copulam fertilem haberi inter diem 19-12, vel per modum exceptionis 24-12, computando (retrogradiendo) ab initio menstruationis proxime sequentis. Cfr HÜRTH, *Nouv Rev. théol.* 1931.

(2) V. G. Professor MAYER: *Erlaubte Geburtenbeschränkung? Ernste Bedenken gegen die natürliche Methode der Empfängnis-Verhütung,* 1932, Paderborn.

(3) V. G. SIEGEL, P. W. *Wann ist der Beischlaf Befruchtend. Deutsche med. Wschr,* 1915. Is scripsit pluries etiam anno 1917. 1919.

Qui autem medici facta et legem OGINO-KNAUS improbarunt, postea plures, factis observationibus, ad eorum doctrinam accesserunt. Ita Dr ALBRECHT in festivo fasciculo ephemeridis *Münchener Medizinische Wochenschrift*, 27 Oct. 1933, ubi rettulit de ista quaestione, concedit « legem biologicam ut talem hodie constare, ipsumque cessasse a sua oppositione in ista re ». Ipse KNAUS, *Die periodische Fruchtbarkeit des Weibes* (1), plenam affert demonstrationem methodi. Dr GEORG, professor Pragensis, opusculum scripsit *Eheleben und natürliche Geburten-Regelung. Ein Weg aus der Ehenot* (2). Clare indicat varios cyclos menstruationum, ac rem ipsam nobili studio et lingua versat. Dr LATZ, professor in Chicagiensi Universitate, S. I. scripsit anno 1932, *The rhythm of sterility and Fertility in women.* Maximam celebritatem obtinuit opus pluries excusum Dr SMULDERS, *Periodieke onthouding in het huwelijk*, *Methode* OGINO-SMULDERS, cui cooperatus est Dr HOLT. Supplementum morale Theologicum habuit a R. P. HEYMEYER, S. I. (3). Editioni gallicae accessit lucubratio Prf. Lovaniensis, DE GUCHTENEERE : *L'index de fécondité au cours du cycle mensuel.* — Pro fine pastorali PETERMANN conscripsit *Naturtreue Ehe. Ein Ausweg aus ihrer Gewissensnot* (4) Opusculum est simul apologeticum, in quo exaltat pretium filii, denuntiat abominationem peccatorum contra matrimonium, et ostendit nova methodo nullam significari abruptionem cum praxi hactenus vigenti, eamque nullatenus servire concupiscentiae, dum mere in profunda necessitate auxilio esse vult : in eum finem et hac ratione semper consideratam esse ut licitam.

---

(1) Vindobonae, 1934.
(2) Prag, 1933 ; ed. 3, aug. 1934.
(3) Nijmegen-Utrecht, 1933, ed. 1.
(4) Mainz-Regensburg.

Inde concludimus systema quod tuetur SMULDERS, omnem fiduciam mereri quae legi physiologicae convenire potest (ita Dr DE GUCHTENEERE). Eam moraliter certam esse dicere possumus. Accidentales tamen exceptiones accidere possunt.

II. Obiectiva moralitas usus matrimonii circumscripti tempore ageneseos.

1. Si alteruter coniugum aut uterque ita matrimonium contrahere voluerint ut ius ad copulam non daretur nisi tempore ageneseos, fecerint matrimonium nullum. Substantiale enim est ut uterque coniux ex contractu hauriat ius perpetuum et continuum ad copulam.

2. Conventio autem qua, illaeso iure essentiali, usum limitarint ad tempus sterilitatis cum vera matrimonii natura stare potest. Atque limitationem ita factam esse supponimus.

3. Limitatio huiusmodi imponit continentiam per dies foecundos. Quare, si nimium oriatur periculum incontinentiae, deberet, qui non se continet, aliis diebus uti matrimonio ne peccaret contra castitatem.

Nec limitatio admitti potest nisi quae fiat *vero consensu* utriusque.

4. De se limitatio ad dies ageneseos est obiective indifferens. Diximus *de se*, quia excludimus circumstantias quae aliis diebus obligarent ad copulam; ut si commune patriae bonum postularit heredem, vel pax inter familias idem poposcerit.

5. Neque praxis ista in reprehensionem cadit artis neomalthusianae. Namque etsi etiam prolem diminuat vel supprimat, id non fit violando ordinem naturalem in usu matrimonii, quae est ratio damnationis

neomalthusianismi : copula fit ut semper, sed fit quando ex ordine statuto a Deo nequit esse foecunda.

Sterilitas, ut talis, peccatum non constituit, sed sterilitas inducta per usum quo corrumpitur positive ordo ad generationem. Praeterea, id addas, in usu neomalthusiano, nulla exigitur continentia, dum limitando usum certis diebus, necessario exigitur continentia aliis diebus.

6. Multiplicationi generis humani satis provisum est, ut hodie non praecipiatur ut ei opera detur. Atque etiam si ex nova methodo numerus hominum minueretur, quid obligat ad servandum numerum populi ? (1)

7. Intentio limitandi usum matrimonii iis diebus, ne *sequatur proles,* non mutat obiectum, quod manet honestum. Nec dici potest, frustratio finis primarii matrimonii reddit istud illicitum. Sane frustratio *positiva* per actum innaturalem constitueret culpam gravissimam, odiosissimam contra naturam ; sed frustratio negativa, quae mere dicit finem non esse obtentum, manet indifferens, et potest esse optima, ut si, secundum consilium S. Pauli, 1 Cor. 6, velint abstinere usu ad vacandum orationi.

Errant profecto anglicani bonae voluntatis, qui putant exsistere pro singulis coniugatis positivam obligationem procreandi (2). Hoc nullo argumento demonstratur. Neque honestas ista corrumpitur, quia ista methodus fiat habitualis. Semper iisdem terminis honestis abstinentia continetur. Non corrumperetur nisi esset obligatio positiva procreandi. Cfr HÜRTH, *De sterilitate physiologica*, p. 688. 689. Verum quidem est, finis operantis non est finis operis primarius, sed

(1) Cfr SCHMITT, S. I. *Periodische Enthaltsamkeit Zeischrift für katholische Theologie,* 1932, p. 421. - HÜRTH, *De sterilitate physiologica, N. R. Theol.* 1931, p. 687.

(2) Cfr v. g. opusculum *The Question of contraceptives* by H. L. GOUDGE D.D. Regius Professor of Divinity in Oxford. Londini *League of National Life,* 1931.

sunt honesti fines secundarii, amoris mutui fovendi, sedandi concupiscentiam. Immo communitas totius vitae, ait Enc. *Casti Connubii,* potest, sub aliquo respectu, cum *Catechismo Romano,* haberi ut causa et prima ratio matrimonii (1).

Sin aliter, non posset honeste contrahi matrimonium in aetate in qua non habetur spes matrimonii.

Hactenus de moralitate limitationis, attento primo fonte, seu obiecto. Sed duplex alius fons subiective est considerandus: *finis* et *circumstantiae.*

Finis vitiare potest actionem quae obiective esset optima, v. g. eleemosynam. Qui ergo limitarint usum matrimonii nimio amore vitae commodae, contemptu prolis, despectu destinationis matrimonii, peccarint istis motivis; sed hoc independenter ab obiecto actionis suae. Peccata ista possunt esse levia, vel gravia, attenta gravitate affectus contrarii ordini stabilito a Deo; sed erunt peccata mentis vel oris, quae rem ipsam non afficiunt.

In quibusdam circumstantiis etiam peccari potest, neglecta obligatione positiva consulendi patriae, vitandi scandali, etc.

III. **De prudenti revelatione istius methodi.**

Qui primi, praesertim medici, de ista methodo scripserunt, simul satis ei favebant ut medio impediendi gravia mala, et succurrendi necessitati gravissimae quae aliter premebat plures coniuges observandi perfectam continentiam, vel exponendi uxorem malis gravissimis, et ipsi morti. Dum nunc, ope istius methodi, praeceptum Domini fit magis humanum. Atque hac ratione res proposita est maxime in Hollandia, in Austria et in Germanicis regionibus.

---

(1) In prima parte Enc. ubi agit de fide coniugali, seu altero bono matrimonii.

Ab initio tamen, fuerunt qui contradicerent. Ita in Neerlandia, prodiit opusculum R. P. van MIERLO, qui contendebat praxim istam, si non excusaretur proportionata ratione, esse de se mortali peccato damnandam. Quod tamen fuit communiter reiectum. Ephemerides theologicae, ut rem prudenter proponerent, praesertim in Belgio, temperate tantum usum permiserunt. Ita *Collationes Tornacenses,* 1930-31, ubi R. D. X. NASSAUX systema fusius explicavit, articulum concludit: « Nous ne pouvons trop y insister; les vues imposées sur la continence périodique, ne trouvent leur équilibre que replacées dans une doctrine complète du mariage, où la fécondité généreuse est à l'honneur... Seul le mariage fécond repond aux voeux de la nature: l'enfant, les enfants sont la « bénédiction du foyer », à tout point de vue, biologique, psychologique, social, moral et religieux ».

Prof. CLAEYS BOÚÚAERT, in *Collat. Gandavensibus,* breviter denuntiat duplicem abusum qui facile consequitur: « Si late diffunderetur praxis nonne tunc auctoritative limites ponendi essent novo isti medio finem a Creatore volitum effectu suo frustrandi ».

Apud coniuges, in normalibus adiunctis versantes, « necessarie oriretur dispositio qua implicite et aequivalenter Dei ordinationem parvipendant seu despiciant. ... « Quare praecipites in larvatum materialismum et finis supernaturalis despectum ruent ... Ad confessarios et sacerdotes regulariter non pertinebit praxim istam commendare vel immo notam facere ».

In *Revue ecclésiastique de Liège,* R. D. KISSELSTEIN. anno 1933, ita concludit: « In omni casu, haec doctrina non praebet nisi quandam probabilitatem... Electio studiosa istius temporis, sine gravi ratione, est malus egoismus; pietas erga patriam postulat prolem; addas scandali rationem, quia externe videntur favere vitio. Absentia prolis quae necessaria est paci familiae; continentia

temporanea, provocant saepe nervorum acerbitatem; intima unio coniugum detrimentum patitur; copula non est ista bona quae ex amore inducitur, quasi eius perfecta expressio et fructus.

Si autem electio ratione legitima excusatur, tunc incommoda minuuntur; tunc prodit voluntatem fortem una cum conscientia servatae honestatis; coniuges magis ipso mutuo sacrificio uniuntur, et conscientia observatae legis moralis.

Collationes Namurcenses, 1933, agnoscunt esse posse legitimam causam; et incommoda relativae continentiae large compensari beneficiis speratis: « sanitate uxoris infirmae; educatione prolis iam numerosioris »; sed, addunt, saepe tot ac tanta nocumenta affert corpori, animae coniugum, tum pro singulis tum pro communitate christiana, ut ista methodus non sit consulenda sed potius reprobanda. Ita R. D. Ranwez.

Haud absimilia reperiuntur in brevi relatione R. D. V. Coucke, 1933, *Collationes Brugenses,* ubi refert observationes R. D. Claeys Boúúaert et remittit ad alios articulos, v. g. ad *Ami du Clergé.* Ista ephemeris exponit responsum S. Paenitentiariae: « Posse confessarium sententiam de qua agitur illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit ». Ac re vera ephemeris ista, 1931, p. 133 ss. non considerat nisi medium imminuendi istud nefandum vitium.

Collectanea Mechliniensia rem selentio premunt.

Recens autem, in Hollandia, praesertim, adversarii methodi vocem magis clamorosam attollere coeperunt. Ita ad quemdam Episcopum scribebat sacerdos Americanus: « May I presume to call your attention to that infamous campaign that hat been launched all over the country in the name of orthodoxy?. I refer to the broadcasting dissemination and public teaching of the heresy of the empty cradle or spacing on the sterile

Period... Has the Church in America become apostatate aud a hater of children? Antichrist in the Church is the true and full causa of our failures and losses ». Haec, 29 mart. 1934, scripta sunt occasione opusculi prf. LATZ in Chicago, quod approbatum fuit in libello periodico *America* et cuius 35.000 exemplaria intra quinque menses diffusa sunt. Multo magis temperate R. P. SALSMANS, S. I. in *Ephem. Theol. Lovanienses* « *Sterilitas facultativa licita?* » In suo articulo, dubitat sitne grave perpetuo velle differre in tempus ageneseos usum coniugii. Simul tamen concludit « Quae in sensum severum scripsimus non impediunt quominus *privatim* in tribunali Paenitentiae, confessarius prudenter et « caute insinuet » continentiam periodicam, vel tamquam minus malum onanistis secus obstinatis, vel tamquam inculpabilem iis coniugibus qui ad hanc grave motivum habent, imposito silentio, quantum fieri potest » (P. 560 l. c.).

Iam de re quid sentiendum sit breviter dicamus. *Commoda* revelatae methodi haec circumferuntur.

1. Valida impugnatio artium neomalthusianarum. Spes est, proposito usu reservato, diminuendi istud horribile vitium. Hoc praecipue affertur in Germania. Ne tamen nimis fidatur efficaciae istius consilii. Remedium istud esse poterit efficax apud coniuges qui inviti exercent artes neomalthusianas, velintque componere res conscientiae suae. Sed apud homines parum religiosos et immersos in materialismo, consilia ista despicientur. Obiciunt praeterea maiorem violentiam passionum post interruptionem. Allatum tamen Responsum S. Paenitentiariae hunc solum casum debellandi onanismi contemplabatur.

2. Hac ratione possunt coniuges *rationabili numero filiorum* esse contenti sine peccato. Utique, dummodo ne nimis velint limitare prolem.

3. Matri, cui ex partu imminet mors vel gravis-

simum damnum, praebet effugium. Attamen incertitudo effectus, possibilis exceptio creabit anxietatem. Copula autem in his adiunctis, non erit optanda ista copula quae procedit ex amore, illumque significat, ita ut magis artum efficiat vinculum coniugum, sed erit satisfactio facta concupiscentiae viri, cui uxor aegre assentietur.

Incommoda propagatae methodi. Timendum est ne Ecclesia catholica videatur habere suum modum suadendi sterilitatem contrariam primario fini matrimonii, praesertim cum vulgo maiorem ad effectum quam ad rationem qua effectus obtinetur attentionem praebere soleant.

Praeterea, hodie, si passim diffundatur ista methodus, nimis minuetur numerus nativitatum, quod bono communi hominum et peculiari civitatum valde adversabitur.

Quare practice:

1. Cum obstinatis onanistis poterit, ut respondit S. Paenitentiaria, *caute et prudenter* insinuari istud minus malum, nulla ratione istud commendando, sed quasi invitus permittendo. *Caute* et *prudenter*. Ac proin nihil promittendo vel affirmando ut certum.

2. Methodus non videtur separatim revelanda sed in tractatu de bonis matrimonii in quo felicitas matrimonii christiani et numerosae prolis exaltabitur, indicetur modus quo divina Providentia iis qui sine propria voluntate coguntur moderari prolem, succurrit ut sine nimia difficultate honestatem coniugalem servare queant.

3. Ubi re vera uxori nimis timendus sit partus, methodus non potest suaderi potius quam simplex continentia, nisi expertus medicus, progrediente arte, securitatem absentis omnis periculi dare possit ex copula definito tempore facta. Ac monent medicum semper adeundum esse, ut certiorem reddat applicationem methodi.

Haec autem non facile praestabunt nisi qui vere voluere matrimonium facere christianum, ex amore vero, qui terminatur denique tandem in Christo.

N. B. 1. Observes methodo OGINO-KNAUS indicari quoque dies foecunditatis magis probabilis.

2. Diebus sterilitatis mater est minus physice disposita ad semen recipiendum.

A. VERMEERSCH, S. I.

QUAESITA VARIA

De canone 523

Canon iste permittit religiosis Sororibus vel Monialibus, ut, cum graviter aegrotant, licet periculum mortis absit, arcessant quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum... eique, perdurante gravi infirmitate, quotiens voluerint confiteantur.

Quaeritur a quonam Antistite debeant sacerdotes esse approbati: utrum ab Ordinario loci ubi fit confessio, an a quolibet Antistite loci?

Resp. Communis opinio exigit approbationem Ordinarii loci confessionum. Generalis est regula ut ab Ordinario loci confessionis conferatur iurisdictio.

Si res aliter intellegeretur, introducerentur mirae exceptiones sine necessitate. In periculo mortis quidem canon 882 providet necessitati quae nullatenus in nostro casu occurrit. Verba « Quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum » naturaliter indicant approbationem profectam ab Ordinario loci confessionis. Nihil insinuat exceptionem a lege tam generali.

Pro benigniori sententia, est tamen qui has rationes afferat.

I. In can. 522, confessarius approbatus in dioecesi pro mulieribus audire potest religiosam in loco ad confessiones approbato. Id potest etiam si religiosa est aegrota leviter, atque, fortiore ratione, si graviter aegrotat. Canon iste sufficeret, nisi can. 523 aliquid adderet, statuendo a quolibet Ordinario loci approbationem sufficere posse.

Respondemus tamen, in can. 522 sermonem esse de confessione quae fiat per occasionem, raro, propter conscientiae tranquillitatem; ac confessio ista conciliari debet cum Constitutionibus quae confessionem « statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios » (can. 519), dum in can. 523 explicite conceditur ut, « perdurante gravi infirmitate » religiosa confiteatur quotiens voluerit.

II. In can. 523 non usurpatur vox *confessarius* sicut in can. 522. Ergo designatur vir qui non est habitualis confessarius ibi; ergo sacerdos etiam extraneus.

Resp. Conc. antecedens. Ad *consequens:* designatur sacerdos qui non est necessario confessarius Sororum, *conc.* qui non est approbatus in dioecesi, *nego.* Eo quod can. 876, § 1, exigit peculiarem iurisdictionem ad audiendas religiosas, iam explicatur cur Codex abstineat voce Confessarii ad designandum sacerdotem qui religiosas in casu speciali can. 523 audire potest.

III. In can. 522 explicite mentio fit Ordinarii *loci*, dum mentio tacetur in can. 523.

Resp. Necessitas approbationis pro mulieribus satis requirit approbationem Ordinarii loci ubi fit confessio.

IV. In can. 523 iurisdictio datur non ab Episcopo sed a S. Sede; haec nullo territorio circumscribitur.

Resp. Negatur antecedens. A S. Sede mere extenditur ad aegrotas facultas audiendi mulieres, quae data est ab Episcopo loci.

De abortu foetus immaturi

Abrupta placenta, sive ex toto sive ex parte, plures medici semper et statim abortum provocant, quia, ut ipsi aiunt, foetus iam vivere non potest, matri autem periculum vitae creat, tum propter hemorragiam consequentem, tum propter timendam febrim puerperalem. Addas etiam baptismum sic certius ministrari ante foetus mortem.

Num medici ita agere possunt?

Resp. Distinguenda est abruptio *completa* et abruptio *partialis*. Post abruptionem partialem fit interdum ut foetus usque ad maturitatem adducatur et nascatur vivens, saepe cum aliquo vitio corporali seu deficiente valetudine. Quaestio igitur hanc formam induit: Licetne directa actione occidere hominem constitutum in gravi periculo, in quo plerique moriuntur? Id numquam fas est. Propter nullum bonum possumus actione directa accelerare mortem morientis, vel certam reddere mortem quae non est nisi probabilissima.

Quare, quamdiu placenta non est ex toto separata, negativum cogimur dare responsum.

Si autem placenta est tota separata, mors foetus est certa et imminens; condicio eius non fit peior sive sit in matris corpore sive sit extra tantum; sed extra corpus baptismus longe facilius confertur certus. Ergo, abrupta placenta ex toto praxis medicorum est suadenda.

Quamvis, in priore hypothesi obiective illicita sit actio medici abortum provocantis, quaestio moveri potest utrum de illiceitate medicus sit monendus, an possimus rem silentio tegere. Quod fieri potest, *a*) si moraliter certa est mors imminens foetus; *b*) si dilatio actionis matri esse possit exitialis; *c*) si baptismus prolis fit certior.

De vini quod in consecratione valide et licite adhiberi potest.

Praenotanda. - 1. Vinum est liquor alcoholicus, obtentus fermentatione suci uvarum. Quare, ut habeatur vinum, necesse est ut liquor fuerit fermentatus. Sed minima fermentatio sufficit ad valorem, non tamen ad liceitatem consecrationis (cfr de defectibus in celebratione missarum occurrentibus, tit. IV, n. 2).

2. Calefaciendo mustum occidi possunt fermenta, et impediri proin conversio sacchari in alcoholum. Mustum tunc dicitur enecatum ; et ineptum ad consecrationem.

3. Potest tamen reviviscere, quaerendo alibi fermenta, sive sumendo fermenta ex aliis uvis, sive miscendo mustum enecatum cum musto naturali.

4. Enecatur autem mustum supponendo istud igni, sive immediate, sive mediante aqua, secundum processum dictum « Bain Marie ».

Quaestiones. I. Potestne adhiberi, ad consecrationem, mustum quod reviviscit, ope fermentorum alibi quaesitorum?

Resp. Affirmative. Species fermenti non mutat substantiam vini. Ergo plane licite adhibetur. Parvi refert fermenta pertinere ad ipsum mustum vel esse assumpta ex aliis uvis.

II. Licetne uti in Missa vino confecto ex musto enecato et musto naturali?

Sane, mustum enecatum esset materia inepta. Sed quando miscetur cum musto naturali, totum poterit simul subiacere fermentationi. Quare materia ista non videtur illicita. Profecto vinum istud erit magis dulce, quia excitatio fermentorum erit minor. Sed dum habeatur fermentatio, nihil desideratur essentiale. Nihil

extraneum additur; nihil essentiale tollitur. Ceterum, quando vinum conficitur cum uvis passis, mustum est magis condensatum. Ceterum in Hispania tale vinum adhibetur in missa.

III. Estne aeque licitum, supponere mustum directe igni, vel adhibere sic dictum « Bain Marie » ?

Resp. Si ignis directus est valde temperatus, ita ut periculum absit alterationis quae gustum mutaret, etiam ignis directus admitti potest.

Sed per se praeferendus est processus Bain Marie.

Cfr De hac re, lucubrationem R. P. PAUWELS, in *Per.* VI, p. 57 ss. et lucubrationem R. P. BROUILLARD, *Nouv. Revue Théologique,* 1935, mense ianuario.

De absolutione censurae specialissime reservata

Species facti. Titius confessarius, ignorans reservationem specialissime reservatam qua afficiebatur censura in quam paenitens inciderat, eum sine ullo imposito onere recurrendi absolvit. Quod tamen non potuit valide facere. Censura enim specialissime reservata excipitur in can. 2247 § 3, a regula qua valere dicitur absolutio censurae data a confessario qui censuram ignorabat.

Sed paenitens, existimans se rite absolutione donatum, numquam hunc casum in alia confessione memorat. Quomodo censurae absolutionem consequetur? Censura enim tantum *directe* remittitur.

Resp. Si nulla circumstantia paenitentem per vitam antea liberaverit, is morietur censuratus. Sed post mortem pertinet ad Ecclesiam ubi censurae non iam sunt efficaces. Ergo, dummodo bene mortuus sit, nullum de non absoluta efficaciter censura incommodum

experietur. De actibus autem quos invalide fecerit paenitens in sacris, Ecclesia iurisdictionem supplevit.

De vi consuetudinis immemorabilis.

Species facti. In dioecesi N. Sacerdotes consuetudine immemorabili obligantur ad addendum, in fine missae, post recitatas preces praescriptas a Leone XIII et Pio X, unum *De Profundis,* pro animabus purgatorii.

Quaeritur iam I. Utrum consuetudo vim suam servaverit post Codicem, qui, can. 818, quasvis contrarias rubricis consuetudines repudiat, an res sit arbitrio Episcopi permissa?

Resp. In can. 818, rubricae intellegendae sunt stricte de modo litandi per Missam, seu de rubricis durante sacrificio. Quod statim demonstratur verbis quibus canon iste concluditur. Sacerdos enim ibi cavere « iubetur ne alias caerimonias vel preces proprio arbitrio adiungat ». Ipse canon igitur supponit esse auctoritatem quae praecipere potest preces dicendas. Auctoritas autem ista est Episcopus. Quid ceterum magis consuetum quam ut Ordinarius, in adiunctis quibusdam gratiae obtinendae, vel arcendae calamitatis, aliquot preces in fine Missae addendas praecipiat?

Sed Episcopus dioecesanus consuetudinem immemorabilem non totam admisit. Voluit enim ut quibusdam diebus in quibus functiones fiunt in ecclesia, preces pro defunctis omittantur. Iam vero, in can. 5, Codex permittit quidem ut Ordinarii tolerent consuetudines centenarias et immemorabiles, si, pro locorum ac personarum adiunctis, existiment eas « prudenter submovere non posse », sed nullam confert facultatem eas temperandi vel moderandi. Episcopi eas tolerant vel supprimunt; tertia autem optio ipsis nulla datur.

Resp. Declaratio facta ab Antistite substantialiter intactam esse sinit consuetudinem; manet principium:

singulis diebus recitabitur *De Profundis*. Quod autem diebus quibus obstare videtur alia caerimonia, non recitetur, hoc principium minime mutat, sed est modus rationabilis consuetudinem observandi. Id igitur potest Episcopus. Non submovet qui mere ordinat rem.

A. VERMEERSCH, S. I.

Solutio casus propositi pag. 208*

In Codice Iuris Canonici, pro celebratione matrimonii admissum est principium competentiae territorialis, ita ut Ordinarius vel parochus loci intra territorii sui fines semper valide assistat, quamvis sponsi non sint eius subditi, neque menstruam habeant commorationem.

Ad liceitatem formalitates quaedam requiruntur. Extra sui territorii fines, Ordinarius vel parochus *invalide* assistunt quamvis sponsus et sponsa sint subditi Ordinarii vel parochi.

Ubi parochus proprium territorium non habet sed cumulative cum alio vel aliis territorium retinet, singuli in toto territorio valide assistunt, ut devenire potest in casu fidelium diversi ritus vel diversae linguae pro quibus specialis habeatur parochus. Hoc principio potestatis territorialis non infirmantur peculiares dispositiones quae vigent pro cappellanis militum vel pro paroeciis personalibus.

In casu allato, cum parochus, quem supponimus *latini* ritus, matrimonium celebraverit extra fines suae paroeciae, *invalide* egit (can. 1059 § 1 n. 2).

Tamen possumus quaerere utrum matrimonium habere possit uti validum ex aliquo alio capite, scil. ex errore communi vel ex dubio facti, quibus in casibus, certo iurisdictio suppletur ab Ecclesia, iuxta can. 209.

Quamvis assistentia matrimonio non sit actus iurisdictionis, nihilominus maximam habet analogiam cum iurisdictione ita ut quae in can. 209 statuta sunt, assistentiae matrimonio applicanda sint. In casu allato, si parochus talia matrimonia solebat celebrare in alieno territorio sicut ante Codicem ei permissum erat; et ad hoc influit etiam exercitium talis potestatis ex parte parochi ritus Orientalis qui legislatione Codicis non ligatur (1), tunc matrimonium certo est validum. In populo habetur quaedam persuasio quod potestas parochorum catholicorum diversi ritus eadem sit, cum parochi sit administrare sacramenta propriis fidelibus, et in hoc communi errore est etiam parochus latinus et fortasse alii clerici qui Codici non studuerunt. In casu habetur error communis populi et cleri, et Ecclesia certo supplet iurisdictionem. Praeter errorem communem possumus etiam considerare casum «dubii iuris vel facti» in quo Ecclesia supplet iurisdictionem. Classici auctores quaedam exempla afferunt in quibus agitur de vera ignorantia legis ut v. g. in eo qui non recordatur an aliqua censura vel peccatum sit reservatum pro quibus facultatem non habet, vel in eo qui non recordatur certum tempus datae sibi facultatis atque adeo dubius haeret an illud iam elapsum sit. Cfr SUAREZ, *De Paenit.* disp. 26 sect. 6, n. 1; LUGO, *De Paenit.* disp. 19; BALLERINI-PALMIERI, V, n. 314. Si in istis casibus dubii Ecclesia supplet, non videtur cur negandum sit quando parochus bona fide agens, neque dubitat sed est certus de sua potestate et ceterum habet aliquod argumentum positivum scil. quod iurisdictio adhaeret ossibus et ut ei conceditur facultas audiendi confessiones suorum subditorum ubique terrarum, ita bona fide putat de assistentia matrimonio. His de causis et salvo meliori iudicio, mihi videtur in casu standum esse pro validitate matrimonii.

(1) Is proin, procul dubio valide celebrasset matrimonium.

Ad vitandos scrupulos et anxietates parochus ad plenam certitudinem sibi comparandam bene faciet si curet renovationem consensus cum testibus privatim et remoto scandalo.

Ad alia quae dicuntur in casu, scil. utrum dispensatio a bannis data ab Ordinario latino et benedictio data sponsis sint tales ut invalidum matrimonium validum reddant, negative respondendum est, sive ob defectum voluntatis in ministro qui per dispensationem a bannis vel per benedictionem non intendit positive matrimonium celebrare, sive ob defectum formalitatum, cum ius positivum ad validitatem requirat ut legitimus minister exquirat recipiatque contrahentium consensum, et hae formalitates in casu omissae sint.

Io. Lo Grasso, S. I.

Casus de testamento

Petrus antequam aegrotaret, testamentum fecit in favorem sui nepotis Francisci, qui aliqua servitia ei praestiterat; post duos annos, morbo correptus et in periculo mortis constitutus, nepotem vocavit eique manifestavit voluntatem mutandi testamentum, reliquendo operibus piis et alii nepoti, ab ipso antea neglecto, quaedam bona postea *determinanda*.

Sed illis ultimis diebus aegrotus non semper recte loquebatur.

Nepos ita egit ut nullus hanc ultimam voluntatem cognosceret; atque ipse solus totam haereditatem sumpsit.

Quaeritur: 1^0 Utrum Franciscus graviter peccavit?

2^0 Utrum teneatur ad restitutionem et qua proportione?

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 16 iul. 1933

AD PRIOREM GENERALEM ORD. SERVORUM MARIAE, (1)
VII EXEUNTE ANNO A CONDITO ORDINE

(A. A. S. 2 Oct. 1933. XXV, 434)

PIUS PP. XI

Causae laetandi de rebus gestis et sperandi uberiora.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Septimo** abeunte saeculo, ex quo ista Mariae Servorum familia primum auspicato coaluit, iusta profecto laetitia omnes tecum sodales afficiuntur et saecularia sollemnia apparare studiose naviterque intendunt. Revocantibus enim vobis mirifica Ordinis exordia praeclarumque ei commissum munus, ac gloriosos tam diuturni aevi revolventibus fastos, permultae exstant de rebus gestis causae laetandi et spe etiam uberiore futura prospiciendi. Prima equidem origo sodalitatis vestrae a magna Dei Genetrice est repetenda, cuius nutu sancti septem Conditores in unum convenerunt, cuius gratia parva oriens societas laetam fructuum ubertatem, ut prodigialis illa vinea in Senario monte, ab incunabulis portendit. Ipsa autem Virgo lugubrem vestem ad memoriam materni sui luctus primis sodalibus indui praecepit; ipsa S. Augustini regulas eis voluit servandas, et nomen « Mariae Servorum », quod iam ex ore infantium et lactentium — mirabile auditu! — prodierat, benigne confirmavit. Hinc peculiarem vobis exstitit propositum persequendum, per cultum Mariae Virginis perdolentis animarum quaestus quam maximos facere. Quis autem dicere potest quantam habeat vim et effi-

Origo a B. Virgine recolitur.

(1) R. P. Raphaelem M. Baldini.

Praeclara promerita fundatorum et aliorum virorum

cacitatem ad virtutes in populo fovendas pia Christi patientis meditatio ac maerentissimae Matris memoria et commentatio? Cui quidem praecellenti vocationi Mariae Servi mirifice responderunt. Ecce enim primi nobiles illi Ordinis conditores, qui, ceu micantia sidera, sanctitatis fulgore coruscant, et Philippus Benitius aliique non pauci, quibus caelestes honores ab Ecclesia decreti sunt. Deinde permulti numerantur sodales, qui vel infidelium regiones excolentes, vel adversus haereses pro veritate strenue decertantes, vel totius Ecclesiae Conciliis operam studiumque navantes, vel denique populis peste infectis, spreto mortis periculo, auxiliantes, de Ecclesia simul et civili consortione optime meriti sunt. Neque profecto defuerunt, qui liberalibus artibus addicti aut scientiis litterisque exornati, tum libris scriptis, tum cathedris claruerint; quos inter recentiores memorare Nobis placet dilectum filium Nostrum Cardinalem Alexium H. Lépicier, tum religiosae familiae, tum Sacri Purpuratorum Patrum Collegii, tum Ecclesiae ipsius ornamentum.

(Memoratur Card. Lepicier).

Et religiosarum.

Nec viri tantum mirae huic vocationi responderunt, sed et mulieres, sive quae in claustris precibus ac contemplationi incumbunt, sive quae actuosae vitae se devoventes in omnibus christianae caritatis operibus sese exercent, iuventam praesertim in scholis erudiendo, infirmis ministrando, infidelium conversioni operam praestando.

Novissime condita Collegia et splendidum quod eminet ad Ianiculum montem causa sunt confidendi de futuris meritis.

Quod si praesentem consociationis vestrae statum intuemur et Collegia praesertim novissime condita respicimus, inter quae splendidum istud in Urbe eminet ad Ianiculum montem, ubi tot Ecclesiae et Ordinis spes educantur ac foventur, optima Nobis, sicut vobis, praebetur causa fore confidendi, ut novi alumni maiorum gesta ac laudes aemulentur ac nobilissima vocatione sua digniores in dies efficiantur. Merito igitur proximum saecularem eventum magna animorum delectatione et iucunditate celebrare contenditis; quam quidem celebrationem Ipsi Nos in primis participamus, quibus plane est cognita constans fides et observantia vestra erga Apostolicam hanc Sedem pro qua maiores vestri minime dubitarunt, ubi se obtulit occasio, pulchram etiam occumbere mortem.

Laetitiam S. Pontifex participat.

Opportune celebratio Ista in medium lubilarem annum incidit.

Nec quasi fortuito, sed benigno Dei numine propediem fiet, ut septies saecularis memoria a prima Ordinis institutione in medium incidat lubilarem annum quo et peracta humani generis redemptio et Maria Virgo, sub cruce Nati, omnium hominum Mater constituta pie solemniterque recolitur. Quam bonis igitur auspiciis, quantaque opportunitate ortus vestri celebratio proximo Augusto mense ordietur, die ipso quo Beata

Martyrum Regina « exaltata est super choros angelorum ad caelestia regna »! Eo sane die, sacrae exuviae Septem Ordinis Patriarcharum magna pompa ac sodalium frequentia agnoscentur et in novam transferentur cellam quam in ipso Senario monte, familiae vestrae incunabulis, affabre aedificandam curatis. Illuc ergo Servi Mariae universi respiciant, illuc intueantur, ubi primo eorum familia exorta est, ubi Patrum cineres et ossa quiescunt; exinde novas sumant vires, ut exemplo et verbo, ut precibus et scriptis, ut piis sacrisque exercitationibus cultum et honorem Dominae suae alendo fovendoque, et ipsi ad vitae perfectionem excitentur, et fideles curis eorum demandati salutares Redemptionis fructus affatim percipiant. Hisce votis optatisque paternis saecularia sollemnia vestra prosequentes, dum vobis vehementer gratulamur, cuncta prospera ac secunda a Deo clementissimo ominamur.

Hortatio S. Pontificis.

Eius omen; Benedictio.

Quarum interea caelestium gratiarum conciliatrix et peculiaris dilectionis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili, cunctisque Ordinis cui praees, sodalibus, necnon monialibus, sororibus, ac Tertii Ordinis confratribus, omnibusque fidelibus, qui sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Iulii, in Commemoratione B. V. M. de monte Carmelo, anno MCMXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

Dies (16 iul. in commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo).

PIUS PP. XI

---

2. — Sacra Congregatio Concilii.

Resolutiones in causis contentiosis

I. DIOECESIS *N.* COEMETERIORUM PAROECIALIUM

Die 15 Iulii 1931

(A. A. S. XXV, 1933, 373).

SPECIES FACTI. — In quadam civitate diocesis *N*..., abhinc pluribus annis, impensis paroeciae *A*... coemeterium conditum fuit, fidelibus catholicis totius civitatis sepeliendis. Idipsum, anno 1912, pecunia, magna ex parte, ab ea eiusque paroecia filiali collata, amplificatum est. At crescente in dies civium numero, eorum necessitatibus impar factum est; quapropter,

Factum. Coemeterium conditum sepeliendis totius civitatis fidelibus. Subinde alterum conditum, ita ut vetus cœmeterium trade-

retur paroeciae cuius impensis erectum erat.

anno 1929, parochi dictae civitatis, conlatis inter se consiliis, alterum coemeterium in eadem civitate condi statuerunt, vetusque coemeterium paroeciae *A*... eiusque filiali tradi iusserunt.

Decretum Ordinarii id confirmans.

Rem confirmavit Ordinarius, qui tamen, decreto diei 27 Decembris 1929, praescripsit ut in veteri hoc coemeterio sepelirentur fideles tantummodo harum duarum paroeciarum, vetito ne in posterum huius loculi vel sepulcra venderentur fidelibus ceterarum paroeciarum.

Reclamatio parochi A.

Contra hoc decretum parochus *A*... huic Sacrae Congregationi die 2 Augusti 1930 recurrit, conquestus quod eodem: 1) ius violetur quo unicuique sepulturam sibi eligere permissum est, ad normam canonis 1223 Codicis I. C., et cum prohibitio in casu maiorem civium partem respiciat, ius ipsum universae civitati ablatum fuisse ait; 2) grave administratoribus veteris coemeterii affertur detrimentum, qui ingentes sumptus pro eiusdem aedificatione impenderunt, et quotidie, eiusdem servandi causa, impendunt; 3) nulli consulitur urgenti necessitati, cum locus in vetere coemeterio ad fidelium corpora humanda per 25 adhuc annos satis sit.

Argumenta Curiae.

Curia dioecesana, contra, aequum censet decretum, et quia Societas, ad novum coemeterium condendum nuper constituta, non semel pecunia administratoribus veteris coemeterii adiumento fuit; et quia nullum ius eligendae sepulturae fidelibus tollitur vel limitatur, cum decretum potissimum in hoc intendat ut unaquaeque paroecia suum habeat coemeterium; et quia, rerum necessitate cogente, necesse omnino fuit novum in civitate, cuius incolae in praesens ad ducenta millia numerantur, parare coemeterium.

Quaestio est de electione sepulturae, an suppressa quod ad vetus coemeterium.

Cum de hac necessitate nulla sit quaestio, tota controversia haec est, num memorato decreto diei 27 Decembris 1929 ius fidelium sibi eligendi sepulturam ubi maluerit, Curia violaverit vel limitaverit.

Disceptatio. Ius eligendi sepulturam intactum manere debet.

AD IUS QUOD ATTINET. — In canone 1223 § 1 Codicis I. C. praescribitur: « Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae ». Quam libertatem adeo integram omnibus fidelibus servari voluit Codex, ut et uxorem et filios puberes a maritali vel a patria potestate in sepultura eligenda immunes prorsus fecerit (can. 1223 § 2); atque religiosis clericisque saecularibus districte prohibuit ne quem inducant ad sepulturam in ipsorum coemeteriis eligendam, factamque sub eorum impulsu electionem nullam declaravit (can. 1227). Quae Codicis praescriptio, quod uxores et filiosfamilias spectat, et in vetere iure canonico vi-

gebat, ut est in cap. 1, 3, 6, 8, 10 X *de sepult.*; et in cap. 1, 2, *de sepult.* 12, in Sexto, etc.

Nec decreto episcopi violatur.

At his iuris principiis non videtur contradicere memoratum Curiae decretum, cuius finis praecipuus fuit statuere quinam sit locus communis sepulturae fidelium uniuscuiusque paroeciae in memorata urbe, quin exinde ius sepulturae electivae, singulis fidelibus permissae, ullo modo coerceretur. Id aperte patet ex litteris eiusdem Ordinari, die 29 Octobris 1930 ad hanc S. Congregationem missis, in quibus haec leguntur: « Il decreto fu dato semplicemente per stabilire un piano di sistemazione dei cimiteri parrocchiali nella città, per cui alle due parrocchie reclamanti fu assegnato il vecchio cimitero e le rimanenti parrocchie, *salvo il diritto individuale di scelta del luogo di sepoltura*, furono invitate a concorrere alle spese del nuovo cimitero, reso necessario per salvaguardare nell'avvenire gli interessi dei cattolici e delle loro chiese nella stessa città ».

Quodnam ius Ordinario competat.

Iamvero nullum dubium est quominus Ordinarius disponere valeat locum sepulturae communis singularum paroeciarum, nec non prohibere ne fideles unius paroeciae in proprio alterius paroeciae cemeterio *ordinario* sepeliantur, excipe casum electae inibi sepulturae. Quod indubie eruitur ex praescripto canonis 1208 § 1, vi cuius Ordinarii est coemeteria paroecialia constituere, eademque moderari.

Resolutio ad mentem conformem, 11 iul. 1931.

Resolutio. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius S. Congregationis, die 11 Iulii 1931 habitis, propositum est hoc dubium solvendum:

An et quomodo recursus parochi A... diei 2 Augusti 1930 excipiendus sit, in casu.

Et E.mi Patres responderunt:

Recursum esse reiiciendum, et ad mentem. Mens est ut, praeter sepulturam gentilitiam ad tramitem canonis 1229, salva fiat sepultura legitime electa ad normam canonis 1226, collati cum canone 1228 Codicis I. C.

Approbatio SS.mi die 15 iulii 1931.

Facta autem de his SS.mo D.no Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum Secretarium huius Sacrae Congregationis in Audientia diei 15 Iulii 1931, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotatio

Quamvis ipsius recursus reiectus sit, parochus tamen sibi resolutionem E.morum Patrum gratulari po-

test. Dissipata enim quadam obscuritate decreti episcopalis, ex declarata mente prorsus constat, veteri coemeterio intacta manere cum ius acquisitum sepulturae gentiliciae, tum ius quod ex legitime ibi electa sepultura ei obtingeret.

---

3. — II. PRINCIPIS ALBERTEN. ET SASKATOONEN.

Missae pro populo

DIE 20 MARTII 1932

(A. A. S., 2 oct. 1933).

Quaestio. Tenenturne missa pro populo rectores paroeciarum quae nullo decreto canonice erectae, et vicarii perpetui ecclesiae independentis nondum tamen in paroeciam erectae.

SPECIES FACTI. — In dioecesi Principis Alberten. et Saskatoonen., in regione Canadensi, huic Sacrae Congregationi ab Episcopo relatum est plures esse paroecias *de facto*, seu absque erectionis canonicae decreto, anteactis temporibus constitutas, quarum reditus voluntariis fidelium oblationibus, in synodo dioecesana praefinitis, constant. Exinde dubium exortum est, utrum earum rectores, uti vere parochi, obligatione teneantur Missam applicandi pro populo.

Eadem quaestio fit de vicariis perpetuis, quorum ecclesiae, quamvis in paroecias nondum sint erectae, proprium tamen habent seiunctum territorium, atque a paroecia matrici omnino sunt separatae atque independentes.

Partes negativas Episcopus tuetur.

AD IUS QUOD SPECTAT. – Paroeciae de quibus agitur, ideo dicuntur canonice non erectae, quia defuit formale erectionis canonicae decretum, earumque circumscriptio *de facto* tantum constituta reperitur.

Iamvero, ut aliqua paroecia, arguit Episcopus, in ecclesia constituatur, opus est, ex praescripto canonis 687 Codicis I. C., hoc erectionis decreto quo et personam iuridicam acquirat, et eiusdem populus et fines describantur (can. 1418), qui nulli praescriptioni unquam sunt obnoxii (can. 1509, 4). Quapropter, hoc inexsistente, non videntur huiusmodi ecclesiarum rectores ex iustitia teneri ad Missam applicandam pro populo, cui obligationi subsunt ii tantummodo qui vere sunt parochi, ut statuitur in can. 475 § 2, et 476 § 6. Nec iuvat in casu morem vel consuetudinem inductam memorare, quae, attenta recenti dioecesis constitutione, ob brevis temporis lapsum, legitima esse nequit.

Attamen, etsi paroecia ordinario erigatur et erigenda sit per formale erectionis decretum, ad validam tamen eiusdem erectionem hoc decretum necessarium esse non videtur. Neque ius vetus, neque ius quo utimur, nempe Codicis, ad validitatem erectionis hoc postulat, et compertum est nullitatem cuiuslibet actus esse odiosam, eamque non praesumi, sed perspicue probandam (can. 11, 1680 § 1).

Sed formale decretum ad valorem requiri non videtur.

Canonica enim paroeciarum constitutio, ut patet ex litteris S. C. Concilii diei 18 martii 1881 (*Collectanea S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1548) non desumitur tantum ex formali erectionis decreto, sed colligitur et probatur quoque ex pluribus elementis, quibus paroecia ipsa de facto coalescit, nimirum ex certo territorio certis limitibus circumscripto, ex coetu fidelium, ex rectore seu parocho animarum curam gerente, et tandem ex Episcopi auctoritate, hanc iuridicam condicionem servante et probante, uti est in Ferraris (*Bibl. can.*, v. *parochia*, n. 10 ss.), qui docet: « Primo igitur requiritur ut auctoritate Papae vel Episcopi sit erecta...; erecta tamen praesumitur auctoritate Papae vel Episcopi *ex lapsu temporis*, quo rector ecclesiae publice divina officia peregit, Sacramenta administravit, ac reliqua parochialia praestitit et recepit ». Quapropter, si huiusmodi paroeciae ante Codicem certo habebantur ut canonice erectae, proindeque tamquam personae morales, haec iuridica condicio non immutata est iure per Codicem inducto, tum quia lex respicit futura, non praeterita (can. 10), tum quia iura aliis quaesita Codex minime sustulit (can. 4), tum demum quia persona moralis natura sua est perpetua (can. 102 § 1).

Nec contra hanc doctrinam, huc usque traditam, aliquid colligitur ex memoratis canonibus 687 et 1418 Codicis I. C., atque ex decreto S. Congr. Consistorialis diei 1 augusti 1919 (*Acta A. S.*, XI, p. 346). Equidem, can. 687 agit unice de piis fidelium associationibus, quarum aliae possunt esse in personam moralem constitutae, aliae ab ecclesiastica auctoritate approbatae vel commendatae. Nec semper ex iure Codicis, et necessario, requiritur decretum formale ad personam moralem, sive collegialem, sive non collegialem, constituendam, cum in can. 100 § 1, *ex ipso iuris praescripto* hanc aliquando consequi posse expresse statuatur.

Refelluntur difficultates.

Quare duplex modus seu causa personalitatis iuridicae: decretum formale, et iuris praescriptum seu lex. Quando personalitas oritur *ex lege*, interdum expressis verbis memoratur, interdum nonnisi *indirecte* est colligenda, nimirum ex eo quod institutum sive consociatio, quocumque nomine vocetur, capax iuris edicitur (cfr. can. 324, 531, etc.).

Duplex causa personalitatis iuridicae: decretum et lex.

Canon 1418 loquitur de instrumento constitutionis beneficii, quod, proprie loquendo idem non est ac decretum formale erectionis, quodque requiritur quidem *ex praecepto*, non tamen ad *valorem* constitutionis ipsius beneficii. Idemque tenendum est de memorato decreto Sacrae Congregationis Consistorialis diei 1 Augusti 1919.

Confirmatio ex iuribus et facultatibus parochorum.

Haec omnia confirmantur in casu litteris quibus huiusmodi rectores ad curam animarum gerendam instituuntur et deputantur, in quibus sermo fit de paroecia; de iuribus seu facultatibus, rectoribus paroeciarum iure communi concessis; de professione fidei quam emittere tenentur parochi ex praescripto can. 1406 § 1 n. 7; de territorio demum circumscripto, peculiari uniuscuiusque rectoris curae commisso. Quae uni paroeciae canonice erectae applicantur; erectio proinde paroeciae habetur ex auctoritate, seu ex decreto Ordinarii.

Idem valet de vicariis perpetuis qui plena potestate paroeciali fruantur.

Quod vicarias perpetuas tandem spectat, hoc unum est videndum, num earundem rectores plena potestate paroeciali, necne, sint praediti. Cum enim iura et officia vicariorum paroecialium desumantur plerumque ex litteris deputationis, ex statutis dioecesanis, et ex ipsius parochi commissione (can. 474-476), si hac plena potestate ii potiuntur, parochis revera aequiparantur ad normam can. 451 § 2 n. 2. Nihil proinde dubii est quominus et oneri Missam applicandi pro populo teneantur.

Dubia. Resp. S. Cong. 5 mart. 1932.

Resolutio. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, die 5 Martii 1932 habitis, proposita sunt haec dubia solvenda:

I. *An parochi teneantur ad Missam pro populo applicandam, in casu.*

II. *An vicarii perpetui eadem obligatione teneantur, in casu.*

Responsa.

Et E.mi Patres responderunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, si plena potestate paroeciali sint praediti.*

Approbatio SS.mi, die 20 martii 1932.

Facta autem de hisce Ss.mo D.no Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 20 Martii 1932, Sanctitas Sua has resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotatio

Commentator ephem. *Monitore Ecclesiastico*, p. 355, anni 1933, non nulla obicit argumentis allatis.

4. — III. SURRENTINA

Substitutionis in choro

DIE 18 APRILIS 1932

(A. A. S., 1 dec. 1933, XXV, 492).

Quaeritur utrum, in servitio chorali, dignitates a canonicis an solum a dignitatibus substitui possint.

Litteris diei 21 Ianuarii 1931 Archiepiscopus Surrentinus huic S. Congregationi Concilii referebat, dignitates Capituli cathedralis ex antiquis constitutionibus oneri adstrictas esse praestandi servitium chorale, itemque morem esse inductum ut a canonicis in hoc servitio substituantur. Quapropter pro opportuna solutione eidem Sacrae Congregationi hoc dubium proposuit: « Utrum in servitio chorali dignitates a canonicis possint substitui, an per alias tantummodo dignitates haec substitutio fieri debeat ».

Temperamentum allatum severo Tridentino decreto quo substitutiones prohibebantur.

ANIMADVERSIONES. — Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. 12 *De ref.*, decrevit officia choralia a capitularibus, per se ipsos, obeunda esse: « Obtinentes in cathedralibus dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia ». « Patet igitur, ait Fagnanus (in c. *Cum omnes*, lib. I Decret., de const. n. 28) sublatam esse quamcumque consuetudinem inserviendi per substitutum in cathedralibus ecclesiis ». At, quia disciplina illa nimiam severitatem sapere visa est, haec Sacra Congregatio in *Eugubina* diei 15 Decembris 1605 declaravit: « non esse sublatam capitularibus facultatem sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adstricti non sint ».

E communiore sententia substitutus debet esse eiusdem ordinis ac dignitatis cuius est substituens.

Praeter haec, communior sententia fuit ut substituens eiusdem ordinis ac dignitatis esset ac substitutus, adeo ut dignitates alias dignitates, canonici et portionarii respective alios canonicos et portionarios, in sua quisque substitutione, deputare tenerentur (De Herdt, *Praxis capit.*, cap. XXVII, § 10). Immo Barbosa hanc sententiam decisione S. R. Congregationis in *Abulen.* (sine data) fulciri censuit, scribens: « Si quando aliquis capitularis legitimo impedimento detentus, ea per se ipsum adimplere non poterit, tunc alios, *eiusdem tamen ordinis et gradus*, non autem inferioris, dignitates nempe alias dignitates, canonici canonicos, et portionarii respective portionarios in sua quisque hebdomada, ne graduum et ordinum praeroga-

tivae confundantur, deputare debebunt » *(De canon. et dignit.*, cap. 31, n. 6). Et Garcias de authenticitate memoratae decisionis seipsum testem facit: « Quam declarationem vidi authenticam, nempe manu d. Illustrissimi Cardinalis Comen. et d. Secretarii subscriptam et sigillo eius Cardinalis munitam » (*De benef.*, cap. II, n. 497). Attamen in decretorum authentica collectione S. C. Rituum memorata decisio non invenitur.

Dubium tamen ex non inventa decisione quae id statuebat.

Quapropter de hac re certo constare aliquis auctor in dubium revocabat. Ita Monacelli (*Form. leg.*, tit. 2, form. 4, adnot. 9), et inter recentiores d'Annibale qui, veterem disciplinam paucis colligens, scribit: « Quamvis autem quisque haec officia per se obire debeat, nihilominus non est sublata facultas se invicem substituendi, dummodo: 1°) substituens sit praesens in civitate ubi exstat ecclesia, ut in suburbiis vel territorio; 2°) substitutus sit unus ex capitularibus; 3°) uterque eodem tempore eidem servitio non sint adstricti ». Et addit in nota: « Utrum vero esse debeat eiusdem coetus, non satis constat » (*Summ. theol. mor.*, p. III, n. 178). Itemque Oietti (*Synopsis*, v. *Canonici*, n. 733).

Sed animadvertendum est agere hos auctores de substitutione in genere, idest et de canonicis et de beneficiatis, non vero de dignitatibus, de quibus modo est quaestio.

Sanctio Codicis ex can. 419.

Veterem autem iuris disciplinam, quam communiore sententia Doctores amplectebantur, sanxit Codex, statuens in canone 419: « In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur, nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta et rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et *sit in eadem ecclesia canonicus, si agatur de supplenda vice canonici, beneficiarius, si de beneficiarii* ». Quod si de dignitatibus in citato canone expressa mentio non fit ex eo fortasse quod, cum sint numero pauciores, perraro substitutio locum habeat, de iisdem tamen per analogiam idem sentiendum esse recte arguitur. At, quia dignitates, qua *tales*, munia sibi peculiaria obire debent, de quibus in canone 397, quatenus vero sunt canonici, iisdem officiis ut ceteri canonici sunt adstricti, rectius videtur inferri quod in his postremis quae sunt omnibus communia a canonicis possint substitui, non in iis quae, ut dignitates, sibi sunt propria et peculiaria munia.

Hinc resolutio cum distinctione.

Resolutio. — His omnibus perpensis, in Congregatione plenaria, die 9 Aprilis 1932 habita, proposito dubio:

Dubium.

An dignitates in servitio chorali a canonicis substitui possint, in casu.

E.mi Patres responderunt:

Resolutio.

Negative quoad officia dignitatum propria; affirmative quoad officia communia, ad normam tamen iuris.

Facta autem de his Ss.mo D.no nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in Audientia die 18 Aprilis 1932, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

Approbatio Pontificis die 18 april. 1932.

I. BRUNO, *Secretarius.*

---

5. — IV. TARVISINA ET PATAVINA

Decimarum perceptio

DIE 20 IULII 1932

(A. A. S. 3 nov. 1933, XXV, 470)

Quaeritur de iure percipiendi decimas in territorio dismembrato.

SPECIES FACTI. — Decreto Sacrae Congr. Consistorialis diei 14 Septembris 1929, Instante Ordinario Tarvisino et consentiente Ordinario Patavinae dioecesis, incolae et vicus vulgo *Baluello* cum parvo adnexo agro e paroecia S. Michaelis Archangeli in loco *Arino*, huius dioecesis, separati sunt et aggregati propiori S. Bartholomaei, dioecis Tarvisinae. Territorium vero dismembratum decimis onerabatur, quae vulgo dicuntur *quartese*, parocho loci *Arino* quotannis solvendis.

At, cum nec a partibus, nec in memorato decreto ulla de iis facta fuisset mentio, Episcopus Tarvisinus hanc Sacram Congregationem adiit ut, novis perpensis adiunctis, cuinam parochorum in posterum ius esset percipiendi decimas in agro dismembrato decerneret.

Ordinarius Patavinus et Tarvisinus diversimode respondent.

AD IUS QUOD ATTINET. — Censet Ordinarius Patavinus ius decimandi in controverso agro adiudicandum esse, uti nunc est, parocho loci *Arino*, attenta in primis natura dominicali harum decimarum, de qua nulla est quaestio, cum in idem consentiat et Ordinarius Tarvisinus. Memorat quoque consuetudinem, in sua dioecesi vigentem, integra manendi singula patrimonia ecclesiastica in paroeciarum dismembrationibus, quo facilius in easdem rectores consentiant, et animadverti quoque vult quod parochus loci *Arino*, qui dismembrationem aegre tulit, si horum proventuum solutione privaretur, ad inopiam redigeretur.

Aliter sentit Ordinarius Tarvisinus, qui non videt cur eidem, cui principale fuit concessum, accessorium denegaretur, nec

quanam ratione decimarum solutioni obnoxii declararentur paroeciani erga parochum, cui nulla cum iis amplius intercedit relatio.

Quomodo distinguantur decimae.

Iamvero, decimae dividuntur in *reales* seu *praediales* et *personales*. Illae inhaerent fundis, ita ut solvi debeant ab iis qui actu possident et colunt fundos, ideoque *onus reale* constituunt. Istae afficiunt personas et solvendae sunt ratione laboris, industriae, etc., ac propterea *onus mere personale* constituunt. Cfr. cap. 5. 20. 23. 28. 30, X, *De decimis, primitiis et oblationibus*, III, 30; Zech, *De iure rerum ecclesiasticarum*, sect. III, tit. 4 ss.; Schmalzgrueber, lib. III, tit. 30, n. 4 ss., etc.

Frequentius, hodie, decimae dividi solent in *sacramentales* et *dominicales*. Illae sunt semper et necessario ecclesiasticae, utpote quae a fidelibus solvantur ratione ministerii ecclesiastici proprio cuique parocho a quo Sacramenta et sacramentalia recipiunt. *Dominicales*, contra, perspecta earum origine, possunt esse quoque feudales, sive profanae, utpote solvendae ratione proprietatis vel iurisdictionis civilis, sive politicae, ad instar census vel tributi aut vectigalis (cfr Zech, loc. cit., § 22, 34), et, universim acceptae, sunt *reales* seu *praediales*.

Nullum dubium est quin decima de qua agitur, vulgo *quartese*, censenda sit tamquam dominicalis, ideoque realis, quod constanter tenuit doctrina et iurisprudentia civilis, praeterquam ecclesiastica, praesertim recentiore aetate.

Ius ante Codicem

Ante Codicem vero, communis certaque erat doctrina, decimas praediales solvendas esse illi paroeciae, intra cuius fines praedia exstarent. Schmalzgrueber (lib. III, tit. 30, n. 29) docet: « Decimae praediales de iure communi solvendae sunt illi parochiae, intra cuius fines sita sunt praedia, cap. *Cum sint*, 18; cap. *Ad Apostolicae*, 20; cap. *Cum contingat*, 29, hoc tit. Estque hoc verum, etsi dominus praediis alibi habitet et recipiat Sacramenta, ut recte advertunt DD. communiter. Ratio est, quia onus solvendi decimas praediales reale est, et impositum non personis, sed praediis ».

Iurisprudentia S. C. Concilii confirmatum.

Quae doctrina constanti iurisprudentia Sacrae Congregationis Concilii confirmata reperitur. Ita Pallottini refert: « Decimae debentur parocho territorii, ubi praedia decimanda exsistunt... ad tradita per Rotam in dec. 48, n. 2 coram Bichio et in Recent., dec. 169, n. 4, p. V, in *Sarsinaten. Onerum*, diei 30 iulii 1774, ad III, etc. » (*Collectio omnium conclus. et resol.*, tom. VII, v. *Decimae*, n. 67).

Quapropter, ut tradit Reiffenstuel (lib. III, tit. 30, n. 104), « quando parochia aliqua dividitur in plures, tunc decimae

praediales etiam de limitibus parochiae noviter erectae pertinent ad ecclesiam matricem, seu potius ad eam remanent, nisi in erectione novae parochiae Episcopus una cum limitibus certis, etiam dictorum limitum decimas parocho expresse assignet ». Et quod dicitur de erectione novae paroeciae, a pari, immo a fortiori, arguendum est de paroeciae dismembratione.

Ius Codicis.

Attamen, memorata veteris disciplinae principia adhuc vigere dicenda sunt, attento iure Codicis quo utimur, ad normam canonis 6. Idque saltem implicite confirmatur praescripto canonis 1500, statuentis: « Diviso territorio personae moralis ecclesiasticae ita ut... illius pars illi personae morali uniatur..., etiam bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata..., ab Auctoritate ecclesiastica, cui divisio competat, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis priorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, quibus persona moralis regatur ». Non ipso iure igitur, facta territorii divisione, bona, et, in casu de quo agitur, decimae praediales transeunt in personam moralem cui pars territorii unitur, sed Auctoritatis ecclesiasticae est huiusmodi bona, ex bono et aequo, dividere.

Detrimentum quod pateretur locus Arino his decimis spoliatus.

Cum vero in casu nulla mentio fiat in decreto Sacrae Congregationis Consistorialis de assignatione decimarum in favorem paroeciae S. Bartholomaei, cumque ex relatis ab Ordinario Patavino beneficium paroeciale loci *Arino,* his decimis spoliatum, ad inopiam redigeretur, aequum sane est ut eidem hoc ius integrum maneat. Sicuti enim in paroeciae divisione, ita et in dismembratione (cfr can. 1421) solemne est in iure canonico, ipsa iustitia suadente, ut paroeciae *a quo* sufficientes reditus maneant (can. 1427, § 3).

Dubium. Resp. S. Cong. 16 iul. 1932.

Resolutio. — His omnibus perpensis, in Congregatione plenaria diei 16 Iulii 1932, proposito dubio: *An et cuinam parocho solvendae sint decimae ab incolis territorii dismembrati, in casu:*

EE. PP. responderunt:

Affirmative, favore parochi loci Arino *dioecesis Patavinae.*

Approbatio SS.mi, 20 iul. 1932.

Facta autem de his Ss.mo D.no Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 20 Iulii 1932, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Decima, de qua agitur in causa *Tarvisina-Patavina* resoluta a S. C. Concilii die 16 iul. 1933, vocatur *quartese.* Huiusmodi decima viget a pluribus saeculis in regione Veneta. Ea correspondet quadragesimae parti, unde nomen praedictum.

NARDI, olim professor in Universitate Patavina, ad rem ait: « Tra noi più comunemente (esiste) la quarantesima, onde la voce *quartese:* derivazione dalla quarta parte della decima originaria competente al clero » (1).

2. Praefata decima, vulgo *quartese,* procul dubio recensenda est inter decimas reales sive dominicales, tum attenta origine, tum perspecto titulo ex quo competit v. g. parocho, canonico aliive beneficiato. Id confirmat constans iurisprudentia civilis, etiam recentissima. Ita ex. gr. tribunal appell. Venetiarum, 30 april. 1920; Cass. Florent. 12 mart. 1923; tribunal Tarvisinum, 9 iul. 1924; tribunal Utinense, 10 aug. 1925, 10 dec. 1925, 16 iul. 1927, 3 sept. 1931; tribunal appell. Venetiarum, 23 mart. 1933, 11 iul. 1933 (2).

Idem tenet auctoritas civilis administrativa. Regium Dicasterium, vulgo *Ministero delle finanze,* requisita sententia Dicasterii cui titulus *Ministero di grazia e di giustizia e degli affari di culto,* in litteris circularibus diei 24 nov. 1930 ait: « *È stato assodato che i quartesi del Veneto hanno tutti carattere patrimoniale* e rappresentano una riserva di frutti fatta in occasione delle concessioni enfiteutiche e feudali dei terreni di proprietà ecclesiastica ».

---

(1) *Elementi di diritto ecclesiastico,* III, § 555, nota b).

(2) *Foro Veneto,* 1920, p. 338; ibid., 1923, p. 254; *Diritto ecclesiastico,* 1927, p. 481; ibid. 1931, p. 495; ibid. 1933, p. 462, 526.

Clar. *Benvenuti* complura documenta affert de hac re, iisque probe consideratis, merito concludit: « Tali autorevoli documenti confermano così, nel modo più chiaro e incontrovertibile, la origine domenicale delle decime e quartesi esistenti nel Veneto a favore dei benefici ecclesiastici, e dimostrano come tanto era dai pubblici poteri riguardato il diritto di decima come inerente ai fondi obnoxi, da non ritenere, per la conservazione di esso, necessaria alcuna trascrizione sui libri censuari, e da decidere che anche nelle subastazioni dei beni fatte dal demanio per debito di imposta gli acquirenti dei fondi gravati dovessero continuare a corrispondere la decima o quartese all'investito del beneficio, per quanto nell'atto della vendita non fosse fatto cenno alcuno dell'onere » (1).

3. Decima dominicalis, vulgo *quartese*, pertinet in casu ad beneficium paroeciale, quatenus constituit eius dotem ad normam can. 1410. Porro, cum pars territorii alicuius paroeciae separatur et alteri paroeciae unitur, non ideo beneficium paroeciale cessat vel mutatur aut imminuitur. Beneficium est persona moralis, quae natura sua perpetua est (can. 102, § 1). Igitur nullatenus confundendum beneficium paroeciale cum territorio paroeciae nec, consequenter, dismembratio territorii cum dismembratione beneficii. Proinde, quando territorium paroeciae dismembratur, beneficium manet *per se* integrum atque illaesum, quin iuridicam mutationem aut diminutionem patiatur.

4. Potestne Auctoritas ecclesiastica, dum separat partem territorii unius paroeciae eamque alteri paroeciae aggregat, separare quoque portionem dotis beneficialis paroeciae *a qua* et illam beneficio paroeciae *ad quam* attribuere? Et in casu affirmativo, Auctoritas competens estne Episcopus, an sola Apostolica Sedes?

(1) *Decime e quartesi nel Veneto dal sec. XVIII al XX*, in *Diritto Ecclesiastico*, 1932, pag. 424.

Quando dismembratur territorium, potest profecto dismembrari quoque dos beneficii, ita ut pars bonorum transeat ab una paroecia ad aliam. Id sane locum habet etiam in divisione paroeciae, cum nempe ex una paroecia duae vel plures eriguntur. Sed tam in divisione quam in dismembratione paroeciae, eatenus pars bonorum unius paroeciae potest alteri assignari, quatenus « *sufficientes reditus* » maneant paroeciae *a qua*, ad normam can. 1427, § 3. Idque iustitia ipsa et canonica aequitas manifesto postulant.

At aliud sedulo notandum. Titularis beneficii paroecialis, qui illud canonice obtinuit cum *certa* ac *praefinita dote,* in casu divisionis vel dismembrationis integrum servat ius quoad omnes et singulos reditus beneficiales, prout exsistebat tempore beneficii canonice obtenti, ita ut *sine expresso eiusdem assensu* nequeat fieri diminutio dotis beneficialis cum eius detrimento etsi, ea facta, manerent adhuc sufficientes reditus paroeciae *a qua*. Ratio evidens est. Per canonicam possessionem beneficiatus seu parochus ius verum et proprie dictum obtinet quoad reditus beneficiales *sine ulla diminutione* ad normam can. 1472, nisi ipse sponte renuntiare velit. Hinc est, quod *generatim* divisio et dismembratio locum sortiuntur tempore vacationis paroeciae.

Episcopus competens est, ubi agitur de divisione vel dismembratione quae *suam* tantum respiciat dioecesim; ubi agitur, contra, de divisione vel dismembratione quae *alienam* quoque attingat dioecesim, ut in casu, competens est una Sedes Apostolica, cui sicuti competit dismembratio territorii paroeciae, ita ipsi competit quoque dismembratio dotis beneficii paroecialis, si haec necessaria vel opportuna videatur.

F. M. CAPPELLO S. I.

6. — S. Congr. de Prop. Fide

Responsum ex S. Congr. S. Officii 30 mart. 1933

DE BAPTISMO ALUMNORUM (1).

Relatio ad Delegatum Ap. cum.

Dubium. *S. Congregatio de Prop. Fide* per ven. Off. N. 876/33 die 20 Martii ad Delegationem Apost. datum, quae infra continentur retulit:

Nati ex infidelibus, sed fequentantes scholas Missionis baptismum petunt.

« Quidam Vicarius Apostolicus, Sinensis ditionis, Supremae S. Congregationi S. Officii sequens proposuit dubium: « An probari possit consuetudo renuendi baptismum pueris et puellis, infidelium filiis, qui scholas catholicas Missionis frequentant et bene de religione edocti, baptismum petunt, eorum parentibus consentientibus, licet post baptismum, in suam familiam paganam redeuntes, permultis periculis sint expositi ».

Consuetudo negandi ipsis baptismum reprobatur.

Et Suprema S. Congregatio S. Officii respondit:

« Negative, idest consuetudo renuendi baptismum pueris et puellis infidelium filiis, de quibus agitur, probari nequit, ideoque baptismus tuto illis conferri potest ».

Archieppus Tit. Philippop.
CAROLUS SALOTTI
Secretarius S. C.

ANNOTATIONES

1. Iuvat responsum istud conferre cum n. 251 Primi Conc. Sinensis: « 1^0 Valde caute et prudenter se gerant missionarii in baptizandis fidelium filiabus, quae gentilibus in matrimonium fuerunt promissae. Si huiusmodi puellae in infantili aetate adhuc constituantur, spesque non minima affulgeat eas educatione vere christiana fore imbuendas, tunc sine magna difficultate ad baptismum admittantur.

« Ipsa *S. C. S. Off.* 25 Iun. 1866, non excludit a baptismo recipiendo puellas in infantili aetate, ubi nihil aliud obstet praeter futurarum nuptiarum periculum cum viro ethnico.

« 2^0. Si vero agatur de puellis iam adultis, ac prope nubilibus, quae sat proxime gentilibus tradendae prae-

(1) Ex Sinensi ephemeride *Apostolus in Sinis.*

videntur, antequam eae baptizentur, res cum omnibus adiunctis ad Ordinarium deferatur ».

II. Causae baptismi favere Supremam Congregationem, etiam ex sequenti responso 6-8 iul. 1898 ad 4 (1) colligitur. Agebatur de filio nato ex parte catholica et infideli, quem, mortua parte fideli, superstes pars infidelis baptizandum offerebat vel saltem baptizari annuebat. Respondit Congr. *S. Officii*: « Si *possibilis spes* affulgeat fore ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, tunc, datis cautionibus (promissa educatione catholica), baptizentur ».

In praesenti autem casu, baptismus petebatur ab ipsis pueris qui actu catholice instituebantur.

III. Allegatum autem statutum approbati Concilii Sinensis suggerit quoque ut proximum periculum a remoto distinguatur. Quae puellae in infantili aetate versantur sine magna difficultate ad baptismum dicuntur admittendae, quamvis in matrimonium promissae sint gentilibus, dummodo educationis christianae spes non minima affulgeat. Sed quae iam adultae sat proxime gentilibus tradendae praevidentur, ne baptizentur nisi ex sententia Ordinarii, cui causa subicienda est.

---

7. — Paenit. Apostolica. (*Officium de indulgentiis*)

Decretum 29 dec. 1933

INDULGENTIIS DITATUR DIES ROMANO PONTIFICI SACER

(A. A. S. 20 ian. 1934, XXVI, 35)

Mos celebrandi singulis annis diem sacrum Rom. Pontifici.

Iamdudum in pluribus catholici orbis partibus laudabiliter mos exstat ut singulis annis, plerumque iuxta anniversarium festum electionis vel coronationis Summi Pontificis, peculiaris dies statuatur, sive ad solemniter celebrandas Romani Ponti-

(1) *Coll. de P. Fide, n. 2007, vel Fontes,* IV, n. 1200.

ficatus laudes, eiusque innumera beneficia recolenda, in totum mundum hactenus derivata, sive ad gratias Deo persolvendas ob incolumitatem vitae Supremi Ecclesiae Moderatoris, simulque ad necessarium auxilium, ab eodem bonorum omnium Largitore impetrandum, pro regenda Ecclesia, tot difficultatibus obnoxia.

Inde opportuna indulgentia.

Quapropter procul dubio decebat, ut christifideles, tam pium obsequium ac sincerum amorem erga Sedem Apostolicam ostendentes, quando praefato Festo die sacris functionibus intersunt, aliquam haurirent remunerationem e spirituali illo thesauro, quem Ecclesia possidet et cuius Romanus Pontifex est Supremus Administrator.

Conceditur indulgentia plenaria et partialis.

Ss.mus igitur D. N. Pius, divina Providentia Pp. XI, paterna benevolentia preces excipiens ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore, ad salutarem ac memoratum finem porrectas, in audientia eidem concessa die 15 vertentis mensis, indulgentiam *plenariam* singulis fidelibus concedere dignatus est, qui, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, eodem Festo die saltem uni e supradictis functionibus religiosis interfuerint, atque ad mentem eiusdem Summi Pontificis oraverint: partialem vero indulgentiam decem annorum, iis omnibus, qui devote et saltem corde contrito pariter interfuerint uni e dictis functionibus, ad Summi Pontificis intentionem exorantes.

Clausulae

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Litterarum Apostolicarum expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (29 dec. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 29 Decembris 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

---

8. — S. Paenit. Apostolica. *(Officium de Indulgentiis)*

Resolutio 7 dec. 1933

RECITATIO MERE MENTALIS PRECUM « IACULATORIARUM »

(A. A. S. 20 ian. 1934, XXVI, 35)

Dubium de sufficiente recitatione pure mentali.

Dubium. — Sacrae Paenitentiariae Apostolicae sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit:

An indulgentiae, invocationibus et precibus sic dictis ia-

culatoriis annexae, acquiri possint, ceteris paribus, a fidelibus quibuslibet etiam per mentalem tantum earum recitationem?

Responsum eam sufficere.

Et Sacra Paenitentiaria, die 17 Novembris 1933 respondendum censuit: *Affirmative.*

Confirmatio SS. et licentia publicandi.

Facta autem de hoc relatione SS.mo D. N. Pio div. Providentia Pp. XI, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori, die 1 vertentis mensis, Sanctitas Sua resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam permisit.

Dies (7 dec. 1933).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 7 decembris 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Nemini dubia erat potestas S. Pontificis annectendi indulgentias orationi etiam pure mentali. Et canone 936 mutis ita providetur ut preces mente recolendo signisve effundendo, vel eas tantummodo oculis percurrendo indulgentias annexas lucrari possent. Verum, excepto hoc casu, vocalis orationum recitatio putabatur ad beneficium indulgentiae consequendum esse necessaria. Quare in canone 934 § 1 exigitur ut ex parte oralis sit oratio in genere ad mentem S. Pontificis praescripta.

II. Modo autem S. Paenitentiaria declarat ad indulgentias annexas invocationibus et precibus quae « iaculatoriae » dicuntur, sufficere quibuslibet fidelibus ut eas sola mente perfundant.

III. Responsio ista qua mere dubium solvitur videtur esse declarativa. Hinc bifariam eius vis intellegi potest.

Vel mere ad iaculatorias preces applicat normam generalem, ita ut recitatio vocalis non postuletur nisi cum oratio in genere tantum praescribitur, vel condicio orationis vocalis expresse apponitur. Quod si ita sit, licebit etiam episcopis sua limitata potestate uti ad conectendas indulgentias cum oratione mentali.

Vel declaratio solis iaculatoriis precibus propria manere debet.

Si urgeas qualitatem responsi, quod est declaratio, facile dixeris eam universim valere.

Si vero ad communem opinionem de indulgentiis attenderis, responsum non ultra casum extendes. Quod censemus prudenter faciendum, donec S. Paenitentiaria mentem suam non magis aperuerit.

---

9. — Episcoporum Belgii

Instructio 1933

DE MIRIS FACTIS QUAE IN BELGIO CIRCUMFERUNTUR

Cur scribant.

Episcopi Belgii, considerantes ab aliquot mensibus, pluribus in locis, mirabilia quaedam, puta appartiones et locutiones, B. Mariae Virgini rumore publico tribui, officio suo ducunt sequentia notare, ut omnes sciant quaenam in praesentia quoad illa mens sit auctoritatis ecclesiasticae.

1. Nulla adhuc ecclesiastica approbatione vel commendatione sunt munita.

1°. Imprimis praefatae apparitiones, visiones, locutiones seu revelationes, quaevis sint et quovis in loco factae, hucusque nullatenus dici aut haberi possunt sive directe sive indirecte ab auctoritate ecclesiastica qua verae et genuinae approbatae vel commendatae.

2. Commendatur sacerdotibus prudentia.

2°. Quare sacerdotes quoad ea servare debent atque fidelibus inculcare regulas prudentiae et discretionis quas ipsa tenet Ecclesia; quarum praecipua iubet non esse affirmandam supernaturalem indolem factorum quamvis mirabilium, donec supernaturalitas eorum certo demonstretur.

3. Sine sui Ordinarii licentia, peregrinationes ne ordinent vel ducant.

3°. Sine licentia Ordinarii sui, sacerdotes fidelium peregrinationes ad loca praedicta ne ordinent vel conducant.

4. Observandus est can. 1385 § 1 n. 2.

4°. Quae de factis illis edita sunt scripta, etiamsi censurae ecclesiasticae submissa fuerint, non nisi auctorum privatas sententias referunt.

Quocirca observandum est, vi canonis 1385, § 1, n. 2, quaevis scripta de mirandis istis tractantia, sive libros aut libellos sive etiam articulos in diariis publicis, sine censura ecclesiastica edi non posse, quum evidenter sint « scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculialiter in-

Additur sanctio prohibitionis.

Notanda deferantur auctoritati ecclesiasticae.

tersit ». Itaque in posterum libri aut libelli qui de illis ex professo agunt, ut prohibiti habendi sunt, nisi expresse muniantur approbatione (Imprimatur) ecclesiastica. Idem valeat pro imaginibus et precum formulis. Quum autem iudicium circa facta illa sit penes auctoritatem ecclesiasticam, non penes opinionem publicam, optandum est ut qui notanda quaelibet cognoscunt, ea auctoritati ecclesiasticae patefaciant potius quam scripto in vulgus spargant.

ANNOTATIONES

A mense novembri 1932, rumor spargi coeptus est de B. Virgine apparente in loco Beauraing, dioecesis Namurcensis, dein in loco Banneux, dioecesis Leodiensis, tum in loco Onckerzele, dioecesis Gandavensis, ac subinde etiam in quibusdam aliis Belgii locis. Narratae mox sunt mirae conversiones ad fidem vel virtutem, mirae corporales sanationes, quae id effecerunt ut ex Belgio, Gallia, Hollandia ingentes multitudines ad ea loca, ut visitatione B. M. Virginis sanctificata, pie peregrinatum se conferrent.

Inde multae habitae sunt contiones, disputationes, controversiae de istis apparitionibus, multae factae scriptae relationes, multa opera edita. Ephemerides, ut liquet, occasionem non omiserunt nuntios per Europam spargendi. Haec omnia moverunt Belgii episcopos ut simul publici iuris facerent litteras quibus, vindicato soli auctoritati ecclesiasticae iure facta ista auctoritative diudicandi, prudentem agendi rationem clero et christiano populo praescribunt.

Tanta factorum celebritas nobis suadere visa est ut istis episcoporum litteris locum in hac nostra ephemeride daremus.

Litteras istas R. P. CREUSEN S. I. sapienter et prudenter commentatus est in *Nouvelle Revue Théologique*, primo huius anni 1934 fasciculo, pp. 68-83.

Istam interpretationem utcumque laude dignam hic exscribere vel exponere nobis non est propositum. Unum tantum per modum parvi complementi addere velimus. Cum in sua epistola Antistites non solum monuerint, vi canonis 1385, § 1, n. 2 quaelibet scripta de miris istis tractantia, utpote quae religionis ac morum honestatis peculiariter intersint, sine censura ecclesiastica edi non posse, sed praeterea voluerint ut, deficiente ista licentia, haberentur ut prohibita, P. CREUSEN recte existimavit prohibitionem istam, quatenus cadat *in omnes* libros aut libellos

qui de illis ex professo agunt (1), non e iure communi, sed e peculiari episcoporum decreto esse repetendam. Atque etiam haud perperam subiunxit, cum non sit decretum Concilii Provincialis, et singulorum Episcoporum auctoritas sit territorialis, haberi hic tot leges particulares quot sunt Belgii dioeceses, quae proin in singulis dioecesibus non obligent peregrinos, sed solum incolas, advenas et vagos.

Iam quaeret quispiam. Nonne possint Episcopi, communi actione efficere ut nullus christianus in Belgio vim instructionis effugiat? Non vacat enim incommodo, ut quispiam, per se subditus, actionem istam frustaneam efficiat, transeundo in vicinam dioecesim. Ac respondemus ipsos id posse, expresse declarando se decreto suo voluisse ordini publico consulere, ita ut etiam a peregrinis observari debeat. Etenim, quod *de se* lex ista de qua agimus ordinem publicum immediate tueatur, dubitari vel fortasse negari potest; sed procul dubio arbitrari atque efficaciter declarare possunt ad ordinem publicum pertinere, ut eludi in territorio suo nequeat, decretum quod religionis et honestatis peculiariter interest.

A. VERMEERSCH S. I.

---

10. — Suprema Cong. S. Officii.

Decreta 9 febr. 1934

DUOS LIBROS PROSCRIBENS

(Ex *Osservatore Romano* 14 febr. 1934)

I.

Feria IV, die 7 Februarii 1934. *Dies consessus 7 febr.*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

---

(1) Etenim, ut liber vel libellus referens novas apparitiones, miracula, etc. sit iure communi p ohibitus, « videtur requiri ut liber vel scriptum, rem tamquam *manifeste* supernaturalem proponant ». Ita CLAEYS-SIMENON, *Manuale* III, p. 142. Et concordant FERRERES, *Compendium*, I, n. 368; GÉNICOT-SALSMANS, I» *Institutiones*, n. 453, 3.

Opus damnatum.

ALFRED ROSENBERG, *Der Mythus des 20 Jahrhunderts.*

Operis summa.

Liber omnia Ecclesiae catholicae dogmata, imo et ipsius religionis christianae fundamenta spernit ac penitus reiicit; necessitatem propugnat novam religionem seu ecclesiam germanicam instituendi et principium enuntiat « novam hodie « exurgere mythicam fidem; fidem mythicam sanguinis; fidem, « qua creditur etiam divinam hominis naturam sanguine posse « defendi; fidem scientia clarissima suffultam, qua statuitur « septentrionalem sanguinem illud repraesentare mysterium, « quo antiqua Sacramenta suffecta sunt ac superata ».

Approbatio SS.i (8 febr.).

Et sequenti Feria V, die 8 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. PIUS Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti (9 febr. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Februarii 1934.

IOSUE VENTURI
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

II.

Dies consessus.

Feria IV, die 7 Februarii 1934.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Opus damnatum.

ERNST BERGMANN, *Die deutsche Nationalkirche.*

Operis summa.

Auctor religionem christianam, factum revelationis, necessitatem Redemptionis per Iesum Christum Crufixum et gratiae divinae denegat: religionem vero christianam et speciatim catholicam tantummodo creationem culturae semiticae et romanae ideoque indoli germanicae oppositam esse affirmat. Insuper asserit Auctor Vetus Testamentum iuventuti germanicae esse periculo morali, conceptum charitatis christianae degenerationem populorum secumferre, utpote quae infirmorum ac physice debilium curam gerit simulque prolis generationem ipsis permittit; sanguinem et genus, vulgo « Rasse », exhibet ac propugnat tanquam unicum elementum progressus culturalis;

novam religionem instituendam censet, fidei in Deum personalem substituendo atheismum purum seu pantheismum. Auctor praeterea exaggeratum et omnino radicalem nationalismum defendit, doctrinae necnon culturae christianae prorsus contrarium.

Et sequenti Feria V, die 8 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit. *Approbatio SS i (8 febr.).*

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Februarii 1934. *Dies decreti (9 febr. 1934).*

Iosue Venturi
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotatio

Praesentium decretorum istud singulare est, quod Suprema Congregatio facta de proscriptis libris relatione nos doceat cur libri merito damnati sint.

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

Hieronymus Mahieu (Excell. Ep.) — *Probatio Charitatis seu manuductio in vitam spiritualem.* Vol. (13 × 20), XIX-514 pag. Beyaert, Brugis 1934. 35 fr.

Introductio - Necessitas ac praestantia charitatis - De charitate erga Deum: De motivis diligendi Deum. De modo diligendi Deum. De praxi amoris Dei - De charitate erga proximum: De motivis diligendi proximum. De modo diligendi proximum.

T. Lincoln Bouscaren (S. I.) — *Ethics of ectopic operations.* Vol. (13,5 × 19,5), XV-191 pag. Loyola Univ. Press, Chicago, 1933.

The history - The doctrine - The facts - The argument.

C. Callewaert (I. C. D.) — *Liturgicae Institutiones.* Tract. I. De sacra Liturgia universim. Vol. (16 × 25), Ed. 3, VIII-192 pag. Beyaert, Brugis s. d., 25 fr. belges.

Definitio Liturgiae - Unio cultus liturgici - Historia Liturgiae - Fontes Liturg. Rom. - Liturgiae scientia eiusque methodus.

G. Vromant (C. I. C. M.) — *Ius Missionariorum.* Introductio et normae generales. Vol. (15 × 23), X-239 pag. Museum Lessianum, Louvain, 1934.

Prolegomena - De iure et officio fidei propagandae: Ecclesia habet potestatem et obligationem infidelibus evangelium ubique praedicandi. De subiecto fidei propagandae. Normae generales de fide catholica per orbem propaganda - De normis generalibus Codicis Iuris C.: De relatione inter ius Codicis et ius superius. De legibus ecclesiasticis. De consuetudine. De supputatione temporis. De rescriptis. De privilegiis. De dispensationibus.

Dom de Monléon (O. S. B.) — *Le Christ-roi.* Vol. (12 × 18, 7), VIII-126 pag. Téqui, Paris, 1933. 5 fr.

Le monde cherche un Roi - Le seul vrai Roi - La royauté du Fils de l'Homme - Le titre de la Croix - Le Christ, Roi du monde - Le Christ, Roi des Intelligences - Le Christ, Roi des Coeurs.

Félix (S. I.) — *La Destinée : Première retraite de N. D. de Paris.* Vol. (12 × 19), 6me Édit. X-334 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

La Destinée devant la vie humaine - Existence et certitude de la Destinée - La Destinée est hors la terre et le temps - La vie pour nous dans le temps n'est qu'un voyage vers la Destinée - Consequence du voyage de la vie - Dieu seul est la Destinée de l'homme.

*** *Dernière retraite du R. P. De Ravignan, donnée aux religieuses Carmélites du monastère de la Rue de Messine, à Paris, pendant le mois de Novembre 1857.* 7me Édit. Vol. (12 × 18,5), XII-268 pag. Téqui, Paris 1933. 10 fr.

Lusseau - Collomb (R. D.) — *Manuel d'études bibliques.* Tom. II. Les livres historiques de l'A. T. 1 Vol. (14, 5 × 23), 1166 pag. Téqui, Paris, 1934. 60 fr.

Introduction aux livres de l'Ancien Testament - Histoires des origines. Histoire d'Israel : d'Abraham à Moise. De la conquête de Canaan à la captivité de Babylone. De la captivité de Babylone à la ruine.

Benoît Attout (O. C. R.) — *Les premières pages de la Bible.* Vol. (12 × 19), 138 pag. Édit. de la Cité Chrétienne, Bruxelles, 1933. 24 fr.

La création - La chute originelle - Le déluge - Abraham.

Edward Montier — *Le Dimanche du Soldat. (Élévations et pensées).* Vol. (12 × 19), XI-136 pag. Téqui, Paris, 1934. 8 fr.

G. Bontoux — *Les aveux de J.-J. Rousseau sur des questions capitales de l'heure présente.* Vol. (12 × 19), 69 pag. Téqui, Paris, 1934. 2 fr. 50.

Quaestions religieuses - Quaestions sociales.

Petrus Vogt (S. I.) — *Mariae Sacrosanctae et Deiparae Virginis Vita.* Ex opere maiore Sancti Canisii. De Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice Sacrosancta. Brevius comprehensa ac mensibus festisque Mariae accommodata. Vol. (14,5 × 22, 5), VIII-232 pag. Marietti, Taurini, 1934. 7,50 lib. it.

C. d'Eschevannes. — *Pasteur : Sa vie, sa foi, son oeuvre* (Documents inédits). Vol. (12 × 19), XII-236 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

Enfance, Jeunesse, Mariage, Études - Succès - Découvertes - Patriotisme - Joies et douleurs - Vie et mort chrétiennes - Honneurs.

René Duverne. — *La tête déformée.* Histoire vraie d'un pauvre enfant. Vol. (12 × 19), 65 pag. Téqui, Paris, 1934. 2 fr. 50.

Ça va bien - Ça va moins bien - Hum! Hum! - Ça va mal - Ça va très mal.

II. - *Ex Periodicis.*

Collationes Brugenses 1933. — V. COUCKE. De absolutione sacramentali peccati venialis et peccati iam remissi. - De forma ss. Sacramenti. - De necessitate medii et praecepti divini sacramenti paenitentiae. — J. BRYS. De licentia scribendi in diariis periodicis. - Over de christelijke opvatting van den arbeid. - De censurarum absolutione. — E. WILLEMS. Over « trucjes » in zake kindertoeslag. — A. LEGRAND. De directione incipientium ad praxim meditationis. — A. DONDEYNE. De Ecclesia corpore Christi mystico.

Collectanea Mechliniensia 1933. — A. GOUGNARD. De temperantiae notione atque partibus. — P. GILLET. — De effectibus iuridicis aetatis iuxta C. I. C. — J. BLAES. Examen de conscience... à bâtons rompus. — A. VAN HOVE. Nieuwe gedachten over het sacrament der wijding. — 1934 Num. 1. — A. GOUGNARD. De humilitate. — A. CROEGAERT. De Missis votivis. — LE CLERCQ. La bénédiction apostolique aux mourants.

Ephemerides Liturgicae 1934. — A. RAES. (S. I.) - Le consentement matrimonial dan les rites orientaux. — Æ. C. (M. S. C.) - De gestibus sacerdotis et de incensatione in Missa. — BATTISTINI (C. M.) - De coetu fidelium simul respondente sacerdoti Missam privatam celebranti.

Estudis Franciscans. 1933. — JEAN RIVIÈRE. La doctrine de Scot sur la Redemption devant l'histoire et la théologie.

Revue de l'Aucam 1933. — P. CHARLES. Circulez !... — D. RINCHON. Les négriers belges au XVIIIe siècle. — A. GILLE. Entretiens en marge d'un discours princier.

Collationes Gandavenses 1933. — F. BLATON. Solvatur difficultas, legem ieiunii non amplius obligare quia nonnisi pauci eam observant. - De meretricii tolerantia publica et de « abolitionismo ». — O. SCHELFHOUT. De intentione in ministro ad valorem sacramenti. — De causalitate sacramentorum in fontibus theologicis.

Collationes Namurcenses 1933. — E. RANWEZ. Le désir de perfection chez le prêtre. - La perfection chez le prêtre. - De usu matrimonii. — A. COLLART. Character sacramentalis. — E. VOOSEN. De portione paroeciali. - De vigilantia Ordinarii loci iuxta c. 1519.

(Continuabitur).

PARS ALTERA

MONUMENTA

11. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla *Quod superiore*, 2 april. 1934

QUA UNIVERSALE EXTRA ORDINEM IUBILAEUM
ANNIS 1933-1934 ROMAE CELEBRATUM
AD TOTUM CATHOLICUM ORBEM EXTENDITUR

(A. A. S. 3 april. 1934, XXVI, 137 ss.)

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SS. D. gratulatur immensum exitum felicem iubilaei in medtis difficultatibus etiam oeconomicis: homines laudat, Deo gratias agit.

Quod superiore anno universale extra ordinem Iubilaeum indiximus ad undevicies saecularem memoriam recolendam peractae humani generis Redemptionis, quodque iam feliciter ad exitum deductum est, id, elutis expiatisque animis et a « terrestris huius incolatus domo » ad superna erectis, tot tantaque attulit beneficia divinaque solacia, ut temperare Nobis non possimus quin immortales Deo optimo maximo grates agamus. Vidimus enim per huius anni sancti decursum — quod quidem caelestis Numinis benignitati acceptum referimus — innumerabiles pene filios singillatim turmatim in almam hanc Urbem confluere, eosdemque et coram admisimus et paterno alloquio recreavimus. Idque ex omnium civium ordine factum: nempe ex operaria plebe, quae victum sibi cotidiano labore comparat; ex optimatibus civitatumque primoribus, qui in difficillimis horum temporum condicionibus videbantur — exemplum sane omni laude dignum — non tantum sibi sed suis etiam omnibus caelestem opem conciliare; ex iis, qui florenti aetate fruuntur atque ex iis, qui, senio prope confecti, romani itineris incommoda perpeti non recusarunt. Neque ex Italia tantum atque ex vicinioribus regionibus, sed ex transmarinis etiam terris con-

venerunt ac pene undique gentium; ita ut vetustissima Romae templa, sacra hypogea ac vel ipsae Urbis viae elatis resonarent canticis, quae fidelium turbae « ex omni lingua, populo ac natione » pientissime effudissent. Atque non rarum fuit, renovato veterum romaeorum more, homines ac mulieres cernere pedibus longo itinere suscepto, Romam advenire, communem Patrem invisuros, suorumque commissorum veniam impetraturos. Quos omnes paternis honestamus laudibus; eo vel magis quod, cum acerbum, quo tam diu angimur, rerum oeconomicarum discrimen nondum remiserit, peregrini ex hisce non pauci ad pium huiusmodi consilium ineundum deducendumque in usum, pergravibus debuerunt difficultatibus occurrere easdemque superare.

Cum tamen non omnes caelestis gratiae potuerint esse participes, aequum ducit, ex more recepto eos beneficio per integrum annum ornare.

Cum tamen non omnes, quibus cordi esset, Romam contendere potuerint, ad amplissimos potiundos caelestis gratiae thesauros, idcirco consentaneum ducimus ut, ex Apostolicae Sedis more institutoque, quae hac in alma Urbe usque ad hodiernum diem civibus atque advenis patuit iubilaris veniae facultas, ea per integrum annum ubique gentium vigeat. Quam ad rem salutariter assequendam, Ecclesiae administros adhortamur imprimisque Episcopos ut — opportunis habitis ad populum concionibus ac spiritualibus, ut aiunt, exercitiis sacrisque expeditionibus — christifideles quam plurimos ad sua cuiusque admissa per Paenitentiae Sacramentum eluenda et ad plenae huius indulgentiae beneficium lucrandum rite praeparent omnique ope permoveant. Eosdemque moneant ut ad mentem Nostram supplices Deo preces adhibeant. Hanc vero ad mentem quod attinet, praeter ea, quae per Apostolicas Litteras « Quod nuper » commendavimus, ut nimirum debita ubique terrarum libertas Ecclesiae restitueretur, ac populi omnes ad pacem, concordiam verique nominis prosperitatem revocarentur, hoc etiam cupimus ut christifidelium supplicationes studiose impetrent, ut perseverans nempe atque assidua Missionalium opera feliciora cotidie incrementa capiat, ac dissidentes universi ad unum Iesu Christi ovile auspicato reducantur.

Quare Ecclesiae ministri, in primis Episcopi rite praeparent Christifideles.

Mens ad quam vult ut orent Deum.

Maximeque oratione impediant mala timenda ex Dei osoribus.

Huic praeterea mentis Nostrae proposito aliquid etiam adiicere placet, quod Nobis summopere cordi est. Quandoquidem enim in regionibus non paucis teterrimi increscunt « Atheorum Militantium » nisus, qui, in caeleste Numen temerario ausu rebellantes, nefandum illud atque scelestum effatum, suum veluti insigne, iactant « Absque Deo, contra Deum! », idcirco valde opportunum putamus ut, per proximam piacularis huius anni ad universum catholicum orbem prorogationem, gravissi-

ma eiusmodi iniuria, Divinae Maiestati illata, precando expiandoque pro facultate resarciatur. Id faciant, quaesumus, christifideles omnes: id scilicet a misericordiarum Patre contendant, ut formidolosi horum pravorum hominum conatus, qui non modo religionem quamlibet, sed civilem etiam cultum verique nominis urbanitatem subvertere enituntur, tandem aliquando remittant atque incassum recidant. Id etiam suis precibus suisque piaculis impetrent, ut humani generis Redemptor obcoecatos eorum animos — infitiatorum dicimus osorumque Dei — caelestis luminis fulgore percellat, eosdemque suorum scelerum rubore paenitentiaque commotos, ad paternum amplexum misericorditer reducat. — Quam ad rem in animo Nobis est, antequam saeculares hae celebrationes concludantur, publicam in Vaticana Basilica supplicationem participare, eo nempe die, qui opportuno tempore praestituetur.

Ipse proponit ideo publicam in Vaticana Basilica supplicationem participare.

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, maximum divinae Redemptionis Iubilaeum, quod Romae celebratum est, ad universum catholicum orbem per Apostolicas has Litteras extendimus, ad Occidentâlem nimirum et ad Orientalem Ecclesiam, atque in integrum annum prorogamus; ita scilicet ut a die octava Paschatis huius anni, ad plenam usque diem item octavam Paschatis proximi anni MDCCCCXXXV lucrifieri possit.

Indictio iubilaei ab octavo die huius Paschatis, ad plenam diem octavam Paschatis anni futuri.

Quamobrem omnibus utriusque sexus christifidelibus etiamsi per elapsum annum sacrum Iubilaei veniam adepti iam sint, apostolica auctoritate Nostra plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam — ubique terrarum extra Urbem eiusque suburbium lucrandam — concedimus atque impertimus, obtenta prius ab iisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia, dummodo, rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et sacra Synaxi refecti, ecclesias vel publica oratoria, ad hoc designanda, statuto tempore pie inviserint. Quae omnia ad eas normas perficere debent, quae mox statuentur:

Quibusnam conceditur iubilaeum?

I. Locorum Ordinarii, sive per se ipsi, sive per probatos viros ecclesiasticos — quibus etiam, si libuerit, hanc potestatem per integrum anni spatium utendam permiserint — ad iubilares quod attinet visitationes agendas, in *episcopali urbe* cathedralem aedem ac tres alias ecclesias vel publica oratoria designabunt, in quibus, interdum saltem, eucharisticum sacrificium celebrari soleat; in *suburbio* vero et in *reliquis Dioecesis partibus* paroecialem cuiusvis paroeciae ecclesiam designabunt, atque, intra eiusdem paroeciae fines, tres alias ecclesias vel

I. Normae sequendae. *Locorum Ordinarii designant ecclesias per se vel per delegatos viros.*

oratoria, ut supra diximus. Id ipsum in Orientali Ecclesia Patriarchae aliique locorum Ordinarii per se ipsi faciant vel per ecclesiasticos delegatos viros; unusquisque autem pro sua eparchia vel dioecesi.

In regionibus Missionalibus, sine distinctione designabunt 4 ecclesias vel publica oratoria.

At in regionibus a Missionalibus excultis, locorum Ordinarii, nullo habito discrimine inter Ordinarii sedem ac ceteras territorii partes, quattuor ecclesias vel publica oratoria, ut supra diximus, in qualibet quasi-paroecia vel missionali statione designent.

II. *In singulis, tres visitationes peragendae sunt. Ubi desint oratoria sufficienti numero, visitationes in minore numero locorum sacrorum fiant.*

II. Quemadmodum per elapsi piacularis anni decursum Romae factum est, ita per proximi anni spatium tres sacrae visitationes habendae sunt in unaquaque vel unoquoque e quattuor ecclesiis vel publicis oratoriis designatis; idque sive eodem die, sive subsequentibus diebus; ita quidem ut christifideles, vixdum e sacra aede post actam visitationem egressi, iterum atque illico in eam ingredi queant ad alteram ac tertiam perficiendam visitationem. Quodsi quattuor alicubi ecclesiae vel oratoria publica desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, aut per se ipsi, aut per suos delegatos, decernere poterunt, ut praescriptas visitationes duodecim in minore aedium sacrarum numero peragi liceat; ita scilicet ut vel quattuor in tribus ecclesiis, vel sex in duobus, vel duodecim in una dumtaxat fiant.

III. *Preces recitandae.*

III. Ut vero quae in sacris hisce visitationibus effundentur preces ad divinae Redemptionis ac praesertim ad Dominicae Passionis memoriam fidelium animos studiosius referant atque excitent, haec, quae sequuntur, statuimus atque iubemus: praeter eas supplicationes, quae ultro pro singulorum pietate ad Deum admovebuntur, quinquies ante Augusti Sacramenti aram preces « Pater, Ave et Gloria » recitari debent ac semel insuper ad mentem Nostram; omnes dein ante Iesu Christi cruci affixi imaginem ter formulam « Credo » pronuntient, ac semel precatiunculam « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, etc. » vel aliam id genus; mox Deiparae Virgini se sistant atque septies inibi, dolores eius recolendo, salutationem Angelicam « Ave Maria » recitent, preculam semel adiiciendo: « Sancta Mater, istud agas, etc. » vel aliam eiusmodi; denique ad Augusti Sacramenti altare conveniant atque catholicam fidem usitata formula, « Credo » devote profiteantur. (Cfr Litt. Apost. « Quod nuper » d. 6 Ian. 1933).

Peculiares provisiones pro Orientalibus.

Ad Orientalem Ecclesiam quod attinet, christifideles, cum iubilares visitationes perficient, atque vel in Augusti Sacramenti, in Iesu Christi cruci affixi inque Deiparae Virginis honorem, vel ad mentem Nostram publicas fundent preces, vel

denique cum catholicam fidem praescripta formula profitebuntur, tum iis normis obtemperare debent, quas, pro diversis ritibus, eorum Patriarchis locorumve Ordinariis Sacra Nostra Congregatio, Orientali Ecclesiae praeposita, opportuno tempore impertietur. Praeterea singulis locorum Ordinariis fit facultas praescriptas in sacra visitatione preces in alias preces commutandi cum iubilaris haec visitatio privatim agitur. Itemque Orientalis Ecclesiae fideles, qui extra territorii sui fines commorantur, cum latini ritus peregrinis se adiungunt supplicationis formulas Latinis praescriptas adhibere poterunt; singillatim autem, sive proprii, sive latini ritus formulas iisdem recitare licet.

IV. Electio ecclesiarum *facienda ita ut, quantum fieri potest, preces possint fieri coram SS.^o Quid, ubi desit copia.*

IV. Quoniam vero nonnullae e recitandis precibus Iesu Christo eucharisticis velis delitescenti adhiberi debent, locorum Ordinarii curent ut, cum ecclesias vel publica designant oratoria, ea eligant in quibus Augustum altaris Sacramentum legitime asservari soleat; vel saltem in quibus, cum sacra visitatio peragetur, praesens haberi queat. Quodsi, ob peculiares locorum condiciones — quod praesertim in Missionalium regionibus continget — id fieri nequeat, nulla tamen e precibus, in iubilari visitatione praescriptis, praetermittatur. Quae autem supplicationes Iesu Christo Eucharistico admovendae sunt, eas christifideles Augusto Sacramento, etsi non praesenti, mente tamen atque animo venerabundi adhibeant; cum ob mirandum Eucharistiae donum grates habentes maximas, tum pientissimas praebentes satisfactiones ob iniurias eidem Sacramento illatas. Atque in his rerum adiunctis catholicae fidei professio ante Iesu Christi cruci affixi imaginem habeatur.

V. Facultas datur peragendi visitationes extra paroeciam.

V. Ut iubilares visitationes christifideles facilius instituere atque exsequi possint eis facultas datur easdem peragendi visitationes etiam extra paroeciae vel dioecesis cuiusque suae fines; in templis tamen pro unoquoque loco legitime designatis. Quo quidem, singula singulis referendo populis quoque Missionalibus demandatis conceditur.

VI. Quotiens lucrari possint iubilaeum.

VI. Decernimus praeterea ut, quemadmodum Romae per elapsum piacularem annum actum est, christifideles iubilarem hanc indulgentiam cum sibi, tum vita functis, toties lucrari possint, quoties imperata opera rite perficiant; ita tamen ut nulla pro altero iubilaeo acquirendo opera fieri queant, antequam incoata pro primo opera omnino absoluta fuerint.

VII. Statuitur de eis qui in

VII Ut autem iis consulamus, qui in peculiari rerum locorumque condicione versentur, haec statuimus quae sequuntur.

peculiaribus condicionibus versantur.

1. De nautis.

1. Nautae iique omnes qui navibus inserviunt, si navigium, in quo iter faciunt, sacellum habeat, ubi fas sit sacris operari, inibi poterunt iubilares perficere visitationes. Sin aliter iisdem concedimus ut, cum ad certam stationem se receperint, ibi, in quovis nempe templo, iubilares visitationes, praescriptas preces recitando, instituere possint.

2. De impeditis.

2. Locorum Ordinarii poterunt, aut per se ipsi, aut per ecclesiasticos delegatos viros, si qui impediantur ne visitationes, eo modo quo imperantur, obeant, vel harum numerum contrahere, vel ecclesias invisendas ad minorem item numerum reducere; vel denique sacras visitationes in alia pietatis caritatisve opera commutare, ad singulorum condicionem accommodata. — Impeditos autem heic intellegi volumus moniales, religiosas sorores, tertiarias regulares, pias feminas et puellas aliasve personas in gynaeceis seu *Conservatoriis* degentes; item anachoretas monasticum regularemve Ordinem profitentes et potius contemplationi quam vitae actioni deditos, ut Cistercienses Reformatos B. M. V. de Trappa, Eremitas Camaldulenses et Carthusianos; eos praeterea qui aut captivi sunt aut in carceribus custodiuntur; et ecclesiasticos vel religiosos viros, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis causa, detinentur. Impediti ii quoque censeantur, qui aut domi aut in nosocomiis sive morbo sive imbecilla valetudine laborant, et quotquot aegrotis adsunt; ac generatim ii omnes, qui certo impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant; aequo autem iure esse volumus operarios, quos in Constitutione « Qui umbratilem vitam die XXX mensis Ianuarii superiore anno data descripsimus; ac senes denique, qui septuagesimum aetatis annum excesserint.

3. Quibusnam numerus visitationum minor statui potest.

3. Ordinariis locorum pariter liceat — etiam per delegatos, ut supra diximus — minorem visitationum numerum praestituere, *a*) conlegiis auctoritate ecclesiastica probatis sive clericalibus, sive religiosis; *b*) confraternitatibus, piis sodalitatibus, atque iis tantummodo laicorum consociationibus, quarum sit catholica opera provehere; *c*) adulescentibus, qui in conlegiis vivunt, vel conlegia, institutionis educationisque gratia, aut cotidie, aut statis diebus celebrant; *d*) christifidelibus omnibus, qui, aut duce parocho vel sacerdote ab eo delegato, aut alio sacerdote duce — in locis tamen dumtaxat, ubi paroeciae legitime constitutae non sunt — visitationes peracturi sint. — Ea tamen lege Ordinarii visitationum minuant numerum ut ii omnes, quos nominavimus, instituta pompa, etiam sine suis insignibus, ad sacras invisendas aedes incedant.

4. Ubicumque autem, quavis de causa, ita incedendi per publicas vias facultas non erit. Ordinario loci eiusve delegatis liceat, ut supra, visitationum numerum contrahere ac reducere, modo intra aedis sacrae saepta aut pompa ducatur, aut saltem visitatio sollemniter communiterque fiat ab omnibus ibi una congregatis. Ordinarius autem loci eiusve delegati ab obligatione sacramentalis confessionis et sanctae Communionis nullum alium exsolvant, nisi quem ab alterutra gravis morbus prohibeat.

4. Quid ubi facultas incedendi per publicas vias desit.

VIII. Ad facultates quod pertinet, confessariis, ceteroquin ad iuris normam adprobatis, tribuendas, quibus in excipienda lubilaei confessione salutariter utantur, haec, quae sequuntur, decernimus.

VIII. Statuta circa facultates.

1. Confessariis illae integrae sunto facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quascumque ab Apostolica hac Sede vel in perpetuum vel ad tempus legitime impetraverint; id tamen intra concessionis terminos.

1. Servantur confessariis facultates.

2. Monialibus iisque aliis feminis quarum ad confessiones excipiendas, ex Codicis praescripto, specialis adprobatio Ordinarii requiritur, fas esto quemvis confessarium sibi eligere, ab eodem loci Ordinario pro utroque sexu adprobatum, apud quem lubilaei confessio peragi queat; cui quidem electo confessario concedimus ut, in excipiendis dumtaxat lubilaei confessionibus, omnes exercere possit facultates, quas ipse, vi Apostolicae huius Constitutionis, pro omnibus christifidelibus iam habeat.

2. Facultas de Monialibus.

3. Confessariis omnibus concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentali confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

3. Facultas pro casibus reservatis.

IX. At hisce amplissimis facultatibus ne utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

IX. Modus servandus.

1. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos, qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, d. XVI mensis Novembris, a. MDCCCCXXVIII (cfr *Acta Apost. Sedis*, vol. XX, pag. 398); vi cuius Decreti tamen, post

1. Observandus est can. 2254 et 900 ex decr. S. Paenitent. 16 nov. 1928.

etiam, obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

2. Absolutio praelatorum qui in excommunic. speciali modo S. Sedi reservatam, publice inciderint.

2. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleris saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

3. Absolutio haereticorum vel schismat. qui publice dogmatizarint.

3. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos.

4. Absolutio eorum qui sectis massonicis aliisve id genus nomen dederint.

4. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

5. Absolutio eorum qui bona vel iura Ecc.a sine venia acquisiverint.

5. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

6. Potestas in vota.

6. Possint iidem confessarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam solemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter

expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

7. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat. *7. Potestas in irregularitates.*

8. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu (sexto vel quarto iuxta computationem Orientalium) collaterali, etiam attingente primum (quartum vel tertium Orientalium), quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum. *8. Potestas in impedimenta matr.*

9. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia. *9. Potestas in impedimentum criminis.*

10. Ad visitationes quod attinet quattuor ecclesiarum, confessarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem a visitatione alicuius ecclesiae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Singulis autem, qui morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas ecclesias invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, commutent. Confessarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere. *10. Potestas circa visitationes.*

11. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimp'endam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat. *11. A confessione neminem dispensent.*

12. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici *12. Communionem nemini mutent nisi aegrotis impeditis.*

ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur.

13. Quibusnam possunt uti his facultatibus?

13. Confessarii sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Restrictio quod ad numerum.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris ac dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur; itemque tum solummodo, cum paenitens ab alio confessario, a die octava Paschatis huius anni, a peccatis et a censuris absolutus iam non fuerit, vel ab irregularitate dispensatus.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. 10 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

Quid de impeditis dum inchoarunt iubilaeum.

Ceterum, si qui post inchoata, huius Iubilaei adipiscendi animo, praescripta opera, praefinitum visitationum numerum morbo impediti complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem rite confessos ac sacra Communione refectos, memoratae indulgentiae participes fieri volumus, non secus ac si omnia imperata opera explevissent.

Itaque haec omnia, quae per Apostolicas has Litteras constituimus ac declaravimus, volumus firma ac valida exsistere et fore, ad effectum Iubilaei ad universum catholicum orbem proferendi, non obstantibus contrariis quibuslibet. Earum autem Litterarum exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo munitis viri in ecclesiastica dignitate constituti, eamdem iubemus adhiberi fidem, quae hisce adhiberetur Litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, voluntatis et declarationis infringere, vel ei, ausu temerario, contra ire. Quod si quis attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (2 april. 1934).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die secundo mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto, Pontificatus Nostri decimo tertio.

Fr. Th. Pius O. P. Card. Boggiani
Cancellarius S. R. E.

Laurentius Card. Lauri
Paenitentiarius Maior.

ANNOTATIONES

I. Iam antea, in his *Periodicis,* t. XIV, 1925, p. 148 dedimus Bullam *Servatoris,* qua 25 dec. 1925, hodiernus Pontifex extendit ad universum Orbem iubilaeum 1925. De qua extensione pluries locuti sumus, sive referentes quae historica notanda erant (t. XIV, (125). (126)); sive de condicionibus et annexis facultatibus (126-148); t. XV, (19). (20); (41-52) disputantes. Haec utiliter consultari possunt.

II. *Rationes extensionis iubilaei.* Dum laetus de magnificis fructibus iubilaei anni sancti, gratias agit Deo, simul crevit voluntas ut gaudium commune fieret etiam iis qui Romam contendere non potuerunt.

Iam ab anno 1500, regnante Alexandro VII, quaedam extensio iubilaei Romani ad alias regiones fieri coepta est per tempus minimum, puta per duas hebdomadas. Saeculo XVIII et XIX extensio sex mensium data est. Praesens Pontifex anno 1925 per Bullam *Servatoris,* et nunc voluit ut per annum integrum extenderetur iubilaeum.

III. Voluit autem ut christifideles, ope maxime episcoporum disponerentur ad sancta sancte suscipienda. Quae praeparatio fiet optime contionibus ad populum, spiritualibus exercitiis, sacrisque expeditionibus.

Monendi praeterea sunt ut supplices ad Deum preces dirigant ad mentem suam, quam iterum explicat ex Apost. Litteris « *Quod nuper* » 6 ian. 1933 (*Per.*, XXII, 1* ss.). Spectat autem: libertatem Ecclesiae, pacem, concordiam, verique nominis prosperitatem omnium populorum, incrementa Missionalium operum; reductionem dissidentium universorum ad unum Christi ovile.

His nunc addit studium precando expiandoque resarciendi, pro facultate, gravissimam iniuriam Deo illatam per Atheorum Militantium nisus.

Impetrent suis precibus, ut humani generis Redemptor ad paternum amplexum miseros istos reducat.

Ac S. Pontifex statuere proponit publicam in Vaticana Basilica supplicationem.

IV. *Ordinationes de extenso iubilaeo.*

1. Extenditur ad universum orbem *Latinum* et *Orientalem*. Extra Urbem tamen et suburbium.

Suburbium ab agro Romano distinguitur. Officialiis exstat huius distinctionis descriptio. Omnes paroeciae dioecesis Romanae sunt in Suburbio. Quaedam tamen, v. g. paroecia S. Pauli extra muros, limites ultra suburbium in agro romano extensos habent.

2. Per se vel per delegatos probatos viros ecclesiasticos, locorum Ordinarii designent in *episcopale urbe* cathedralem et tres alias ecclesias vel publica oratoria, in quibus, interdum saltem, eucharisticum sacrificium celebrari consueverit; — in *suburbio* et aliis dioecesis partibus, paroecialem aliquam ecclesiam, atque inter eiusdem paroeciae fines, tres alias ecclesias seu oratoria.

In *Orientali Ecclesia* idem faciant Patriarchae et alii locorum Ordinarii - *in regionibus missionalibus,* quattuor ecclesias vel publica oratoria in qualibet quasi paroecia vel missionali statione.

Quod si alicubi desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, per se vel per delegatos decernere possunt ut in minore aedium sacrarum numero duodecim visitationes peragi possint.

Per se enim sunt singulae ecclesiae *ter visitandae,* sive eodem die, sive in diversis diebus.

De ista designatione haec notanda sunt:

a) Non debent toto anno eaedem aedes sacrae designari.

b) Qui iubilaeum lucrari volunt possunt visitationes partim extra proprium territorium peragere (Cfr resp. *S. Paenitentiariae,* 15 ian. 1886. *Per.*, 1925, p. (133)).

c) Quantum fieri potest praeferendae sunt aedes in quibus interdum saltem celebratur missa.

Quid, si in loco ubi duae tantum sint ecclesiae, altera sine magno incommodo propter distantiam visitari nequeat?

Respondendum arbitramur, Ordinario vel delegato licere ut unam tantum viciniorem designet, per unam partem anni; alteram vero pro altera parte, si ambae ecclesiae habeant vicinum populum. Cfr *Per.*, 1925, p. (133).

Quid si nulla habeatur ecclesia? Ubique arbitramur esse loca ubi missionarii plerumque celebrent. Si re vera nullus habeatur, Ordinarius loci agere cum iure poterit sicut cum impeditis (cfr infra).

3. *Qua ratione visitandae sunt designatae aedes sacrae?*

Praeter preces uniuscuiusque devotioni permissas, debent singuli ante augusti sacramenti aram recitare quinquies *Pater, Ave, Gloria,* ac semel ad mentem Pontificis; ante I. C. cruci affixi imaginem, ter formulam *Credo,* ac semel precatiunculam « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, etc. » vel aliam similem; tum ante imaginem B. M. V., dolores eius recolendo, septies *Ave Maria,* et semel preculam, qualem « S.ª Mater, istud agas »; denique ad altare, SS. Sacramenti « Credo » devote profiteantur.

Quod ad *Orientales* si extra fines sui territorii commorantur, possunt vel publice se adiungere latinis, vel privatim recitare formulas ritus latini vel proprias. Alii Orientales iubilares visitationes perficient: iis normis in iubilaribus visitationibus obtemperare debent

quas, pro diversis ritibus, eorum Patriarchis vel locorum *S. Congr. Orientalis* impertietur.

Preces praescriptae non sunt omittendae. Ac facultas expresse datur visitationes peragendi extra fines paroeciae vel dioecesis, dummodo fiant in templis designatis.

Quid igitur dicendum est de Orientalibus qui in proprio territorio degunt, ubi tamen, v. g. Alexandriae, habentur etiam catholici ritus latini? Orientales isti possunt proprium ritum observare vel satisfacere condicionibus more latino.

4. *Quoties lucrari possunt indulgentiam iubilaei?*

Resp. Quoties opera praescripta impleverint. Neque ordo inter opera sequendus est ad valorem; sed nulla pro altero iubilaeo potest utiliter fieri actio antequam opera pro primo iubilaeo sint absoluta.

5. *Peculiaribus adiunctis quo pacto consulitur?*

a) Nautae perficere possunt visitationes in sacello navigii, si quodnam est, vel, si desit, in quolibet templo, ubi se ad stationem receperint.

Preces fundere debent praescriptas.

b) Cum impeditis possunt locorum Ordinarii minuere numerum visitationum, vel aliter commutare condiciones requisitas. Varia genera impeditorum numerant. Inter impeditos expresse ponuntur senes qui septuagesimum annum excesserint.

c) Possunt quoque locorum Ordinarii numerum visitationum minuere collegiis auctoritate ecclesiastica probatis, et omnibus qui duce parocho vel sacerdote ab eo delegato vel (ubi paroeciae legitimae constitutae non sint) alio sacerdote, visitationes peracturi sunt.

Ubi autem facultas non sit incedendi per publicas vias, possunt Ordinarii numerum visitationum minuere, dummodo intra aedem sacram pompa ducatur vel visitatio sollemniter communiterque fiat ab omnibus ibi una congregatis.

6. *De facultatibus.*

a) Sacerdotibus integrae manent facultates obtentae.

b) *Monialibus* et *assimilatis feminis* facultas datur eligendi pro confessione iubilari, sacerdotem in dioecesi approbatum pro utroque sexu. Confessarius iste habet facultates concessas vi iubilaei.

c) Confessarii possunt in actu sacramentalis confessionis ab omnibus censuris et peccatis, etiam si censura sit ab homine lata, absolvere in foro interno. Verum in modo utendi, debent observare communes condiciones recursus. Cfr can. 2254; 900. Quod observare specialiter debent si absolvendi sint praelati ordinaria iurisdictione in foro externo praediti, vel Superiores maiores Religionis exemptae, qui publice inciderint in excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam.

Haeretici vel *schismatici publice dogmatizantes* absolvi non poterunt nisi, abiurato saltem coram confessario haeresi vel schismate, scandalum reparaverint, vel promiserint se efficaciter reparaturos esse.

Pariter ii qui *sectis massonicis* aliisve id genus ascripti sint, debent ad can. 2336 § 2 denuntiare quos praelatos vel sacerdotes sectae ascriptos noverint, et cetera consulta implere; et qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisierint, debent sincere promittere se facturos compositionem.

Vota *privata* etiam reservata S. Sedi et iurata commutare in alia pia opera, ex iusta causa possunt. Ut liquet, excipiuntur vota cum praeiudicio tertii, nisi is expresse et libenter concesserit. Vota poenalia ne commutent, nisi in opus quod non minus arceat a peccato.

Irregularitatem ex delicto prorsus occulto dispensare possunt. Excipitur irregularitas ex homicidio vel abortu effectu secuto, nisi ut paenitens iam susceptos

ordines sine periculo infamiae aut scandali exercere possit.

Dispensare possunt, pro foro conscientiae et sacramentali tantum ad convalidandum matrimonium *ab occulto impedimento* consanguinitatis in tertio vel secundo collaterali (sexto vel quarto secundum computationem Orientalium), etiam attingente primum (quartum vel tertium Orientalium) (1) ex generatione illicite proveniente, et possunt simpliciter dispensare ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante, iniuncta renovatione consensus, secundum can. 1135, atque imposita in utroque, salutari, gravi et diuturna paenitentia.

Ob iustam causam cum impeditis possunt commutare visitationes ; sed solum in aegrotantium commodum possunt minuere preces dicendas.

Confessio nequit dispensari. Nec potest esse annua ex praecepto, vel non valida.

Communio per modum viatici sufficere potest, non autem quae in Paschate praescripta est. Nec commutari potest nisi cum aegrotis impeditis. Confessarii possunt uti facultatibus cum fidelibus Ecclesiae latinae et Orientalis.

Demum facultatibus uti possunt *pluries* cum eodem paenitente, excepta facultate absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris, et dispensandi cum eodem paenitente. His uti tantum semel possunt cum quis iubilaeum primum lucratur, qui a die octava Paschatis a peccatis vel censuris absolutus iam non fuerit, vel ab irregularitate dispensatus iam non fuerit.

Demum si qui inchoaverint opera et morbo impediti eadem complere nequeant, fiunt participes indulgentiae si rati confiteantur et communionem receperint.

---

(1) Pleraeque enim ecclesiae Orientales gradum definiunt, numeratis omnibus personis, ita ut duplicetur numerus latinus. Cfr exempla indicata in Bulla.

Iubilaeum lucrandum: prostat ab octava Paschae ad octavam Paschae.

Quaeret quispiam. Titius, iubilaeum nondum lucratus, post Dominicam in Albis absolutus est ab irregularitate. Nunc opus habet absolutione a casu specialissime reservato S. Pontifici.

Potestne absolvi?

Resp. Affirmative, quia ab iis nondum fuit absolutus. Ceterum facultas absolvendi a censuris reservatis non paucis est concessa confessariis sine huiusmodi restrictione, quae non afficit nisi usum facultatis iubilaei.

Quaeres praeterea. Licetne Sorori advocare pluries confessarium approbatum pro mulieribus?

Resp. Affirmative, quoties voluerit iubilaeum lucrari.

A. VERMEERSCH S. I.

---

12. — S. Paenitentiaria Apostolica

Monita 3 april. 1934

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS TRIBUTARUM PER ANNUM SANCTUM AD UNIVERSUM CATHOLICUM ORBEM PROPAGATUM DEQUE RATIONE INDULGENTIAE IUBILAEI LUCRANDAE, AD NORMAS CONSTITUTIONUM BENEDICTI XIV ET LEONIS XIII EXARATA, AUCTORITATE SS.MI D. N. PII PP. XI AD HODIERNAM DISCIPLINAM ACCOMMODATA EIUSQUE IUSSU EDITA.

(A. A. S. 3 april. 1934, XXVI, 149).

Ratio Monitorum.

Edita hesterno die Apostolica Constitutione « Quod superiore anno », per quam universale extra ordinem Iubilaeum ad totum catholicum orbem extenditur, summopere interest, ut quae in eadem decernuntur, accurate prudenterque in usum deducantur.

Ut vero id facilius ac tutius effici queat, SS. D. N. Pius divina Providentia Papa XI iussit, quemadmodum per elapsum

piacularem annum in confessariorum almae huius Urbis commodum, ita nunc in totius orbis confessariorum utilitatem haec, quae sequuntur, monita edenda esse, eademque edixit quam diligentissime ab omnibus esse servanda.

I. Erga quosnam utiliter possunt uti facultatibus confessarii.

I. Noscant imprimis in compertoque habeant confessarii se extraordinariis hisce facultatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

In quonam foro.

Confessarii his facultatibus in foro interno etiam extrasacramentali uti possunt dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus forum sacramentale expresse requiratur.

Peculiaris facultas parochorum.

Parochi tamen peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam Constitutionis « Quod superiore anno » sub n. IX, 10, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

II. Quoties usus permissio.

II. Facultas absolvendi a peccatis et a censuris ac dispensandi ab irregularitatibus hisce finibus continetur atque circumscribitur, ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur itemque tum solummodo, cum paenitens ab alio confessario, a die octava Paschatis huius anni, a peccatis et a censuris absolutus iam non fuerit vel ab irregularitate dispensatus (cfr Const. « Quod superiore anno », sub n. IX, 13). Itaque summopere necesse est confessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis, censuris, vel irregularitate irretito exquirere:

1° utrum iam iubilarem veniam, a die octava Paschatis huius anni, lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno piaculari vertente, a peccatis vel a censuris reservatis iam absolutus fuerit; atque id ipsum tum requirat, cum paenitens se sistat aliqua irregularitate irretitus.

Etenim si ipse a die octava Paschatis huius anni vel iam iubilarem veniam lucratus fuerit, vel iam fuerit a peccatis aut a censuris absolutus, vel denique ab irregularitate dispensatus, absolutionem et dispensationem eiusmodi iterum obtinere non potest.

III. Confessarii praediscant ac memoria teneant indicem peccatorum censurarum, paenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua, autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

III. *Usus necessarius c. 2254, 2290, 1045 § 3.*

IV. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

IV. *Iniungenda salutaris paenitentia.*

V. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

V. *Parti lesae debita satisfactio.*

VI. Confessarii, qui a censuris etiam publicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu Iubilaei beneficio frui quandiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

VI. *Quid agendum iis qui a censuris publicis absolvere possunt.*

VII. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

VII. *De peccato reservato ratione sui.*

VIII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo in can. 2342, prohibeant, sub paena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus paenis, de quibus sub n. 2 eiusdem canonis agitur.

VIII. *Quid si agitur de violantibus clausuram.*

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem

IX. *Quid de religiosis apostatis vel fugitivis.*

suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxius esse, etiam postquam redierint, aliis paenis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae paena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

X. De votorum commutatione.

X. Cum de votorum commutatione agitur, id latiore quadam ratione accipiatur, ita quidem ut confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare possint.

XI. De lectione librorum prohibitorum.

XI. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis paena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit; sin minus, se eos, cum primum potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XII. De sacris visitationibus commutandis vel dispensandis.

XII. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1° Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram ecclesiam aut oratorium invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam vel oratorium per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes duodecim semper habendas esse, quae proinde in reliquis ecclesiis vel oratoriis fieri debent. Dispensatio enim alicuius ecclesiae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

- Preces non sunt diminuendae.

2° Si quis vero, praeter dispensationem alicuius ecclesiae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles illis esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

- Quid si ecclesia sit clausa?

3° Si quis interdum, animo sacras visitationes rite peragendi, ad ecclesiae fores pervenerit, aditu ad eam iam clauso vel quavis de causa impedito, tum satis erit ad easdem fores

praescriptas preces recitare. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

4° Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitari possunt. Mutis vero can. 936 consulitur.

Vocales preces possunt alternatim recitari. Mutis providet can. 936.

XIII. Cum quatuor ecclesiarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte paenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

XIII. *Ne commutentur in opera iam praescripta.*

XIV. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis anni veniam imperatae nihil refert utrum visitationibus quatuor ecclesiarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

XIV. *Confessio et Communio quando?*

Haec *Monita* ad praesentis disciplinae condicionem accommodata, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in lucem edi iussit, ut constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximam piacularis anni ad totum catholicum orbem prorogationem.

Iussio S. Pontificis.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die III mensis Aprilis anno MDCCCCXXXIV.

Dies (3 april. 1934).

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

13. — S. Paenitentiaria Apostolica *(Off. de indulg.)*.

Ambo decreta de indulgentiis

(A. A. S. 10 mart. 1934, XXVI, 108)

DECRETUM

I. — PRECES INDULGENTIIS DITATAE

Laetus de fructu iam collecto, S. Pontifex,

Neminem latet quo pietatis studio, iubilari hoc anno, undevicesimo Reparationis nostrae exeunte saeculo, christifideles curaverint, specialissima veneratione ac cultu sacras imagines Iesu Christi cruci affixi prosequi, utpote aptissimas ad excitandum in eorum animis, cum memoria Dominicae Passionis, paenitentiam suorum peccatorum vitaeque emendationem.

in audientia 19 ian. 1934

Profecto haud poterat non summopere laetari Beatissimus Pater, qui hac praesertim de causa lubilaeum extraordinarium indixerat, de tanto pietatis ac amoris in Christum Redemptorem incremento; imo ardenti flagrans desiderio hos pietatis sensus erga Dominicam Passionem in populo christiano, quantum possibile Ipsi foret, fovendi ob uberrimos spirituales fructus qui exinde sperari queunt, in audientia die 19 ianuarii proxime elapsi infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, haec quae sequuntur statuenda decrevit. Scilicet benigne excipiens plurium supplicationes qui petebant ut peculiaribus indulgentiis augerentur sive apprime agnita oratio quae incipit « En ego, o bone ac dulcissime Iesu... » sive oratiuncula « Adoramus Te, Christe... » toties a fidelibus iubilari hoc anno pie repetita, alteri precationi « En ego... » — quae pro iis qui, confessi, sacra Synaxi refecti et ad intentionem Summi Pontificis orantes (1), eam coram imagine Iesu Christi Crucifixi pia mente fuderint, plenaria indulgentia iam est aucta — partialem indulgentiam decem annorum adnectere dignatus est, quoties eam devote et saltem corde contrito recitaverint; alteri vero precatiunculae « Adoramus Te, Christe... » partialem indulgentiam trium annorum item adnectere, quoties ea devote et saltem corde contrito recitata fuerit. Praesenti in perpetuum valituro,

novis indulgentiis adornat preces.

Clausula

(1) Cfr « Acta Apost. Sedis », vol. XXV, pag. 446.

absque ulla Litterarum Apostolicarum expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 2 Februarii 1934. *Dies (2 febr. 1934).*

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

II. — IN MEMORIAM IUBILAEI HUMANAE REDEMPTIONIS

SS.mus D. N. Pius, divina Providentia Pp. XI, ad finem fere anno iubilari vergente, qui sacratissimum Christi Redemptoris Cor nec non paternum Sui in terris Vicarii animum ineffabilibus consolationibus replevit, sponte sua indulgentiam quamdam peculiarem, quasi mnemosynon quoddam eiusdem extraordinariae celebrationis, christifidelibus omnibus dilargiri volens, in audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 16 vertentis mensis concessa, decrevit: Quoties fideles saltem corde contrito « Credo » una cum precatiuncula « Adoramus Te, Christe... » pio animi affectu in passionem ac mortem D. N. I. C. recitaverint, indulgentiam partialem decem annorum acquirere posse; indulgentiam vero plenariam, suetis conditionibus, semel in mense lucrari posse, si eamdem recitationem quotidie per integrum mensem peregerint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Litterarum Apostolicarum expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus. *Indulgentias concedit SS. D. recitantibus Credo, cum precatiuncula « Adoramus Te Christe ». Clausula*

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 20 Februarii 1934. *Dies (20 febr. 1934).*

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

14. — Commissio Pont. de Re Biblica

Decretum 27 febr. 1934

DE OPERE R. D. FRIDERICI SCHMIDTKE, CUI TITULUS « DIE EINWANDERUNG ISRAELS IN KANAAN ».

Cum quaesitum sit ab hac Pontificia Commissione de Re Biblica quid sentiendum de opere cui titulus Die Einwanderung Israels in Kanaan, *Vratislaviae anno 1933 a R. D. Friderico Schmidtke edito, ipsa respondendum decrevit:* *Quaesitum de opere edito a R. D. Frid. Schmidtke.*

R. D. Fridericus Schmidtke, Professor extraordinarius Veteris Testamenti in Facultate Theologica Universitatis Vratislaviensis, in volumine de quo supra: *Rationes criticae.*

de Pentateucho disserens, placita criticae rationalisticae sequitur, neglecto plane decreto Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 27 iunii 1906;

insuper, in historia Veteris Testamenti, nulla ratione habita decreti eiusdem Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 23 iunii 1905, genus quoddam litterarium adstruit traditionum popularium falsa veris admixta referentium; contra perspicua Sacrorum Librorum testimonia asserit, inter alia, narrationes de Patriarchis, saltem magna ex parte, historiam non hominum singularium sed tribuum exhibere; Iacob non esse filium Isaac sed repraesentare tribum quamdam aramaicam; nec totam israeliticam gentem, sed partem tantum, maxime tribum Ioseph, Aegyptum ingressam esse;

item, miracula plura Veteris Testamenti, vim textui sacro inferens, ut facta mere naturalia explicat.

Conclusio theoretica et practica.

Auctor proinde dogma inspirationis et inerrantiae biblicae, implicite saltem, negat; normas hermeneuticae catholicae penitus negligit; doctrinae catholicae Litteris Encyclicis « Providentissimus Deus » Leonis XIII et « Spiritus Paraclitus » Benedicti XV clarissime propositae contradicit.

Quapropter praefatum opus omnimodam reprobationem meretur et a scholis catholicis arceri debet.

Monita de obedientia praestanda Const. dogmat. Conc. Vat.

Hanc autem occasionem nacta, eadem Pontificia Commissio interpretes catholicos commonefacit ut, reverentia qua par est, pareant Constitutioni dogmaticae Concilii Vaticani, Decretum sacrosanctae Tridentinae Synodi renovanti, qua sollemniter sancitum est, « ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari ».

et de auctoritate Pont. Commiss. Biblicae.

Praeterea in mentem omnium christifidelium revocat quae de decretorum Pontificiae Commissionis Biblicae auctoritate Pius X s. m., Motu proprio « Praestantia Scripturae Sacrae », d. d. 18 Novembris 1907, edixit: « universos obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales

impugnent idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque, quibus in causa esse coram Deo possint, aliis ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis ».

Dies approbat. Pontif. 27 febr. 1934.

Die autem 27 Februarii 1934, in audientia infrascripto R.mo Consultori ab Actis benigne concessa, Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XI praedictum responsum necnon monitum rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

IOANNES BAPTISTA FREY, C. S. Sp., *Consultor ab Actis.*

---

15. — Exsequiae sollemnes Regis Alberti, in Cappella Papali

Die 28 febr. 1934

ORATIO PRONUNTIATA AB ANTONIO BACCI

Feria IV, die 28 Februarii 1934 in Sacello Sixti IV, Palatii Apostolici Vaticani, fuit Cappella Papalis ad sollemnes exsequias peragendas pro anima ALBERTI I Regis Belgarum. Expleta Missa, et ante Absolutionem super tumulum a SS.mo D.no Nostro peractam, R. P. D. Antonius Bacci, ab epistolis ad Principes, venia impetrata Beatissimi Patris, hanc habuit funebrem orationem.

Tristissimus nuntius mors inopinata regis Belgarum.

« **Cum tristissimum nuntium,** paucis ante diebus, nobilem perculit Belgarum gentem, Albertum nempe Regem ob funestum nec opinatum casum improvisa esse subitaque morte interceptum, tum urbes, tum oppida, tum vel ultimi illius Regni pagi ac viculi, veluti teterrima maestitiae nube offundi visa sunt, omnesque cuiusvis ordinis cives maximo fuere maerore confecti, quasi non supremum tantummodo publicae rei moderatorem, non in bellico dumtaxat discrimine strenuum invictumque ducem animosumque pacis adsertorem amisissent, sed patrem etiam amantissimum. Coram sacra augustae huius mortis maiestate, civilium etiam partium studia conticuere omnia; atque patriae caritas una, quae tantopere Regis vitam et operam incendit et aluit, Belgarum animos permovit.

Virtutes privatae et publicae Regis.

« Ac, reapse non una de causa desideratissimum hunc Principem sui cives venerabantur, summoque prosequebantur amore; in Eo siquidem non tam diadematis decus avitaeque

regii generis laudes enituere, quam egregiae animi dotes, quibus, auctoritate magis, omnibus praeire enitebatur. Si privatim enim, in sua agendi ratione, praeclarum exemplum exstitit, in quem sui omnes intuerentur; si in domestica vita nihil antiquius habuit, quam dilectos sibi filios et christiano more institueret, et ad officium, etsi arduum, obeundum totis viribus informaret; attamen, cum de Nationis suae fortuna, prosperitate libertateque ageretur, tum nec laboribus parcere, nec pericula defugere, nec suam ipsius periclitari vitam — qua erat animi strenuitate praeditus — non veritus est. Ita quidem ut gravissima ea Belgarum gentis tempestate, cum bellum fere ubique per universam Europam desaeviret, Albertus Rex, dux, Pater patriae ac veluti inclytum atque integerrimum Nationis suae insigne admirabundis omnibus haberetur.

Quid nunc faciebat in discrimine oeconomico.

« Atque in praesens, quandoquidem nondum residit, nedum conquiescit, acerbum hoc oeconomicarum rerum discrimen, quo omnes conflictantur populi communitatisque ordines, in tenuium aegritudines relevandas, in utiles locupletium providentias industriasque excitandas, inque publicae rei incrementa prove-henda, omni ope totoque pectore elaborabat.

Eius merita in Ecclesia.

« Quodsi, quemadmodum adhuc usque persequi placuit, multis de causis habent Belgicae gentes, cur Regem amantissimum complorent; at non minore afficitur dolore Ecclesiae, quae filium devotissimum christianumque veri nominis Principem desiderat. Ipsi etenim persuasum omnino erat patriae caritatem ex catholicae religionis observantia non minui, sed satius impensiusque flagrare; ex christianae legi obtemperatione non nobiles restingui animi sensus, sed augeri quam maxime; ex evangelica denique doctrina in sua luce collocata ac veluti fundamento posita, in qua hominum consortio niteretur, et vires per societatis venas permanare praestantissimas, et civilem coalescere confirmarique concordiam, et praesens etiam in aerumnis haberi solacium, in adversis rebus virtutis columen, in omnibus autem civitatis rationibus ordinem, prosperitatem, pacem. Quod quidem iudicium rectamque animi conscientiam non in privata solummodo Augusti huius Principis vigere vita, nec in ea ob inanem quemdam pudorem pavide delitescere, sed in apertum prosilire, et in publica amplissimae auctoritatis obeunda munera vim exercere efficacitatemque suam, ii praesertim gratulabantur, qui, frequentissimi utique, catholicam doctrinam in Belgica colunt, christianisque praeceptis obsequuntur.

Relationes cum S. Pontifice.

« Nihil igitur mirum si Albertus Rex, quae sibi populove suis curis concredito aut laeta aut tristia occurrerent, haec saepenumero, occasione data, cum Sanctitate Tua, Beatissime Pater, per officiosas litteras communicare sollemne habuit; atque abs Te in maestitia solacium petere, in rebus asperis incitamentum ac paternarum precum auxilium; in laetitiis vero ac gaudiis regiae Domus Nationisque suae Tecum una immortales Deo Optimo Maximo referre grates. Qua autem erat in Apostolicam hanc Sedem pietate atque observantia eximia, semel atque iterum Romam adveniens, Sanctitatem Tuam pientissimo filii animo invisit, atque abs Te cum sibi, tum Belgarum genti universae Apostolicae Benedictionis donum efflagitavit. Cuius quidem pietatis observantiaeque documentum exstat mirabilis ea Iesu Christi cruci affixi imago, quam Sanctitati Tuae mnemosynon praebuit suum, quaeque tam affabre tam pie divinam Redemptoris nostri caritatem praefert atque exprimit. Neque praetereundum est quod Ipse in amplissimarum Congi regionum utilitatem gessit, non modo ad mercaturas et ad commercia quod attinet, sed etiam ad ea omnia promovenda, ex quibus hominum vita excultior ac felicior efficitur; ac praesertim ad eorum Missionalium incepta tuenda fovendaque, qui procul dubio praestantiorem utilioremque in illarum gentium bonum navant operam.

Quae fecit in regione Congolensi.

« Quapropter cum, haud multis abhinc annis, ad Congi oras appulsus est illasque terras invisit, innumerae indigenarum turbae, eorum praesertim qui evangelico lumine ac gratia recreati fuerant, elato plausu effusisque gaudiis Eum per triumphum exceperunt; suique grati amantisque animi significationem Ipsi patefacere effrenato quodam, ut iisdem moris est, laetitiae studiosaeque voluntatis certamine contenderunt.

S. spes futurae vitae.

« Fas esto igitur omnibus dolori atque maerori modum imponere; atque ex hisce Alberti Regis egregie factis auspicium sumere laetioris, quo Ipsum frui confidimus, aevi, caelestis nempe felicitatis. Id praestat christianae spei virtus, qua edocemur terrestrem hanc vitam, si evangelicis praeceptis conformetur, alteram parere vitam, non angoribus item periculisque trepidam, non fallacibus aestuantem voluptatibus, sed firmam, perennem, ac deliciis affluentem sempiternis. Funereas igitur lacrimas cohibeant consanguinei necessariique omnes; abstergeant Belgici cives: catholica religio admonet mortuorum feretra esse veluti secundae aetatis incunabula habenda, qua felices omnes, favente Deo, una simul coniungemur; per mortem siquidem « vita mutatur, non tollitur, et dissoluta terrestris

huius incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur ». Perpetuo in ea laetetur, enixe rogamus, et per haec funebria sacra suppliciter impetramus, lectissima Regis anima; ex eaque suos respiciens omnes, eorum soletur fletum, dolorem relevet, spem denique erigat atque adaugeat.

Vota pro novo rege.

« Iamvero mihi liceat, antequam in hac sanctissima sede amplissimoque coetu dicendi finem faciam, ad Augustum Virum mentem animumque arrigere, qui Belgicae rei in praesens gubernacula tractat, ac tanti nominis tantaeque virtutis hereditatem suscepit. Prosequatur Eum, quaeso, per totius suae vitae cursum, suorum populorum pietas, observantia, studium; ac gentis suae videat — optatissimum hoc esto prudentiae navitatisque suae praemium — fortunam adauctam, roboratum pacem, florentiaque cotidie magis prosperitatis incrementa; illius, inquam, prosperitatis, cuius firmamentum sunt ac columen christiana virtus ac largius alacriusque in usum deducta evangelica praecepta; quandoquidem, ut Belgarum etiam historia docet, nihil magnum est unquam sine religione gestum ».

---

16. — Secretaria Status

Litterae 30 martii 1934 ad Card. Caietanum Bisleti

DE NOVO COLLEGIO BRASILIENSI

(E documento authentico)

Dal Vaticano, die 30 Martii 1934.

E.me ac Rev.me Domine Mi Obs.me

Vult Pontifex ut Card. Bisleti et moderatoribus et alumnis Collegii Brasiliensis novum Collegium gratuletur.

Tibi, dum auspicalis ritus agitur quo novum in hac Urbe Collegium Brasiliense feliciter dicatur, veluti Augusti Pontificis personam gesturo, Is pariter committit ut Suo Ipsius nomine Moderatores alumnosque eiusdem Collegii alloquaris, eisque faustissimum hunc eventum gratuleris, e quo tam laetas Brasiliensis Reipublicae spes percipere licet.

Episcopos et nuntium Apost. laudat qui collegium condendum curaverunt; laudat Brasiliensem gentem quae docilis Episcopis non parum contulit

Beatissimus Pater praecipua laude honestat omnes e Brasilia Episcopos, qui E.mo Cardinali Archiepiscopo S. Sebastiani Fluminis Januarii atque Apostolico eiusdem regionis Nuntio ducibus, summo studio sacrum hoc Collegium, in Urbe quidem catholici nominis capite, condendum curaverunt, quod non egregiis modo disciplinis institutisque retentis quae Pianum Americae Latinae Collegium, tantopere de Brasilia meritum,

tradidisset, sed eadem etiam ad peculiares suorum alumnorum condiciones componendo, sacros iuvenes veluti tenella germina ad Petri Cathedram educet, aliquando in nobilissima Patria sua Ecclesiae fulcimini atque decori futuros. Universam praeterea Brasiliensem gentem Sanctitas Sua dilaudat, quod Episcoporum suorum invitamentis magno animo obsecuta, non parum contulit ut amplae aptaeque aedes novo Instituto tribuerentur, quod procul dubio in singulare Brasiliae decus cessurum est. Atque ad eos adolescentes omnes iam nunc animum convertens qui in hoc Collegium ecclesiasticae institutionis gratia confluent, eos profecto felices praedicat, quibus datum erit, Patribus e societate Iesu sollerter periteque moderantibus, ad eam morum sanctimoniam scientiaeque doctrinam corformari, quae nostris hisce temporibus, si unquam alias, altaris administros divinorumque mysteriorum dispensatores quam maxime addecent.

splendori novarum aedium.

Alumnos felices praedicat ex magistris quos habebunt.

Atque non sine providenti consilio fit, ut huiusmodi opus, lectis sacerdotum agminibus Brasiliae comparandis conditum, quasi ad ostendendam institutionis suae rationem atque ad exemplar demonstrandum in quod iidem intueantur, apte eo die dedicetur qui indictam ad catholicum orbem Anni Sancti divinae Redemptionis prorogationem sequitur, eodemque anno quo unanimes Brasiliae populi, summis Moderatoribus suis praeeuntibus, quartum expletum saeculum sollemniter celebrant ab ortu praeclarissimi illius apostoli, Venerabilis Iosephi Anchieta, qui divi Patris sui Ignatii spiritu actus, Franciscum Xaverium, sodalem suum, in amplissima ea regione est aemulatus.

Agnoscit id opportune fieri eo die qui indictam ad catholicum orbem anni sancti prorogationem sequitur et anno quo Brasilia quartum expletum saeculum ab ortu Ven. Anchieta, celebrat.

Quas ob causas facile est intellectu quam propensa voluntate hoc Collegium Christi Vicarius prosequatur, cuius tantopere aedificationem exoptavit atque adiuvit, cuiusque Ipse primario lapidi bene precatus est; ac dum titulo ac privilegiis pontificii Collegii ipsum decorat, filiorum pietati benigne concedens, illud a Suo ipsius nomine Pianum appellari sinit.

Propensa voluntate, ipso Collegium titulo ac privilegiis Pont. Collegii decorat et sinit ut collegium appelletur Pianum.

Itaque laetissima haec ominatus Beatissimus Pater id tibi concredit ut adstantibus omnibus ac nominatim Moderatoribus atque alumnis Pontificii Piani Collegii Brasiliensis itemque Brasiliae Episcopis populoque universo, Apostolicam Benedictionem Suo nomine impertiri queas, quae quidem Benedictio, SS. Corde Iesu auspice, eiusque Immaculata Matre quam ab Apparitione vocant, deprecatrice, caelestium munerum sit pignus.

Facultas dandi Bened. ap.cam.

Quod tecum communicans maxima veneratione manus tuas humillime deosculor meque profiteor

Clausula.

Eminentiae Tuae
humillimum ac dev.mum servum verum
E. Card. PACELLI

ACTA SUMMATIM RELATA

17. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sollemnis canonizatio B. Mariae Bernardae Soubirous.

A. Festo Immaculatae Conceptionis B. V. M., die 8 dec. 1933, SS. D. N. sollemnem canonizationem peregit *B. Mariae Bernardae Soubirous*, virginis, cui innocentissimae puellae, ad Masabiellensem specum Deipara Virgo pluries se conspiciendam dedit ac illam ita materno animo adamavit, ut eidem, etsi humillimae ovium custodi, munus concrederet et suas efferendi glorias et homines ad paenitentiam revocandi.

Instans postulatio.

Pro more Cardinalis Praefectus S. Rituum Congregationis per advocatum Consistorialem *instanter* canonizationem postulavit. Secretarius litterarum ad Principes nomine S. Suae respondit, S. Pontificem exoptare perorationi eorum concedere, et cupere vehementer humano generi, novum heroicae virtutis exemplum proponere, nihilo secius velle, ut omnes, interposita deprecatione B. M. V. eiusque Sponsi, BB. Ap.rum Petri et Pauli, totiusque Curiae Caelestis, Deo instarent ut uberiorem superni luminis effusionem sibimet ipsi largiret.

Instantior.

Post cantatas Sanctorum litanias ad iteratam *instatius* postulationem responsum est nomine Pontificis hanc mentem ipsius esse, ut sententiam suam non ferret antequam Spiritus S. Paraclyti auxilius ab omnibus imploraretur. Praecinente SS. D. nostro cantatum est hymnus *Veni Creator*, cum congrua oratione. Facta est tertia *instantissima* postulatio. Cui responsum est ut omnes assurgerent et B. Petri oraculum locuturum audirent.

Instantissima.

Decretum et Definitio.

Tum in cathedra sedens SS. D. Mariam Bernardam Sanctam esse decrevit et definivit eiusque memoriam die natali eius 14 aprilis, recolendam iussit.

Missa et Homilia.

Celebrata est Missa Papalis, post cuius Evangelium S. Pontifex Homiliam pronuntiavit (*A. A. S.*, XXVI, 5).

Sollemnis canonizatio B. Ioannae Antidae Thouret.

B. Die 25 ian. 1934, S. S. D. N. simili modo sollemnem canonizationem peregit B. *Ioannae Antidae Thouret* virginis, quae virili fortitudine praedita fuit, ut ipsamet aperte profi-

teretur « se omnia prorsus perficere posse, quidquid a Deo praeceptum cognovisset, eius quidem virtute subnixa, etiamsi oporteret ad fines orbis terrarum contendere ». Singulari animi strenuitate, cum evangelica humilitate coniuncta, fuit, ac potissimum eluxit cum, grassante per Gailiam gravissima illa rerum commutatione, humana divinaque iura permiscente, a publicis magistratibus in crimen vocata, impavide firmissimeque respondit.

Novae dioec. Barranquillensis erectio.

C. Bulla *Carthaginensis in Indiis*, 7 iul. 1932, ad melius consulendum spirituali christifidelium regimini, ab archidioecesis Carthaginensis in Indiis territorio, in Columbiana Republica, universa regio *Atlántico* avellitur et separatur atque ex ea nova ac distincta erigitur dioecesis *Barranquillensis* nuncupanda ab urbe Barranquilla, in qua episcopalis sedes constituitur, illique iura, honores, praerogativae episcopalibus civitatibus propria conceduntur (*A. A. S.*, XXVI, 47).

Sedes episcopalis Aturensis transfertur.

D. Bulla *Ad rectum et utile*, 31 mart. 1933, Aturensis dioecesis episcopalis sedes et cathedra una cum Capitulo, ab Aturo urbe ad Aquam Augustam urbem, transferuntur (*A. A. S.*, XXV, 483).

E.mus Lega 10 explens ab inito sacerdotio lustra, gratulanti epistola honestatur.

E. Epistola *Quum perlibenter*, 14 sept. 1933, S. Pontifex E.mo P. D. Michaëli Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Lega, S. C. de Sacramentorum Disciplina Praefecto, dena ab inito sacerdotio explenti lustra, gratulatur eumque publice libenterque laudibus honorat (*A. A. S.*, XXVI, 18).

Finium abbatiae delimitatio.

F. Bulla *Abbatiae « Nullius » S. Mauritii Agaunensis*, 11 oct. 1933, fines territorii abbatiae *nullius* S. Mauritii Agaunensis definiuntur illique monasterium Agaunense cum annexo collegio et oratorio Dominae Nostrae de Saxo, domum Sororum S. Mauritii de *Verolliez* cum sacello S. S. Martyrum, orphanotrophium, ac senum hospitium, pluresque paroeciae assignantur (*A. A. S.*, XXVI, 50).

E.mus Minoretti ob L natalem sacerdotii, gratulanti epistola honestatur.

G. Epistola *Nobilissima cui praesides*, 1 nov. 1933, S. Pontifex E.mo P. D. Carolo Dalmatio, Tit. S. Eusebii, S. R. E. Presb. Card. Minoretti, ob L natalem sacerdotii eius, octavo simul impleto saeculo ab evecta dioecesi in Metropolitanam, gesta clarissimasque virtutes eius enumerans, gratulantis animi sui sensus suaviter aperit (*A. A. S.*, XXVI, 19).

Consistorium semipubl. 10 nov. 1933.

H. *Consistorium semipublicum*, die 10 nov. 1933, ad exquirenda suffragia de canonizatione B.B. Virginum Mariae Bernardae Soubirous ac Ioannae Antidae Thouret, habitum est.

S. S. D. noster, eas virgines, dicit, christianis virtutibus praefulsisse ut digne utiliterque non modo omnium admirationi, sed imitationi etiam, iure meritoque proponerentur. Exceptis vero adstantium suffragiis, Beatissimus Pater vehementer laetatur, magisque mentium animorumque concordia gratulatur, dies canonizationis peragendae praefinit, omnesque tandem adhortat ne ad Deum vota precationesque adhibere intermittant (*A. A. S.*, XXV, 481).

B. M. Bernardae Soubirous Sanctorum honores decernuntur.

I. Bulla *Quidquid Immaculatae*, 8 dec. 1933, B. Mariae Bernardae Soubirous e Congregatione Nivernensi sororum Caritatis et Institutionis christianae, Sanctorum honores decernuntur (*A. A. S.*, XXVI, 73).

Consistorium semipubl. 15 ian. 1934.

L. *Consistorium semipublicum*, die 15 ian. 1934, fuit, de canonizatione, Beatorum Ioannis Bosco et Pompilii M. Pirrotti a S. Nicolao Confessorum, itemque Beatarum Michaëlae ab Augusto Sacramento virginis et Ludovicae de Marillac viduae. S.S. D. noster suffragia excipit, laetitia consensionis illorum se affici dicit, dies canonizationis statuit, omnesque adhortatur ne, ad rem facile feciliterque exsequendam, caelestem opem Ipsi pecibus conciliare desistant (*A. A. S.*, XXVI, 45).

Ven. Servi Dei R. Gonzalez, A. Rodriguez et I. del Castillo Beati renuntiantur.

M. Brevi *Dei viventis militum*, 28 ian. 1934, Beati renuntiantur Venerabiles Servi Dei Rochus Gonzalez de Santa Cruz, Alfonsus Rodriguez et Ioannes del Castillo, omnes e Societate Iesu presbyteri, qui veterum Christi Apostolorum facinora aemulati, suo sanguine Evangelii praedicationem in America Latina obsignarunt (*A. A. S.*, XXVI, 88).

N. *Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Missionis de Bezwada erectio.

1. Brevi *Christi regno*, 10 ian. 1933, civiles districtus de Kistna et de Godavery occidentali, e dioecesi Hyderabadensi seiunguntur ac dismembrantur et, adiectis aliis civilibus subdivisionibus, nova erigitur missio *de Bezwada* nuncupanda (*A. A. S.*, XXV, 485).

Praefect. Apost. de Shundenhfu erectio.

2. Brevi *Supremum votum*, 2 mart. 1933, a territorio vicariatus apostolici de Chengtingfu novem sub-praefecturae civiles seiunguntur earundemque territorium in novam apostolicam praefecturam *de Shundenhfu* nuncupandam erigitur (*A. A. S.*, XXV, 486).

Praefect. Apost. de Chumatien erectio.

3. Brevi *Supremi Apostolatus*, 2 mart. 1933, ex apostolico vicariatu de Nanyangfu, in Sinis, atque ex praefectura de Si-

nyangchow, separato territorio, erigitur praefectura apostolica *de Chumatien,* clero indigenae committenda (*A. A. S.*, XXV, 487).

4. Brevi *Quod divinus Magister,* 3 mart. 1933, quinque praefecturae civiles ex vicariatu apostolico de Suifu, in Sinis, seiunguntur, ac praefecturae apostolicae de Yachow, quae ad dignitatem vicariatus apostolici evehitur, uniuntur (*A. A. S.*, XXV, 488). *Vicariatus Apost. de Suifu dismembratio ac vicar. de de Yachow erectio.*

5. Brevi *Comferimus non sine,* 6 mart. 1933, praefectura apostolica de Yungnien, in Sinis, ad dignitatem vicariatus apostolici evehitur, iisdem servatis finibus ac titulo (*A. A. S.*, XXV, 490). *Praefect. apost. de Yungnien in vicariat. Apost. erigitur.*

6. Brevi *Ea omnia,* 25 april. 1933, praefectura apostolica de Sinyangchow, in Sinis, in vicariatum apostolicum erigitur (*A. A. S.*, XXVI, 15). *Praefect. Apost. de Sinyangchow, in vicariat. apost. erectio.*

7. Brevi *Quae catholico,* 23 maii 1933, ut christianae fidei progressui aptius provideatur, dismembrato territorio e vicariatibus apostolicis de Bangueolo et de Nyassa, in Africa centrali, missio sui iuris *de Loangwa* nuncupata erigitur, curisque missionariorum Africae committitur (*A. A. S.*, XXVI, 16). *Missionis de Loangwa erectio.*

8. Brevi *Catholicae fidei,* 23 maii 1933, fines vicariatus apostolici de Antsirabé, in insula Madagascar, immutantur (*A. A. S.*, XXVI, 17). *Immutatio finium.*

18. — S. C. Consistorialis.

I.

1. Decreto 21 april. 1933, pagus *Rákóczitelep,* in Hungaria, a paroecia *Nagybátony* et ab archiodioecesi Agriensi separatur atque curatiae *Mátraverebély* paroeciae *Nagybárkány,* ad archidioecesim Strigoniensem pertinenti, perpetuo unitur (*A. A. S.*, XXV, 491). *Dioeces. Agrien. ac. Strigonien. finium mutatio.*

2. Decreto 19 maii 1933, pars septemtrionalis territorii paroeciae de *Crouzeilles,* in Gallia, ab eadem paroecia et a dioecesi Baionensi separatur atque paroeciae de *Madiran,* et dioecesi Tarbiensi ac Lourdensi perpetuo aggregatur (*A. A. S.*, XXVI, 56). *Baionen. Tarbien. et Lourden. dioeces. finium mutatio.*

3. Decreto 21 iul. 1933, vicus *Bosanska Unista,* a paroecia de *Bos. Grahovo* et a dioecesi Banialucensi avellitur atque paroeciae de *Kijevo,* ad dioecesim Sebenicensem pertinenti, perpetuo unitur (*A. A. S.*, XXVI, 21). *Banialucen. ac Sebenicen. dioeces. finium mutatio.*

Reginae Gradecen., Litomericen. dioeces. finium mutatio.

4. Decreto 9 dec. 1933, pagus *Bystré*, in Cecoslovachia, a paroecia *Libstát* et a dioecesi Reginae Gradecensis separatur ac paroeciae *Loukov*, dioecesis Litomericensis, aggregatur (*A. A. S.*, XXVI, 57).

II.

De consistorio semip. ad exquirenda suffragia.

Decreto 6 mart. 1934, decernitur Consistorium semipublicum die *decima secunda Martii* fieri, ad exquirenda suffragia pro canonizatione B. Iosephi Benedicti Cottolengo, confessoris sacerdotis, Parvae Domus a Divina Providentia fundatoris: B. Conradi a Porzham, confessoris, laici professi O. F. M. Cap. et B. Teresiae Margaritae Redi a S. Corde Iesu, virginis, monialis professae O. C. D. (*A. A. S.*, XXVI, 95).

Designationes tribunalium appellationum.

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Secundum Archiepiscoporum designationes appellabitur ad tribunal Ordinarii Cordubensis a tribunali E.mi archiep. Hispalensis (rescr. 25 nov. 1933; *A. A. S.*, XXVI, 23).

Ad tribunal Ordinarii Cardiffensis a tribunali E.mi archiep. Westmonasteriensis (rescr. 16 dec. 1933; *A. A. S.*, XXVI, 23);

Ad tribunal Ordinarii Winnipegensis a tribunali archiep. Sancti Bonifacii (rescr. 16 dec. 1933; *A. A. S.*, XXVI, 23);

Ad tribunal Ordinarii Augustani Vindelicorum a tribunali archiep. Monacensis et Frisingensis (23 ian. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 97);

Ad tribunal Ordinarii Clogheriensis a tribunali archiep. Armachani (24 ian. 1934; *A. A. S.* XXVI, 58);

Ad tribunal Ordinarii Kildariensis et Leighliensis, a tribunali archiep. Dublinensis (24 ian. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 58);

Ad tribunal Ordinarii Liverpolitani a tribunali archiep. Birmingamiensis (9 febr. 1934; *A. A. S.* XXVI, 97);

Ad tribunal Ordinarii Portus Gratiae a tribunali archiep. Sancti Ioannis Terrae Novae (16 febr. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 97).

19. — S. C. de Prop. Fide.

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

ORDINARII:	TRIBUNALIA:
Vicarius Ap. de Hanoi	designavit pro appellationibus
» » » Haiphong	Vicariatum Ap. de Thanh-Hoa
» » » Bac Ninh	» » » Buichu
	» » » Buichu

Praefectus Ap. de		Langson	Vicariatum Ap. de		Bac Ninch
Vicarius Ap. de		Phat-Diem	»	»	Hanoi
»	»	Thanh-Hoa	»	»	Vinh
»	»	Hung-Hoa	»	»	Hanoi
»	»	Buichu	»	»	Haiphong
»	»	Vinh	»	»	Thanh-Hoa
»	»	Hué	»	»	Quinhon
»	»	Kontum	»	»	Hué
»	»	Saigon	»	»	Phnom-Penh
»	»	Phnom-Penh	»	»	Saigon
»	»	Laos	»	»	Vinh
»	»	Bangkok	Diocesanum Malacense (13 nov. 1933; *A. A. S.*, XXVI, 61);		

Vicarius Ap. de Shiré designavit curiam vicariatus ap. de Nyassa (4 ian. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 62).

20. — S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis :

1. *Florentina.* Decretum 25 ian. 1934, super miraculis in causa canonizationis B. Teresiae Margaritae Redi a S. Corde Iesu, virginis monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum (*A. A. S.*, XXVI, 98). — *B. Teresia Margarita Redi.*

2. *SS. Assumptionis.* Decretum 25 ian. 1934, super dubio de *tuto* in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servorum Dei Rochi Gonzalez de Santa Cruz, Alfonsi Rodriguez et Ioannis del Castillo e Societate Iesu (*A. A. S.*, XXVI, 101). — *Ven. Servi Dei R. Gonzalez, A. Rodriguez et I. del Castillo.*

3. *Florentina.* Decretum 18 febr. 1934, super *tuto* in causa canonizationis B. Teresiae Margaritae Redi a S. Corde Iesu, virginis monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum (*A. A. S.*, XXVI, 104 ss). — *B. Teresia Margarita Redi.*

4. *Parisien.* Decreta 1 nov. et 12 nov. 1933, super miraculis in causa canonizationis B. Ludovicae de Marillac Viduae Le Gras, confundatricis Societatis Puellarum a Caritate (*A. A. S.*, XXV, 495 et 498). — *B. Ludovica de Marillac.*

5. *Lycien. seu Beneventana.* Decretum 12 nov. 1933, super miraculis in causa canonizationis B. Pompilii Mariae Pirrotti — *B. Pompilius M. Pirrotti.*

a S. Nicolao, confessoris sacerdotis professi Ordinis cler. reg. pauperum Matris Dei Scholarum Piarum (*A. A. S.*, XXVI, 26).

B. Maria Michaëla a S.mo Sacramento.

6. *Valentina in Hispania.* Decretum 12 nov. 1933, super miraculis in causa canonizationis B. Mariae Michaëlae a SS.mo Sacramento, fundatricis Sororum a SS.mo Sacramento et a Caritate (*A. A. S.*, XXVI, 29).

B. Ioannes Bosco.

7. *Taurinen.* Decretum 19 nov. 1933, super miraculis in causa canonizationis B. Ioannis Bosco, conf. sacerdotis et fundatoris Piae Societatis S. Francisci Salesii et instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*A. A. S.*, XXVI, 31).

B. Pompilius M. Pirrotti.

8. *Lycien seu Beneventana.* Decretum 26 nov. 1933, super *tuto* in causa canonizationis B. Pompilii Mariae Pirrotti a Sancto Nicolao, confessoris sacerdotis professi Ordinis cler. reg. pauperum Matris Dei Scholarum Piarum (*A. A. S.*, XXVI, 62).

B. Maria Michaëla a S.mo Sacramento.

9. *Valentina in Hispania.* Decretum 26 nov. 1933, super *tuto* in causa canonizationis B. Mariae Michaëlae a SS.mo Sacramento, virg. fundatricis Sororum Adoratricum SS.mi Sacramenti et a Caritate (*A. A. S.*, XXXI, 65).

B. Ioannes Bosco.

10. *Taurinen.* Decretum 3 dec. 1933, super *tuto* in causa canonizationis B. Ioannis Bosco, conf. sacerdotis et fundatoris Piae Soc. S. Francisci Salesii et instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*A. A. S.*, XXVI, 68).

B. Teresia Margarita Redi.

11. *Florentina.* Decretum 25 ian. 1934, super miraculis in causa canonizationis B. Teresiae Marg. Redi a S. Corde Iesu, virginis monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum (*A. A. S.*, XXVI, 98).

Ven. Servi Dei R. Gonzalez, A. Rodriguez, I. del Castillo.

12. *SS. Assumptionis.* Decretum 25 ian. 1934, super dubio de *tuto* in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servorum Dei Rochi Gonzalez de Sancta Cruz, Alfonsi Rodriquez et Ioannis del Castillo e Societate Iesu (*A. A. S.*, XXVI, 101).

B. Teresia Margarita Redi.

13. *Florentina.* Decretum 18 febr. 1934, super *tuto* in causa canonizationis B. Teresiae Margaritae Redi a S. Corde Iesu, virginis monialis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum (*A. A. S.*, XXVI, 104).

21. — S. Romana Rota.

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

ANNO 1933

I. *Causae iudicatae*

A. De matrimonio

	Impedimentum	Allegatum	Admissum	Negatum
Nullitatis	Amentia mulieris	1	1	0
	Clandestinitas	2	2	0
	Condicio apposita	4	1	3
	» contra bonum sacramenti	1	0	1
	» » prolis	1	0	1
	Consensus deficiens	4	1	3
	» » et clandestinitas	1	0	1
	» » et condicio appos.	1	0	1
	» » ob amentiam viri	1	0	1
	» » ob exclusionem boni prolis	1	0	1
	» » et vis et metus	1	0	1
	Exclusum bonum fidei	2	0	2
	» » sacramenti	2	1	1
	» » prolis	8	3	5
	» » » et simulatio consensus	1	0	1
	Impotentia mulieris	3	0	3
	» viri	5	0	5
	Simulatus consensus	1	0	1
	Vis et metus	29	18	11
	» » » et exclusio bonor. matr.	1	0	1
	» » » » » boni prolis	1	1	0
	» » » et simulatio consensus	1	0	1
	Nullitatis matrimonii (1)	1	0	0
	Dispensatio super rato	7	6	1
		80	34	45

(1) *A. A. S.*, XXVI, p. 122, omissa est causa.

B. De variis Argumentis

Ceterae causae fuere bis de Iuribus; semel de Diffamatione; semel de Nullitate Actorum et Sententiae.

II.

Causae quae eodem anno 1933 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	Impedimentum	Allegatum
Nullitatis	Amentia viri	1
	Consensus deficiens	3
	» » et exclusum bonum prolis	1
	Exclusum bonum sacramenti	4
	» » fidei	3
	Reiectio libelli	3
	Vis et metus	7
	Incidens nullitas matrimonii	1
		23

ALIAE CAUSAE

Iurispatronatus, Propretatis, Hereditatis, finem habuere sine definitiva sententia.

22. — Provisio Ecclesiarum.

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:*

Barranquilla (Indie). 21 nov. 1933, R. D. Aloisius Callistus Leiva Charry, cathedrali ecclesiae Barranquillensi.

Premislia del Latini. (Polonia). 25 nov. 1933, R. P. D. Franciscus Barda, cathedrali ecclesiae Premisliensi Latinorum.

Segni (Italia). 1 dec. 1933, R. D. Fulvius Tessaroli, cathedrali ecclesiae Signinae.

Meliapor (Africa). 4 dec. 1933, R. D. Carolus Le Sà Fragoso, cathedrali ecclesiae de Meliapor.

Cochim (India). 4 dec. 1933, R. D. Abilius Vas das Neves, cathedrali ecclesiae Coccinensi.

7 dec. 1933, R. D. Gabriel Piguet, cathedrali ecclesiae Claromontane. *Clermont (Francia).*

7 dec. 1933, R. D. Ioannes Baptista Megnin, cathedrali ecclesiae Engolismensi. *Angoulême (Francia).*

7 dec. 1933, R. D. Eduardus Menguen, cathedrali ecclesiae Pictaviensi. *Poitiers (Francia).*

7 dec. 1933, R. D. Iosephus Heintz, cathedrali ecclesiae Trecensi. *Troyes (Francia).*

7 dec. 1933, R. D. Henricus Bernard, cathedrali ecclesiae Elnensi. *Elne (Francia).*

13 dec. 1333, R. P. D. Stephanus Breyer, cathedrali ecclesiae Jaurinensi. *Györ (Ungheria).*

29 dec. 1933, R. D. Iosephus Cartaña Inglés, cathedrali ecclesiae Gerundensi. *Gerona (Spagna).*

13 ian. 1934, R. P. D. Adalbertus Sobral, Cathedrali ecclesiae Pesqueirensi. *Pesqueira (Brasile)*

27 ian. 1934, R. P. D. Raymundus Munita Eyzaguirre, cathedrali ecclesiae S. Caroli Ancudiae. *S. Carlo d'Ancud (Chile).*

1 febr. 1934, R. D. Didacus Gomez, cathedrali Pastopolitanae. *Pasto (Colombia).*

2 febr. 1934, R. D. Hyginus Serci, cathedrali ecclesiae Octeriensi. *Ozieri (Italia).*

10 febr. 1934, R. D. Moyses Kiley, cathedrali ecclesiae Trentonensi. *Trenton (S. U. A.).*

10 febr. 1934, R. D. Robertus Emmet Lucey, cathedrali ecclesiae de Aramillo. *Aramillo*

10 feb. 1934, R. D. Franciscus Keogh, cathedrali ecclesiae Providentiensi. *Providence (S U. A.).*

B. *Decreto S. Congr. de Prop. Fide nominatus est:*

27 nov. 1933, R. D. Hadrianus Devals, cathedrali ecclesiae Malacensi. *Malacca (Malesia Britannica).*

23. — Nominationes.

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

21 iul. 1933, R. D. Patricius Cleary, e Societate S. Columbani pro Missionibus exteris, Praefectus Ap.cus de Kienchangfu. *Kienchangfu (Cina).*

4 aug. 1933, R. D. Petrus Wang, Praefectus Ap.cus de Chumatien. *Chuma (Amer. merid.)*

26 oct. 1933, R. P. Alphonsus Van Sambeck, e Societate Missionariorum Africae, Superior eccl.cus Missionis de Loangwa. *Loangwa (Africa merid.)*

Isole di S. Pietro e Miquelon (America Sept.).

26 oct. 1933, R. D. Adolfus Poisson, e Congreg. Spiritus Sancti, Praefectus Ap.cus insularum S. Petri et Miquelon.

26 oct. 1933, A. D. Ignatius Krause, e Congreg. Missionis, Praefectus Ap.cus de Shuntenhfu.

Fonsiangfu (Cina).

26 oct. 1933, R. P. Silvester Wang, O. F. M., Praefectus Ap.cus de Fongsiangfu.

All'Art. VIII § 1: La Santa Sede consente che, verificandosi la vacanza dell'ufficio di Vicario Castrense, il Governo Federale, prima della designazione del successore, faccia alla Santa Sede medesima, in via confidenziale, per il tramite diplomatico, in modo non impegnativo, il nome dell'uno o dell'altro candidato, che appaia idoneo a tale ufficio. Anche ognuno dei Vescovi diocesani presenterà alla Santa Sede, analogamente a quanto è prescritto nell'articolo IV § 1 capoverso 2, una lista di candidati, che non vincola la Santa Sede.

All'Art. IX: Questo articolo non tocca le disposizioni dello Stato, con cui sono dichiarati giorni di riposo anche altri giorni.

Articulus de Festis non abrogat dispositiones Status quae aliis diebus imponunt requiem festivam.

All'Art. X § 3: La Santa Sede avrà cura che i confini delle provincie, a cui appartengono le case religiose, erette o da erigersi in Austria, vengano fatti coincidere, per quanto è possibile, colle frontiere dello Stato della Repubblica Austriaca.

Curabit S. Sedes ut fines provinciarum coincidant cum finibus Status.

Il Governo Federale prende atto della questione sollevata dalla Santa Sede di dare un nuovo assetto alle parrocchie che sono, in territorio austriaco, incorporate ad Ordini e Congregazioni religiose, o da esse amministrate, ed in modo particolare per quel che riguarda la permuta di alcune parrocchie regolari con parrocchie secolari, coopererà all'uopo, nei limiti delle possibilità finanziarie dello Stato, colle competenti Autorità ecclesiastiche.

Gubernium notat consilium ordinandi parochias quae nunc reguntur a religiosis Institutis.

All'Art. XI § 1: 1. Le vertenze relative alla questione se una chiesa od un beneficio siano soggetti a patronato oppure se un beneficio sia di libera collazione del Vescovo, come pure le vertenze in merito a chi spetti il patronato di una chiesa o di un beneficio, debbono essere decise dall'Autorità ecclesiastica secondo le prescrizioni del Codice di diritto canonico. Della relativa decisione dell'Autorità ecclesiastica deve essere informata con l'invio di un esemplare originale della decisione medesima la Suprema Autorità di Stato per il Culto.

Quaestiones de libera collatione aut patronatu ecclesiae vel beneficii debent definiri secundum ius canonicum.

2. La Santa Sede consente che tutte le cause circa prestazioni, reclamate in base ad un patronato esistente, siano decise, secondo le varie istanze procedurali, dalle Autorità di Stato per il Culto. Se, in simili cause, è impugnata l'esistenza dello stesso patronato, nè ancora vi è in merito alcuna valida decisione dell'Autorità ecclesiastica, la Santa Sede consente che le Autorità di Stato per il Culto, nel caso che un indugio

S. Sedes annuit ut causae de praestationibus postulatis circa patronatum, decidantur ab auctoritate Status de cultu. Atque, si res moram non pa-

tiatur possit auctoritas Status pro cultu, provisorie rem decidere.

arrechi pregiudizio, diano una ordinanza provvisoria, in base all'attuale pacifico possesso, o, se questo possesso non può essere subito provato, in base alle circostanze di fatto e di diritto sommariamente constatate.

Cautio de exprimenda facultate data personis iuridicis.

All'Art. XIII § 2. La Santa Sede darà istruzione agli Ordinari diocesani perchè nel e iscrizioni a catasto di negozi giuridici si aggiunga sullo strumento, previa verifica, una clausola che, da parte della Chiesa, nulla osta alla facoltà o all'obbligo di iscrizione a catasto, e che i rappresentanti degli enti giuridici ecclesiastici, che conclusero il negozio giuridico, erano a ciò autorizzati.

Gubernium plene liberas esse sinet consociationes quae pars sunt actionis catholicae. Status iisdem favebit.

Cavebit quoque ut in consociationibus iuvenum quas ipse erigit, iuvenes catholici possint digne explere officia religiosa et suam educationem secundum principia Ecclesiae.

In defendenda doctrina catholica, libertas preli non contrahetur.

All'Art. XIV: Alle Associazioni, che perseguono scopi principalmente religiosi e formano parte dell'Azione Cattolica e come tali dipendono dall'autorità dell'Ordinario diocesano, il Governo Federale accorda piena libertà di organizzazione e di attività. Lo Stato avrà cura che siano protette la conservazione e la possibilità di sviluppo delle organizzazioni giovanili cattoliche riconosciute dalle competenti Autorità ecclesiastiche e che nelle organizzazioni giovanili istituite dallo Stato siano assicurati alla gioventù cattolica il compimento, in modo degno, dei suoi doveri religiosi e la sua educazione in senso religioso-morale secondo i principii della Chiesa.

La stampa non sarà soggetta ad alcuna limitazione nella difesa delle dottrine cattoliche.

Provisiones de pecuniis etc. ad finem cultus possunt iudicari a Statu, donec nova ordinatio communi consensu non sit facta.

La Santa Sede consente che le vertenze relative ad obblighi di prestazioni, in denaro od equivalente, a scopi di culto — senza pregiudizio di quanto è stabilito nel capoverso 2 del Protocollo Addizionale all'articolo XI § 1 — siano, fino a nuovo regolamento da compilarsi di comune accordo, decise dalle Autorità civili, e cioè dall'Autorità di Stato per il Culto, con la procedura delle istanze ordinarie, quando tale prestazione è reclamata in base al motivo generale dell'appartenenza ad una società ecclesiastica; altrimenti dai tribunali civili. Se un indugio fosse causa di pregiudizio, si procederà, in via provvisoria, nel senso del capoverso 2 del Protocollo Addizionale all'articolo XI § 1.

Normae vigentes de erectione et conservatione ecclesiarum, etc. perseverant, exceptis mutationibus Concordati, donec nova ordinatio communi consensu facta sit.

Le norme ora vigenti nel territorio austriaco circa la erezione e la conservazione delle chiese e degli edifici appartenenti ai benefici, come pure circa somministrazioni finanziarie per altre necessità della Chiesa, compresa la legge del 31 dicembre 1894 (« Reichsgesetzblatt » n. 7 ex-1895), rimangono in vigore, con le modificazioni risultanti da questo Concordato,

fino ad un nuovo regolamento da compilarsi d'accordo fra la Santa Sede e lo Stato Austriaco.

Attendendae erunt expensae cancellariae, considerando quoque vires Status.

All'Art. XV § 3: A questo proposito, si dovranno pure prendere in considerazione, in quanto non si sia già ad esse altrimenti provveduto, le spese occorrenti al funzionamento delle cancellerie diocesane, avuto riguardo alle condizioni finanziarie dello Stato.

Reductiones non fient sine praevio consensu ob statum patrimonii Status.

All'Art. XV § 5: Non si faranno, per ragioni di ordine finanziario dello Stato, riduzioni, senza previo accordo.

Sunt abrogatae leges 7 maii 1874, nn. 50 et 51.

All'Art. XXII capoverso 3: Rimangono, fra le altre, con ciò abrogate, in tutta la loro estensione, le leggi del 7 maggio 1874 « Reichsgesetzblatt » nn. 50 e 51.

Dies (5 iun. 1933).

Città del Vaticano, 5 Giugno 1933.

L. ✠ S. EUGENIO Card. PACELLI

L. ✠ S. ENGELBERT DOLLFUSS
Bundeskanzler

L. ✠ S. KURT SCHUSCHNIGG
Bundesminister

ANNOTATIONES

Pluries iam licuit nobis exscribere in nostra ephemeride concordias initas inter S. Sedem et varias nationes; de quibus in enc. litteris 23 dec. 1929, post pacta Lateranensia, ut de laetissimis eventibus gaudet S. Pontifex (1). Ita, anno 1922, 30 maii, cum nova gente, factum est Concordatum cum Lethonia; 29 mart. 1924, cum Bavaria (*Per.*, 1925, p. 1 ss.); 10 febr. 1925, cum Polonia (*Per.*, 1925, p. 58 ss.); anno 1930, cum Bo-

(1) Anno 1919 prodiit collectio: « *Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le autorità civili* », Romae 1919. Refert textus 123 conventionum ab anno 1098 ad 1907.

De concordiis cum Lethonia, cum Bavaria et Polonia egit R. D. CLAEYS BOUUAERT, in *Collationes Gandavenses*, 1925, p. 85 ss.; R. D. A. VAN HOVE, in *Nouv. Rev. Theol.* t. 50 p. 132 ss. Et nos ipsi in *Per.*, 1930, art. *P. Leiber, P. Mostaza, Vermeersch*, etc.

russia, p. 107 ss.; anno 1930, rettulimus p. 97 ss. concordiam cum Rumania; anno 1929, cum re publica Lusitana (15 april.-3 mai, 1928), p. 76; anno 1928, 2 febr., modus vivendi cum re publica Cecoslovaca, p. 81; cum Lithuania, 27 sept.-10 dec. 1927, p. 97 ss.

Sed dum pleraque pacta conventa formalem de bono animarum et Ecclesiae sollicitudinem demonstrant ex parte Ecclesiae tantum, concordia cum Austria hac propria nota distinguitur quod utraque pars amico foedere bono vitae ecclesiasticae et religioni consulere voluerunt. Quare in hac conventione melius perspicitur quid S. Sedes libenter concedat, quid autem sibi reservare ad bonum animarum intendat.

Praesens conventio magis imitatur concordiam cum Polonia; plura tamen communia habet cum concordia cum Lithuania.

Ut facile perspicitur, praeter nominationem Antistitum, quam in omni concordia S. Sedes tutam et prudentem reddere conatur, ordinatio scholarum et leges matrimoniales praesertim S. Sedem occupant. Accedit dein libera administratio religiosorum et bonorum ecclesiasticorum.

Satis facile concedit cautiones de natione Antistitum et Superiorum religiosorum.

In nullo autem concordato habetur haec clausula generalis: « Cetera quae personas et bona ecclesiastica spectant componentur ad normam vigentis iuris canonici ». Ita in art. 22.

26. — S. CONGR. CONCILII
Auctoritate SS. D. N. Clementis Pp. XII
Litterae editae 30 aug. 1732

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS
PER ECCLESIASTICAS PERSONAS OBEUNDIS

(Romae, ex Typographia Rev. Camerae Apost. 1732)

Papa sollicitus ut sacerdotes et animarum Rectores magis ceteris scientia et morum excellentia praefulgeant.

Inter gravissimas Apostolici Ministerii curas, quibus assidue premitur, SS. D. N. CLEMENS XII. Pontifex Maximus, cuius instantia quotidiana est solicitudo omnium Ecclesiarum, in id praecipuo studio Sanctitas Sua incumbit, ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero Sacerdotes, et animarum Rectores, tum Sacrarum Litterarum, Divinarumque rerum scientia, tum etiam vitae, morumque honestate caeteris antecellant, ac in omnibus, iuxta monitum Apostoli, praebeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum enim ipsi sint sanctiora Ecclesiae membra, Dispensatores Mysteriorum Dei, Christiani populi Duces, et Magistri, mediatores inter Deum et homines, lucernae super candelabrum positae, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt; nihil est, quod alios magis ad pietatem, Divinumque cultum accendat, quam illorum vita, et exemplum: omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum oculos coniiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur. Porro diuturna experientia compertum est, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, et sanctimoniam, maxime conducere, ut Ecclesiastici Viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur; recte, sancteque vivendi norma, vel instituitur, vel confirmatur.

Utilitas in hunc finem exercitiorum spiritualium.

Quare Pontifex annuens, inhaerens vestigiis Clem. Pp. XI, omnes Ordinarios regionum subditarum Ispaniarum regi monet et hortatur, ut universum Clerum, praecipuo vero animarum Rectores etc. studiose excitent ad exercitia spiri-

Itaque Sanctitas Sua, precibus sibi per plures Hispaniarum Antistites humiliter oblatis benigne pro singulari suo Ecclesiasticae disciplinae conservandae zelo annuens, necnon vestigiis inhaerens san. mem. Clementis Papae XI, qui id ipsum, quod sequitur, per litteras Sac. Cong. Conc. datas die prima Februarii 1710 edixit, atque indulsit pro tota Italia et Insulis adiacentibus; omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios in omnibus Regnis et Ditionibus Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subiectis existentes admonet, atque hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex praedictis Spiritualibus Exercitiis per-

tualia peragenda in domo probanda ab ipsis Ordinariis.

cipitur, opportune proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subiecto, sed praecipue animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos, Chori servitio adstrictos, studiose excitent ad eadem Exercitia saltem semel in anno peragenda in domibus Religiosorum Societatis Iesu, vel in alia pia, seu Regulari domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, et approbanda. Ut autem alacrius ad eiusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus praefatis animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, et Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia, iuxta normam a Sancto Ignatio de Loyola eorum auctore, et institutore traditam, peregerint in domibus praefatis, ibique diu noctuque permanserint, ac interea temporis vere poenitentes, et confessi Sacro-Sanctum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis huiusmodi vacantes à residentia absolvit; Quod ipsum servari vult quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, et Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective Canonicatuum, et Beneficiorum distributiones quascumque, aliaque emolumenta, perinde ac si Choro, Divinisque Officiis personaliter interessent; dummodo tamen eadem Exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, et Quadragesimae temporibus, ac in sollemnioribus Festivitatibus, nec umquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed ea adhibita circumspectione, ut Chori servitium nequaquam intermittatur, et quoad Parochos, idoneis prius subrogatis Oeconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui interim animarum curam recte administrent.

Peragentibus exercitia, per decem dies iuxta normam S. Ignatii de Loyola plenariam indulgentiam concedit, parochos residentiae lege absolvit, Canonicis concedit emolumenta praesentium.

Ordinandis iniungit decem dies in domo ad id ab Ordinario loci probanda.

Praeterea, quamvis iam laudabiliter usitatum sit, quod ad Sacros Ordines promovendi prius huiusmodi Spiritualibus Exercitiis vacent; nihilominus, ut salubris haec consuetudo firmius retineatur, et diligentius servetur, Sanctitas Sua (quemadmodum san. mem. Alexander Papa VII constituit quoad initiandos Sacris Ordinibus in Urbe, et sex suburbanis Cardinalitiis Episcopatibus, itemque san. mem. Innocentius Papa XI quoad similiter promovendos in tota Italia, et Insulis adiacentibus), iniungit, ac praecipit, quod in omnibus Regnis, ac Ditionibus Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subiectis quicumque Clerici ad Sacros Ordines promovendi, praeter alia, quae a Sacris Cano-

nibus et Sac. Conc. Trid. Decretis sancita sunt, decem continuorum dierum spatio ante ordinationem, tam diurnis, quam nocturnis horis, permanere debeant in domibus Religiosorum Societatis Iesu, vel in alia pia, seu Regulari domo ab ipsis locorum Ordinariis ad id determinanda, Spiritualibus Exercitationibus praedictis assidue ibidem vacantes, et de omnibus ad digne suscipiendos, riteque exercendos Ordines requisitis sedulo erudiendi a directoribus peculialiter assignandis. Districte autem iubet eadem Sanctitas Sua, quod facta ab Ordinario assignatione, Religiosi in suas domos dictos Clericos promovendos ad hunc effectum recipiant, ibidemque iuxta tempus, et modum superius praescriptum retineant; solutis tamen, si opus fuerit, per ipsos Clericos congruis alimentis. De peractis vero pie, diligenterque huiusmodi Exercitiis testimonium de scripto edere iurati debeant Superior dictae domus, et Spiritualis Director eorumdem Exercitiorum, nec sine talibus litteris testimonialibus quisquam ad ullum Sacrum Ordinem promoveatur. Similem quoque testificationem de Exercitiis in suo Monasterio, seu Conventu peractis exhibere Episcopo Sacros Ordines collaturo ante ordinationem teneantur omnes Regulares ad eos assumendi.

Religiosi debent promovendos recipere, solutis congruis alimentis a Clericis.

De rite peractis exercitiis Superior domus et Director exercitiorum, iurati debent facere fidem, condicionem necessariam ordinationi.

Postremo itidem mandat Sanctitas Sua, ut praesentes litterae in singulis Dioecesibus praedictis statim promulgentur, et de facta promulgatione ab omnibus Ordinariis certior fiat Sacra Concilii Congregatio, quodque etiam ipsarum litterarum exemplum publice expositum in Cancellaria eorumdem Ordinariorum retineatur ad perennem eorum, quae in iis continentur, memoriam, et observationem.

Clausulae urgentes exsecutionem.

Datum Romae die 30 Augusti 1732.

Dies (30 aug. 1732).

C. Card. OTIGUS *Praefectus*

ANNOTATIO

Documentum istud Codicis scriptores fugisse videtur cum neque in notis, neque in Fontibus allegetur. Quare illud hic supplere visum est.

Observes in ipso Documento allegari documenta superiora Alexandri VII pro Urbe et Ecclesiis suburbicariis, et Clementis XI pro Italia et insulis adiacentibus.

Observes etiam normam S. Ignatii, qui auctor et institutor exercitiorum agnoscitur, magis servandam praecipi quam locum vel personas tradentium Exercitia.

---

27. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola Apostolica

SEPTIMO SAECULO EXEUNTE A DECRETIS LEGIFERO PATRI SANCTORUM HONORIBUS (1).

(A. A. S., 1 maii 1934; XXVI,227)

PIUS PP. XI

Memoratur canonizatio S. Dominici facta a Gregorio IX, nondum transacto 13 anno post eius mortem.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Inclytam ac perillustrem Dominici sancti familiam iusta suavissimaque laetitia affectam esse videmus, quod septimum iam saeculum impletur, ex quo magnus ille Conditor per Gregorium IX Decessorem Nostrum caelestibus honoribus auctus decoratusque est. Enimvero minime latuit aut dubia fuit Dominici Gusmani virtus atque praestantia, si decimo tertio anno post eius obitum nondum exacto, dignus plane est habitus, ut in sanctorum numerum referretur. Ceterum magnificentia ipsa muneris et amplitudo, quod Legifero isti Patri Deus sapientissimus tradidit obeundum, excelsam profecto ac singularem vitae sanctitudinem expostulavit.

Narratur calamitosum bellum catholicis gentibus illatum a secta Catharorum Albigensium.

In comperto est enim, duodecimo abeunte saeculo, bellum grave et calamitosum christianis gentibus et religioni ipsi divinae a potentissima Catharorum secta inlatum atque commotum. Haec nova ac teterrima Manichaeorum progenies quum in varias Europae partes aut aperte invadebat aut occulte serpebat, tum maxime in regione Galliae ad meridiem vergente, quae Occitania dicebatur, iam penitus insidebat. Pravae autem doctrinae fautores, ex Albiga civitate, prima illic haereticorum sede atque officina, Albigenses appellati, multorum principum dominorumque gratia et favore fruebantur; ex quo factum est, ut, nulla fere prohibente sacrorum pastorum sollertia ac virtute, ignoratione ipsa fidelium de religione maxime favente, complures catholici viri ac mulieres a genuina Christi Ecclesia ad perniciosam sectam deficerent. Atque illud imprimis fidelium mentes animosque alliciebat, quod nonnulli e Catharorum factione, qui quendam ritum seu « consolamentum » receperant,

(1) Ad R. P. Martinum Gillet summum magistrum Ordinis Fratrum Praedicatorum.

severiorem vitae disciplinam persecuti, austeris se iactabant virtutibus atque specioso nomine « perfecti » vocabantur. Ceteri vero — magna nimirum pars — qui, ritu illo ad extremum vitae potracto, « credentes » simpliciter dicebantur, omni lege morali solutos se esse arbitrabantur. Quare Albigensium secta, integritatis fidei morumque specie quidem fautrix, re vera perturbatrix pessima et corruptrix, magno christianae genti erat exitio. Neque enim de errore quodam agebatur, qui peculiari christianae fidei veritati adversaretur sed principia ipsa fidei doctrinaeque moralis capita in dubium revocabantur, nulloque discrimine inter bona et mala, inter virtutes ac vitia servato, fundamenta ipsa rationis humanae civilisque cultus in summum periculum adducebantur.

Haeresi obstiterunt plures, maxime sanctitate conspicui,

In tanto Ecclesiae discrimine providentissimus Deus praevalida auxilia sua deesse illi minime sivit. Romani ipsi Pontifices primo, litteris missis et legatis, plures pastores virosque apostolicos excitaverunt, ut tot damnis ab haereticis christianae genti illatis mederentur; deinde, collectis undique ex Gallia militibus cruce signatis, bellum indixerunt ad haereticos eorumque patronos reprimendos compescendosque. At vero auxilium, quod periclitanti christiano coetui maxime succurrit, simulque argumentum genuinae Christi Ecclesiae luculentissimum, exstitit sanctorum virorum virtus atque splendor, qui falsa adversariorum lumina offudit, viresque eorum et impetus labefactavit atque perfregit.

inter quos Dominicus Gusmanus,

Inter hosce heroicos viros excelluit Dominicus Gusmanus, qui ex Hispania in Galliam profectus, Albigensium haeresi summa contentione obstitit. Ipse enim mysteriorum Christi praedicatione, ferventi ad Deum precatione, humanarum rerum contemptione, plurimos ab Ecclesia dissidentes ad pristinam fidem revocavit. Neque electissimus vir post primos triumphos sibi requiescendum putavit. Inveterata enim mala funditus radices egerant, quae nondum erant avulsa; hostes vero semel profligati, se rursus erigere poterant et acerbam pugnam redintegrare. Oportebat igitur praesidia stabiliter constituere sacrasque militias comparare, quae semper instructae ac paratae resurgentes haereticorum impetus refellerent, fidemque Christi integram in populo tuerentur ac servarent. Haec Dominicus diu multumque secum meditatus, societatem instituendam censuit religiosorum, qui, tamquam copiae militum auxiliares ac mobiles, ubicumque Ecclesiae periculum impenderet, subvenire mature et efficaciter possent. Itaque, multis difficultatibus superatis, Ordinem Fratrum Praedicatorum condidit, quem Ho-

qui post primos triumphos instituendam curavit societatem religiosorum qui praesto essent ubicumque periculum Ecclesiae impenderet.

Origo Ordinis Praedicatorum memoratur.

norius Pp. III, sub peculiari sua tutela et patrocinio collocavit, eiusque sodales « vera mundi lumina » et « pugiles fidei » quasi divinando appellavit. Primum autem conditum est monasterium a S. Maria de *Prouille,* ubi quidem exstiterunt Rosarii Marialis ipsius incunabula. Plura deinceps alia monasteria in diversis Europae regionibus posita sunt, ut Tolosae, Lutetiae Parisiorum, Bononiae atque in Hispania, unde sanctus ipse Patriarcha ortum duxerat.

Ordinis munus

Nobilissimum autem praecipuumque istius Ordinis munus, ut ipsum monet « Praedicatorum » nomen, est Christi doctrinam publice exponere atque illustrare, ut fideles, divino verbo eruditi atque spe caelestium praemiorum illecti, Dei praeceptis iussisque Ecclesiae libenti voluntate obsecundent. At vero Legifer Pater optime intellexit praedicationem evangelii efficacem evadere non posse, nisi duo potissimum adiumenta eam praecedant eique comitentur, cotidiana nempe precatio Deo adhibita atque adsidua sacrarum rerum commentatio. Fusae enim suppliciter ad Deum preces superna dona facile conciliant, quibus oratorum sermo non in auribus tantummodo auditorum insideat, sed in imos penetret animos eosque fingat, formet, flectat; accurata autem divinarum rerum consideratio atque commentatio, quae e sacris Litteris inexhaustum quoddam pabulum ac robur percipit, argumenta praebet solidissima, quae sermoni humano divinam quandam affert virtutem. Propterea Dominicus Pater, qua singulari erat prudentia, Constitutiones novi Ordinis efficiens, plures quidem normas, quae ad officium canonicale et monasticam disciplinam spectant, ex aliis canonicorum regularium Ordinibus hausit, alias vero proprias condidit leges, quae ad peculiare suum propositum suamque ordinationem referuntur. Iure ergo in sacra Liturgia de Dominico legitur: « virum canonicum auget in apostolicum ». Quum autem divini verbi praedicatio cum sacrarum rerum studio tam arcte cohaereat, peropportunum ipsius Ordinis Conditori visum est, prima sodalium monasteria iis in civitatibus, quas supra nominavimus, collocare, ubi studiorum Universitates propriam sedem posuerant. Doctor enim ille, qui in aetatis flore Valentinae Universitatis discipulus fuerat, mature intellexit, quantum virium et efficacitatis conferat ad iura fidei Ecclesiaeque tuenda scientiarum sacrarum pervestigatio. Quare sollemne in vestro Ordine est nullam domum Praedicatorum constituendam esse absque « doctore ». Inter tot autem clarissimosque sancti Dominici filios, qui scientia ac virtute floruerunt, taciti omnino praeterire non possumus eruditissimos illos sanctissimosque

quod postulat cotidianam precem et assiduam sacrarum rerum commentationem.

Ad haec aptatae regulae.

Studia sacra quantum voluerit florere.

Nulla domus sine doctore. Nominantur tres summi: S. Albertus M. S. Thomas, Caietanus.

viros Albertum Magnum et Thomam Aquinatem, quorum alter per Nosmet ipsos « Doctoris Ecclesiae » titulo novissime est decoratus, alter, sacrae theologiae princeps, scholarum omnium catholicarum caelestis patronus a Leone Papa XIII immortalis memoriae est renuntiatus. Neque silentio premendum ducimus Thomam de Vio S. R. E. Cardinalem, quem Caietanum appellant, cuiusque proxime quater saecularis memoria ab eius obitu fauste recoletur.

Celebratur opus Missionarium Ordinis.

Neque tantum Ecclesiae filii, sed ipsi quoque infideles salutiferam Fratrum Praedicatorum vocem persenserunt. Primo iam anno, ex quo Sanctus Dominicus ex hac vita migravit, missionales dominicani in Graecia et in civitate ipsa Constantinopolitana exstitere; ex qua deinceps ad extremas Orientis plagas transierunt. Ex Hispania vero ad Africam appulerunt, et, America patefacta, trans Oceanum Atlanticum ad oras transgressi, infidelium indigenarum iura inter primos tutati sunt, ac religiosas sodalium domos, sicut alibi, constituerunt.

In praesens perseverat animarum studium.

Gloriosa autem Patriarchae Dominici progenies, tot saeculis tantisque vicibus laboribusque exagitata, pristinum animarum studium, veluti hereditario iure a maioribus traditum, praesenti quoque tempore in sodalibus suis alit ac fovet. Novae ipsae Ordinis Constitutiones, quae nuper latae sunt, non sunt profecto nisi quaedam priorum explicatio novis rerum adiunctis accommodata; ita ut dici possit naturam ac rationem ab ipso Conditore in sodalitate sua impressam ac signatam, tam longo temporis intervallo, numquam mutatam fuisse. Quamobrem Nos, qui sancti Dominici filios magna benevolentia complectimur ac patrocinium Ordinis proprium Nobis esse gloriamur, saecularia sollemnia, quae proxime peragentur, singulari studio ac delectatione participamus, omnesque Dominicanos sodales valde exhortamur, ut vestigia Patris sui fideliter prementes, sapientissimae eius leges ac statuta, diuturno usu atque exemplo tot prudentium sanctorumque alumnorum comprobata, pie diligenterque exsequantur.

Novae Constitutiones nuper latae non sunt nisi priorum explicatio novis adiunctis accommodata.

Hortatur ad ea pie diligenterque exsequenda.

Tempora postulant apostolicos viros, qui rerum divinarum studio et verbi Dei explanationi incumbant.

Nostra quidem aetate, non minus quam temporibus anteactis, Ecclesia apostolicos viros exquirit, qui, summa vitae integritate atque innocentia praediti, rerum divinarum studio solidaeque pietati ac verbi Dei explanationi potissimum incumbant. Haud secus ac duodecimo saeculo, nunc quoque plures ac nefasti de religione moribusque errores passim pervulgantur, et ipsa divina ac naturalia non raro aperte et publice contemnuntur. Homines fere ubique illecebris atque oblectamentis innumeris ad ea quae fluxa sunt existimanda excitantur, ad

quaerenda bona fragilia et caduca vehementer impelluntur, quasi eiusmodi in terris peregrinatio vera ac sempiterna esset vita. Necesse est igitur documenta divina iugiter meditari eaque studioso animo percipere, ut fideles plane in iis erudiantur, memoresque fiant mortalem hanc vitam viam esse ad meliora ac caelestia, quibus proprie nati sumus. Hodie gentes ac nationes divina subsidia parvi pendentes, humana plerumque auxilia et naturae adiumenta deposcunt atque expetunt; oportet ergo vitam supernaturalem intime persentire eaque delectari, divinumque auxilium cotidie efflagitare, sine quo nihil boni facere possumus. Neque in apostolatu tam nobili et frugifero perficiendo desunt vobis socii atque adiutores: habetis enim tot fidelium utriusque sexus consociationes, qui « tertiarii » vocantur, quosque omni virtute et religiosa doctrina exornatos esse convenit, ut « Actionem Catholicam », secundum normas ab Ordinariis locorum statutas, provehere efficaciter valeant. Iuvenes praesertim, qui Catholicae Actioni navare cupiant, sanam Ecclesiae doctrinam rectamque vivendi rationem mature perdiscant, ut proximos suos exemplo et sermone ad christianas virtutes colendas allicere queant.

In apostolatu socios habent « tertiarios » quibus commendatur Actio Catholica.

Auspicato autem contingit, ut faustus dies anniversarius, qui in honorem sancti Dominici recoletur, in mensem Iulium proximum incidat, paulo post Sanctum ipsum Annum, quem divinae Redemptioni dicare et consecrare voluimus. Etenim inter arma, quibus sanctus Dominicus ad emendandos haereticos usus est, ut probe noscunt fideles, validissimum exstitit Rosarium Mariale, cuius ritus a Beata ipsa Vergine exhibitus in omnes catholici orbis partes late est propagatus. Iam vero, undenam haec suavissima precationis ratio tantam virtutem accipit et efficaciam? Ab ipsis profecto divini Redemptoris mysteriis, quae pie religioseque contemplantur atque excoluntur; ita ut iure dici queat in Rosario Mariali exstare veluti principium ac fundamentum, quo ipse sancti Dominici Ordo innititur ad vitam sodalium perficiendam ad aliorumque salutem comparandam. Quapropter saluberrimam hanc precationis formam, qua copiosa Domini redemptio adsidue recolitur et caelestis Reginae favor quam maxime conciliatur, etiam atque etiam commendamus, vehementerque exoptamus, ut ea religiose custodiatur vel redintegretur consuetudo, quae apud patres viguit, quum familiis christianis id sanctum erat, ut Rosarii cultum alterna laude quotidie persolverent. Huius quidem communis precationis virtute spectata, optimam spem concipimus fore ut salutares Redemptionis fructus a singulis fidelibus,

Instans commendatio SS. Rosarii.

Spectata huius communis precationis virtute, spem concipit fore ut salutare Redemptionis

a christianis familiis, a civili ipsa consortione largissime percipiantur.

fructus a singulis fidelibus, a christianis familiis, a civili consortione largissime percipiantur.

Quorum interea caelestium donorum auspex sit et conciliatrix apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, ceterisque Dominicanis Fratribus, itemque universis Secundi et Tertii Ordinis sodalibus summa in Domino caritate impertimus.

Benedictio Apostolica universo Ordini primo secundo et tertio summa caritate impertit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI mensis Martii, pervigilio sancti Thomae de Aquino, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri decimo tertio.

Die (6 martii 1934) pervigilium festi S. Thomae.

PIUS PP. XI

---

28. — Suprema S. Congr. S. Officii

Decretum 9 mart. 1934

DAMNATUR LIBER FRIDERICI SCHMIDTKE (1) CUI TITULUS: « DIE EINWANDERUNG ISRAELS IN KANAAN ».

(A. A. S. 10 apr. 1934, XXVI, 180).

Feria IV, die 7 Martii 1934.

Dies conventus S. Congr.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Liber proscriptus.

FRIEDRICH SCHMIDTKE, *Die Einwanderung Israels in Kanaan.* Breslau, 1933.

Confirmatio SS.

Et sequenti Feria V, die 8 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (9 martii 1934).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Martii 1934.

I. VENTURI

Supr. S. Congr. S. Off. Notarius.

---

(1) Cfr infra, n. 35, explicationem in decreto Pont. Commiss. Biblicae.

29. — Suprema Congr. S. Officii

Decretum 17 martii 1934

PRAXIS QUAM DICUNT « QUADRAGINTAQUATUOR MISSARUM » REPROBATUR.

(A. A. S. 1 maii 1934, XXVI, 233).

DECRETUM

Nova devotio.

Nunciatum est, opera Patrum Minorum quos Bernardinos vocant, e conventu Ressoviensi in dioecesi Premisliensi Latinorum Poloniae Minoris, novam quamdam devotionis praxim quam dicunt *quadragintaquatuor Missarum*, per schedulas absque ullo competentis auctoritatis permissu typis editas, longe lateque ab aliquo tempore propagari, qua asseritur animam cui, dum adhuc in corpore esset, quadraginta quatuor Missae quovis modo ac tempore applicatae fuerint, *ex revelatione divina*, tertia die post mortem e Purgatorio liberari.

Conventus 14 martii 1934 reprobat praxim et sub poenis prohibet ne in hunc finem stipendia colligantur.

De re edocti, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales fidei morumque integritati tutandae praepositi, in generali conventu habito feria IV die 14 Martii 1934, praxim huiusmodi omnino reprobandam et ceu reprobatam habendam esse decreverunt, monitis quorum interest ne amplius in hunc finem Missarum stipendia accipere vel colligere audeant sub paena, ipso facto incurrenda, suspensionis a divinis, si clerici, privationis Sacramentorum, si laici.

Confirmatio SS.

Sequenti vero feria V, die 15 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit ac publici iuris quamprimum faciendam mandavit.

(Dies 17 martii 1934).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 17 Martii 1934.

I. VENTURI
Supr. Congr. S. Off. Notarius.

30. — S. Congr. Orientalis

Instructio 1 febr. 1933

PRO SACERDOTIBUS BYZANTINI RITUS SUPER LITURGICA BINATIONE.

(A. A. S. 10 april. 1934, XXVI, 181).

Memorato praecepto unius Missae tantum;

Bis in die Sacrum celebrare nusquam licet, nisi Apostolica Sedes vel per se vel per Ordinarium, gravibus de causis, facultatem scripto dederit.

normae sequendae ab habente facultatem:

Sacerdos, qui ex legitima facultate eodem die bis Sacrum facit, praescriptiones sequentes fideliter servet:

1. Comunionis reliquiae in 1.a liturgia.

1. In prima liturgia, cum tempus advenerit consumendi sacras Species quae post Communionem fidelium superfuerint, easdem de sacro disco directe sumat, aut una cum ceteris fragmentis diligenter colligat et in calicem iniiciat.

2. Cautio sumenda.

2. Dein pretiosissimum Sanguinem attente ac reverenter sumat, curans ne quid in ore et parietibus calicis remaneat. Quo vero facilius guttulae Sanguinis, forsitan calicis parietibus inhaerentes, in imum coalescant, calicem super prothesim deponat, et postea intus inspiciat num aliquid remanserit quod iterum sit sumendum.

3. Quid si secunda liturgia celebretur cum eodem calice et in eadem ecclesia.

3. Si secunda liturgia cum eodem calice et in eadem ecclesia celebretur, tunc sacerdos vinum et aquam ad purificationem perficiendam non infundat, neque calicem abstergat; sed ipsum purificatorio et velo cooperiat, et sic coopertum in prothesi relinquat usque ad secundam liturgiam; qua absoluta, calicem de more purificet. Digitos dein et labia aqua abluat, quam in aliud vas decens, ex metallo aut vitro confectum et ad hunc usum unice reservatum, transfundat et reponat. Ablutio autem sumi non debet, ne ieiunium sacramentale laedatur.

4. Quid si haec varient.

4. Si vero secunda liturgia in alia ecclesia aut cum alio calice celebretur, tunc sacerdos calicem, labia et digitos de more purificet et abstergat; ablutionem autem in aliquod vas transfundat et secum portet ut sumatur cum ablutione secundae liturgiae.

Quod si facile ablutionem secum ferre nequiverit, tunc illa in sacrarium immittatur, aut bombyce, lana vel gossipio absorbeatur, quae omnia exsiccata sedulo comburenda erunt.

5. Dilatio unius diei permittitur.

5. Ablutionem primae liturgiae sacerdos sumere poterit etiam postridie in prima ecclesia, cum secunda liturgia in alia celebrata sit.

[30]

6. Quid si alia ecclesia careat proprio calice.

6. Cum calix, qui primae liturgiae inserviit, purificatus fuerit vino et aqua, et purificatorio abstersus, in aliam ecclesiam deferri potest ad iterum celebrandum, si haec proprio calice careat.

7. Quid si adsit Diaconus.

7. Si adsit Diaconus, cum semel in die Communionem recipere queat, in hac unica liturgia in qua communicaverit, sacras Species panis et vini, quae superfuerint, ipse consumat; vasa vero sacra, labia digitosque abluat et ablutionem sumat iuxta rubricas liturgiae: sacerdos autem digitos et labia tantum purificet ut supra dictum est.

8. De stipendio.

8. Sacerdos pro secunda celebratione nullimode praesumat stipem accipere, ne turpis quaestus suspicionem praebeat, sed eam applicet vel pro populo, vel ad mentem Episcopi, vel suam. Fas esto autem aliquam retributionem ex titulo extrinseco percipere.

Dies (1 febr. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Orientalis, die prima Februarii anno 1933.

✠ A. Card. SINCERO, Episcopus Praen., *Secretarius.*

L. ✠ S. I. CESARINI, *Adsessor.*

---

31. — S. Congr. Concilii

Resolutio, in Romana, 4 febr. 1933

DIVISIONIS FRUCTUUM ET DISTRIBUTIONUM CHORALIUM

Die 4 Februarii 1933

Factum unde.

SPECIES FACTI. — Capitulum S. Mariae in Via Lata de Urbe, ex indulto Apostolico, nonnisi diebus dominicis et festis de praecepto, i. e. circiter per 80 tantum dies in anno, servitio chorali adstringitur. Qua de causa sequentia dubia huic Sacrae Congregationi proposita sunt solvenda:

Dubia.

I. Utrum divisio fructuum praebendae, sive haec in distributionibus tantum consistat sive non, in *dies naturales* an potius in *dies servitii* sit facienda in Capitulis ubi quotidianum chori servitium non exsistit;

II. Utrum distributiones quotidianae in praedictis Capitulis dividendae sint per *dies naturales* an per *dies servitii.*

Ius commune.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. — *Iure communi,* servitium chorale persolvendum est *quotidie,* sicut quotidie officium divinum

omnes clerici, sacris ordinibus initiati vel beneficio ecclesiastico praediti, recitare tenentur (can. 135, 410, 1475). Haec obligatio servitii choralis *singulis diebus* persolvendi obstringit tum Capitulum tum omnes et singulos canonicos ceterosque beneficiatos.

Duplex exceptio e iure particulari.

Iure particulari vero servitium chorale potest esse intermissum, seu non quotidianum, quod verificatur indulto S. Sedis vel fundationis lege. Huiusmodi oneris relaxatio habetur, vel quatenus, manente penes Capitulum obligatione quotidie divina officia persolvendi, singuli canonici aliique beneficiati non tenentur quotidie choro interesse, sed per turnum (i. e. mediariam, tertiariam, etc.) servitium praestant; vel quatenus obligatio quotidie persolvendi divina officia in choro cessat non solum pro singulis capitularibus, sed etiam pro ipso Capitulo, cum ex lege fundationis vel ex peculiari S. Sedis indulto divina officia in choro sint persolvenda statis dumtaxat anni temporibus, ex. gr., diebus dominicis et festis de praecepto.

Recolitur norma de conversione fructuum etc. in distributiones quotidianas, vel de casu ubi omnes praebendae fructus sint distributiones.

Ad norman canonis 395 § 1, in Capitulis in quibus nullae sunt *distributiones* vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, separanda est tertia pars fructuum, proventuum, obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque ecclesiae capitularis beneficiis percipiuntur, in quotidianas distributiones convertenda. Si vero omnes praebendae fructus in distributionibus consistant, tunc distributiones ipsae in tres partes dividendae sunt, quarum duae tertiae partes locum tenent praebendae huiusque reditus repraesentant; tertia autem pars in quotidianas distributiones impendenda erit (cfr can. 418 § 3; 421 § 2). Quae disciplina etiam ante Codicem vigebat (cfr Conc. Trid., sess. XXI, cap. 3, *de reform.;* Pitonius, *Disceptationes ecclesiasticae*, discept. 34, n. 1; Garcia, *De beneficiis*, parte III, cap. 2, n. 440).

Quandonam mulctae pecuniariae locum tenent distributionum.

Ubi distributiones quotidianae non habentur, Episcopus in dignitates, canonicos et ceteros beneficiatos a choro illegitime absentes statuere debet mulctas pecuniarias, quae « distributionibus respondeant eorumque locum teneant » (can. 395 § 2).

Fructus praebendae dividendi sunt in dies naturales.

Si chorale servitium sit quotidianum, palam est fructus praebendae, sive consistant in distributionibus tantum sive in bonis peculiaribus et distinctis, dividendos esse in dies naturales, quia beneficium datur propter officium sacrum, quod in casu quotidie impleri debet. Igitur fructus praebendae dividendi sunt in 365 partes.

At etiam ubi servitium chorale non est quotidianum, vel ex legis fundatione vel ex speciali indulto S. Sedis, divisio fructuum praebendae in dies naturales est facienda, nam reditus

beneficiales non sunt adnexi servitio chorali, sive quotidiano sive non, sed titulo sive officio. Nam officium sacrum, subiective spectatum, ut ait Wernz, *Ius. Decret.*, tom. II, n. 240, est: « ius clerico a competente Auctoritate ecclesiastica legitime concessum nomine proprio et stabili quadam ratione exercendi iura et onera spiritualia ex institutione Christi vel Ecclesiae gradui iurisdictionis adnexa. De ratione igitur stricti officii ecclesiastici est ordinaria quaedam potestas ecclesiastica, quae quamvis primo loco et propriissime in officio ecclesiastico comprehendat iurisdictionem ordinariam, tamen iura quoque ordinis et administrationis adnexa includit, si verbum officii ecclesiastici absolute et simpliciter adhibeatur ».

Item Schmalzgrueber, lib. III, part. I, tit. IV, n. 76, ad dubium: « quomodo distributiones quotidianae distinguantur a fructibus praebendarum », sic respondit: « quod vero fructuum nomen, ut plerumque solet, sumatur specifice, plurimum ab illis distributiones quotidianae differunt; nam fructus in hac significatione sunt proventus annui, qui *in fixo* consistunt, et a canonicis propter annuam residentiam dantur absque respectu ad singulas in choro praesentias ». Contra distributiones quotidianae non consistunt *in fixo*, sed cum ratione interessentiae in divinis dentur, ab aliquibus plures, ab aliis pauciores percipiuntur, prout quisquis frequentior, vel remissior in divinis fuit ». Et Leurenius, *Forum beneficiale*, lib. I, quaest. IX, sic explicat: « Porro dum (fructus praebendae) dicuntur dari ob spirituale officium, vel etiam, ut Lott., l. c., n. 25, ait, ob spiritualis officii temporalem retributionem, ita accipiendum non est, ac si dentur in compensationem et pretium, sed in sustentationem talium personarum, ut eae a cura sibi providendi liberae, Deo melius vacari queant; Garc., X, p. 1, c. 2, n. 60 ».

Distributiones proprie dictae dividendae sunt per dies servitii.

Quoad vero *distributiones* proprie dictas, manifestum est eas per *dies servitii* dividendas esse. Id ex ipsa earum natura patet. Nam distributiones sunt quaedam stipendia seu emolumenta ob singulas praesentias in choro assignata, i. e., portiones ecclesiasticorum redituum, quae inter capitulares praesentes dividuntur. Attenditur proinde praesentia, quae potest esse vel physica seu realis, vel iuridica seu per fictionem iuris, quatenus quis revera a choro abest, at nihilominus censetur a lege uti praesens in ordine ad fructus praebendae percipiendos vel etiam ad distributiones lucrandas. Porro praesentia supponit necessario chorale servitium, et cum eo ita absolute stricteque coniungitur, ut ad illo seiungi nullo pacto queat, cum eatenus

quis censeatur praesens vel absens, quatenus intersit necne chorali servitio.

Hinc est quod ex Concilio Tridentino (Sess. XXI, cap. 3, *de reform.*) distributiones dicuntur dividendae « inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes », seu inter capitulares: « qui statis horis interfuerint » (Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*, can. 394 § 3, 395).

Distributiones quotidianae percipiuntur quotidie, et pro singulis horis, inter praesentes quibusdam tantum diebus et pro peculiaribus functionibus, et tam illae quam istae nonnisi *ratione servitii choralis.* Unde Barbosa (*De canonicis et dignitatibus*, cap. 21, n. 5) docet: « tribuuntur (distributiones) illis dumtaxat, qui ecclesiis inserviunt et pro ratione servitii ». Proinde ambigendum non est quin distributiones huiusmodi dividendae sint in dies servitii.

Resolutio.

RESOLUTIO. - His itaque perpensis, in plenariis huius Sacrae Congregationis comitiis diei 4 Februarii 1933 proposita sunt dubia:

I. *Utrum duae tertiae partes distributionum, quae locum tenent praebendae, dividendae sint per dies naturales, an per dies servitii, in casu;*

II. *Utrum distributiones quotidianae dividendae sint per dies naturales, an per dies servitii, in casu.*

Porro E.mi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Confirmatio SS.i.

Facta autem postridie Ss.mo D.no Nostro Pio Pp. XI per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. BRUNO, *Secretarius.*

---

32. — S. Congr. Concilii

Resolutio in Sedunensi 15 iul. 1933

INCARDINATIONIS

(A. A. S., 1 maii 1933, XXVI, 254)

Facta narrantur cuiusdam Socii Soc. Lugdun. pro missionibus ad Afros,

FACTI SPECIES. — Quidam N..... anno 1838 ingressus est Societatem Lugdunensem pro missionibus ad Afros, in qua, praestito iuramento perseverantiae, die 7 Iulii 1910 sacerdos ordi-

natus est. Per aliquot annos, Lugduni, in Seminario eiusdem Societatis officio magistri functus est, usque dum, exorto immani bello, in castris fuit ut infirmarius et cappellanus militum.

Pace composita, anno 1919, in Societatem reversus est, et paulo post instare coepit et penes Moderatorem generalem et penes Sacram Congregationem de Propaganda Fide ut a iuramento emisso liber evaderet, e Societate discedendi causa. Sacra Congregatio tamen, ut moris est, eundem certiorem fecit ut Episcopum benevolum receptorem antea invenisset, et litteris, die 4 Aprilis 1930 ad Sacram Congregationem Concilii datis, haec retulit: « Egli (*sacerdos de quo agitur*) chiese per la prima volta nel Settembre 1919, e quindi nell'Aprile 1920, la dispensa dai voti emessi nella Società delle Missioni Africane di Lione; ma questa S. C. ambedue le volte gli significava che per ottenere la suddetta facoltà era necessario che esso avesse trovato un Vescovo disposto ad accettarlo nella sua diocesi, dal quale eventualmente si fosse fatto rilasciare un certificato di incardinazione da trasmettersi alla Propaganda. Non avendo il detto sacerdote rimesso quanto gli era stato richiesto, la dispensa dai voti (idest a iuramento perseverantiae) non è stata mai a lui concessa ».

qui contendit se esse implicite incardinatum in dioecesi Sedunensi.

At, his non obstantibus, consentiente Moderatore Societatis generali, anno 1920 sacerdos N... Societatem reliquit, et per tres fere annos ministerio sacerdotali vacavit in dioecesi Curiensi, ex qua in dioecesim Sedunensem se contulit, ubi a mense Ianuario anni 1924 usque in praesens commoratus est. Cum autem, anno 1927, litteris diei 29 Martii Episcopum Sedunensem rogavisset ut in hac dioecesi incardinaretur, Episcopus, requisito voto Capituli, quod fuit negativum, huiusmodi petitionem die 4 Maii 1927 reiecit. A dioecesi tamen Sedunensi sacerdos N... non discessit, Episcopo non contradicente; sed cum, exeunte anno 1931, prorogationem facultatis celebrandi Missam postulasset, ab Episcopo Monitus est ut alio peragraret.

De his conquestus, idem sacerdos die 27 Octobris 1932 ad hanc Sacram Congregationem provocavit, contendens dioecesi Sedunensi se esse legitime incardinatum, ad normam canonis 641 § 2 Codicis iuris canonici.

Eius rationes.

Hoc in primis ille eruit ex ipsa interpretatione memorati canonis. Cum enim vox *religiosus* in casu complectatur sodales cuiuscumque Societatis clericalis exemptae, cumque per novem fere annos in dioecesi Sedunensi commoratus sit, elapso sexennio, non obstante denegata incardinatione, ipso facto implicitam se adeptum esse incardinationem deducit. Termini

enim ad probationem religiosi incardinandi peremptorie in canone sunt constituti, quapropter ex facto suipsius admissionis in dioecesim ad ministerium sacerdotale exercendum iam incoepit experimentum; triennio elapso, poterat quidem Episcopus eidem incardinationem petenti denegare, minime vero initium experimenti a die postulatae incardinationis computare. Nec his obstat quod interea dispensationem a iuramento perseverantiae nondum assequutus esset cum ab hoc dispensari potuisset et post explicitam incardinationem, et post implicitam, ut in casu.

Contrariae rationes Episcopi Sedunensis.

E contrario nullum ius esse censet Episcopus memorato sacerdoti incardinationem obtinendi, immo et commorandi in sua dioecesi, et quia non est religiosus, cui aptetur canon 641 § 1; et quia, etsi de religioso agatur sexennium ad experimentum fluere coepit ab anno 1927, quo incardinari primum ille petiit; et tandem, quia ut id valide fieret, necesse erat ut a iuramento perseverantiae antea dispensaretur, quod nondum factum est.

Ostenditur ipsum non esse religiosum in quem cadat can. 641 § 1;

AD IUS QUOD ATTINET. — Iamvero perperam contendit sacerdos N.... locum esse in casu canoni 641 § 1, cum ipse non sit religiosus, eo quod iuramento, non votis, Societati Missionum est devinctus. Ii enim vocantur et sunt religiosi qui, iuxta canonem 488 n. 7, « vota nuncuparunt in aliqua religione »; et religio, ut edicitur in eodem canone n. 1, est « Societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius Societatis leges, vota publica, perpetua vel temporanea... nuncupant ». At sodales in Societate Lugdunensi pro missionibus ad Afros nec publica nec privata vota nuncupant, sed iuramento tantum perseverantiae eidem sunt adstricti, quod patet ex litteris eiusdem sacerdotis diei 29 Martii 1927: « Les membres de la société des Missions Africaines ne sont pas liés par des voeux, mais par le *iuramentum perseverantiae* dont Rome se reserve la dispense ».

Particeps proinde ille est unius ex iis Societatibus virorum, « in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur », quae Societas « non est proprie religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur » (can. 673 § 1). Iique « in iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent... iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici » (can. 678).

et ex can. 678 legibus teneri saecularium.

Resolutio negativa.

RESOLUTIO. — His omnibus perpensis, in plenario huius Sacrae Congregationis conventu diei 15 Iulii 1933, proposito dubio:

An sacerdos N... incardinatus sit dioecesi Sedunensi, in casu.
E.mi Patres responderunt:
Negative.

Approbatio SS.i in aud. 17 iul. 1933.

Facta autem de his Ss.mo D.no nostro Pio div. Pp. XI relatione per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 17 Iulii 1933, Sanctitatis Suae hanc resolutionem adprobare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

---

33. — S. Paenitentiaria Apostolica *(Off. de indulg.)*

Decretum 20 mart. 1934

INVOCATIO AD S. CRUCEM INDULGENTIIS AUGETUR

(A. A. S., 1 maii 1934, XXV, 244).

DECRETUM

Audientia 16 mart. 1934.

Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 16 mensis Martii currentis anni concessa, benigne elargiri dignatus est Indulgentiam *partialem quingentorum dierum*, a christifidelibus lucrandam quoties invocationem « O Crux, ave, spes unica » saltem corde contrito ac pia mente recitaverint, et *plenariam* suetis conditionibus semel in mense acquirendam, si quotidie per integrum mensem eamdem recitationem peregerint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Indulgentiae.

Clausulae.

Dies (20 mart. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 20 Martii 1934.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. Teodori, *Secretarius.*

---

34. — S. Paenitentiaria Apostolica *(Off. de indulg.)*

Decretum 10 april. 1934

DIES, QUEM DICUNT, EUCHARISTICUS INDULGENTIIS DITATUR

(A. A. S., 1 maii 1934, XXVI, 243).

DECRETUM

Liberali manu SS. D. N. Indulgentiis fovit

Quo magis magisque apud fideles in Augustissimum Eucharistiae Sacramentum cultus foveretur, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, haud paucis editis Decretis, vel novis prorsus vel am-

plioribus illis indulgentiis, a suis Praedecessoribus salutariter concessis, nonnullas eucharisticas functiones nec non quaedam pia eucharistica exercitia variasque preces, penes eosdem fideles magis in usu, maxima cum horum profectu et gaudio augere dignatus est.

exercitationes erga SS. Euchar.

Adhuc tamen his spiritualibus beneficiis perquam laudabilis ille carebat mos, postremis his temporibus late in catholicum Orbem inductus, — iis haud exceptis locis, in quibus pium XL Horarum exercitium etiam constitutum est, — unum scilicet integrum diem impendendi, qui appellari usu venit *Dies Eucharisticus*, semel vel pluries in anno in adorationem et venerationem huius Augustissimi Sacramenti. Et hoc quidem, tum solemni Ss.mi Sacramenti expositione a mane usque ad vesperas, tum oblatione sacrificii Missae, tum accessione fidelium ad sacram mensam, tum denique functionibus et concionibus sacris, directis ad fidem in hoc fidei mysterium magis firmandam, ad spem erigendam et caritatem inflammandam in Christum Dominum sub speciebus eucharisticis praesentem et amore nostrum flagrantem, atque ita ad aliquam reparationem pro facultate cuiusque nostra Ei exhibendam ob iniurias, quas praesertim perditi et ingrati homines Eidem haud raro in hoc ipso Sacramento, ineffabili Sui erga nos amoris pignore, inferre non verentur.

Nondum tamen laudabilem morem diei eucharistici.

Quid sit.

Porro nemini dubium, quominus tanta fidei ac amoris significatio in Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, quam haec omnia praestant, dignam Diei Eucharistici celebrationem ad incrementum quam maximum huius cultus rationem aptissimam exhibeat. Quod mature perpendens, Beatissimus Pater, ad hoc incrementum magis magisque fovendum, pro eximia Sua in hoc Sacramentum pietate, statuit Diei Eucharistici celebrationem magnis ditare indulgentiis; quarum elargitio, — cum ostendat quanti ipsa Sancta Sedes eamdem faciat celebrationem, utpote directam ad impensius colendum illud Sacramentum, quo Ecclesia quotidie alitur ac roboratur, — ad hanc ipsam celebrationem maiori cum frequentia, pietate ac religione peragendam fideles alliciat.

Eius utilitas.

Itaque in ipsa prima audientia, infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori post solemnem commemorationem undevicesimi exeuntis saeculi ab institutione huius Sacramenti, id est die 6 Aprilis vertentis anni concessa, Sanctitas Sua indulgentias, quibus pium XL Horarum exercitium Decreto « Invecto feliciter » diei 24 Iulii anni 1933 auxerat, (1) ad Diei quoque Eucharistici celebrationem extendere benigne dignata est.

Quare S. Pontifex extendit ad hanc diem indulgentias quibus 24 iun. 1933 auxerat pium XL Horarum exercitium.

(1) *A. A. S.*, vol. XXV, pag. 381.

Clausulae.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (10 april. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 10 Aprilis 1934.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

I. TEODORI, *Secretarius.*

---

35. — Commissio Pontificia de Re Biblica

Decretum 27 febr. 1934

DE OPERE R. D. FRIDERICI SCHMIDTKE, CUI TITULUS « DIE EINWANDERUNG ISRAELS IN KANAAN ».

(A. A. S. 10 mart. 1934, XXVI, 130).

Postulatam sententiam sic edit Pont. Commissio.

Cum quaesitum sit ab hac Pontificia Commissione de Re Biblica quid sentiendum de opere cui titulus Die Einwanderung Israels in Kanaan, *Vratislaviae anno 1933 a R. D. Friderico Schmidtke edito, ipsa respondendum decrevit :*

Varia improbant.

R. D. Fridericus Schmidtke, Professor extraordinarius Veteris Testamenti in Facultate Theologica Universitatis Vratislaviensis, in volumine de quo supra :

de Pentateucho disserens, placita criticae rationalisticae sequitur, neglecto plane decreto Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 27 iunii 1906 ;

insuper, in historia Veteris Testamenti, nulla ratione habita decreti eiusdem Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 23 iunii 1905, genus quoddam litterarium adstruit traditionum popularium falsa veris admixta referentium ; contra perspicua Sacrorum Librorum testimonia asserit, inter alia, narrationes de Patriarchis, saltem magna ex parte, historiam non hominum singularium sed tribuum exhibere ; Iacob non esse filium Isaac sed repraesentare tribum quamdam aramaicam ; nec totam israeliticam gentem, sed partem tantum, maxime tribum Ioseph, Aegyptum ingressam esse ;

item, miracula plura Veteris Testamenti, vim textui sacro inferens, ut facta mere naturalia explicat.

Auctor proinde dogma inspirationis et inerrantiae biblicae, implicite saltem, negat ; normas hermeneuticae catholicae pe-

nitus negligit; doctrinae catholicae Litteris Encyclicis « Providentissimus Deus » Leonis XIII et « Spiritus Paraclitus » Benedicti XV clarissime propositae contradicit.

opus declarat arcendum a scholis catholicis.

Quapropter praefatum opus omnimodam reprobationem meretur et a scholis catholicis arceri debet.

Interpretes catholicos monet de Decreto Conc. Tridentini

Hanc autem occasionem nacta, eadem Pontificia Commissio interpretes catholicos commonefacit ut, reverentia qua par est, pareant Constitutioni dogmaticae Concilii Vaticani, Decretum sacrosanctae Tridentinae Synodi renovanti, qua solemniter sancitum est, « ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari ».

et omnibus recordatur auctoritatem Pontif. Comm. de Re Biblica.

Praeterea in mentem omnium christifidelium revocat quae de decretorum Pontificiae Commissionis Biblicae auctoritate Pius X s. m., Motu proprio « Praestantia Scripturae Sacrae », d. d. 18 Novembris 1907, edixit: « universos obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae oboedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque, quibus in causa esse coram Deo possint, aliis ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis ».

Approbatio Pontif. et mandatum ut publici iuris fiat.

Die autem 27 Februarii 1934, in audientia infrascripto R.mo Consultori ab Actis benigne concessa, Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XI praedictum responsum necnon monitum rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

IOANNES BAPTISTA FREY C. S. Sp.
Consultor ab Actis.

---

36. — Pont. Commissio de re Biblica

Responsum 30 april. 1934

DE USU VERSIONUM S. SCRIPTURAE IN ECCLESIIS

(A. A. S., 5 iun. 1934, XXVI, 315).

Orator. Proposito ab Exc.mo Episcopo Buscoducensi, nomine etiam ceterorum Exc.morum Episcoporum provinciae ecclesiasticae neerlandicae, sequenti dubio.

Dubium. Utrum permitti possit in ecclesiis populo praelegi pericopas liturgicas epistolarum et evangeliorum secundum versionem non *ex veteri vulgata latina editione*, sed *ex textibus primigeniis* sive graecis sive hebraicis?

Responsum. Pont. Commissio de re Biblica ita respondendum decrevit: *Negative;* sed versio S. Scripturae Christifidelibus publice praelegatur ex textu ab Ecclesia pro sacra liturgia approbato.

Confirmatio SS. et mandatum ut publ. iuris fiat. *Die autem 30 aprilis 1934, in audientia infrascripto Consultori ab Actis benigne concessa, SS.mus D. N. Pius Pp. XI praedictum responsum ratum habuit et publici iuris fieri mandavit.*

Ioannes Baptista Frey C. S. Sp.
Consultor ab Actis.

ACTA SUMMATIM RELATA

37. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sollemnis Canonizatio B. Mariae Michaëlae ab Aug. Sacr.

A. Die 4 Martii anno sacro 1934, ritu consueto, SS. D. N. sollemnem canonizationem peregit B. MARIAE MICHAËLAE ab Augusto Sacramento, virginis indefatigabilis invictaeque strenuitatis atque incensissimae caritatis, quae a nullo calamitatum morborumque genere, etsi repugnanti ac sordido, abhorruit. Huius quidem caritatis flamma, quemadmodum per totius aetatis suae curriculum emicuit atque flagravit, ita lectissimam hanc feminam ad mortalem exitum adduxit, suoque ardore consumpsit. (*A. A. S.*, XXV, 160).

Sollemnis Canonizatio B. Ludovicae de Marillac.

B. Die vero 11 martii eiusdem anni sacri 1934, sollemnem canonizationem peregit B. LUDOVICAE DE MARILLAC, viduae Le Gras, quae caelestem sponsum, cui post viri sui mortem se totam dedere voverat, tam incensa caritate redamavit, ut iam non se nec sua quaesierit, sed eius dumtaxat gloriam eiusque voluntatem. Urbium pagorumque vias, humili pioque aspectu, cum sororum a se condita familia, concursavit, atque inopum aegrotorumque adivit domos, per nosocomia et valetudinaria, orphanotrophea et publica pupillorum hospitia transivit, ubique ad proximorum doloribus medendum, ad aerumnas relevandas, ad corporis animique indigentiis pro facultate opitulandum. (*A. A. S.*, XXVI, 164).

Sollemnis canonizatio

B. Margaritae Redi,

C. Die 19 martii 1934 sollemnem canonizationem peregit B. IOSEPHI BENEDICTI COTTOLENGO confessoris, B. POMPILII M. PIRROTTI item confessoris, ac B. TERESIAE MARGARITAE REDI virginis. Haec, eximium carmelitici viridarii ornamentum, nobili genere orta, divitias respuens allicientiaque posthabens futurae aetatis auspicia, se totam divino servitio emancipavit. Itaque florentinum Carmelitidum asceterium ingressa, perfectionis iter citatiore cotidie gradu pervolare visa est, et a peccandi discrimine ac vel a minima labecula abhorrens, sese flagellis, ciliciis ieiuniisque excruciavit, suumque virginitatis lilium, paenitentiae spinis circumsaepsit.

Pompilii M. Pirrotti,

Pompilius vero M. Pirrotti, cum Calasanctianum institutum, divino quodam instinctu permotus, complexus esset, ad

sanctitatis apicem assequendum ita contendit, ut nihil iam aliud cuperet, nisi Iesu Christi imaginem suis moribus exprimere eosque praesertim, qui suis curis demandati essent, ad sanctissimis Redemptoris nostri vestigiis insistendum alloquio, opera precibusque excitare. Quamobrem per urbes, per oppida, per pagos Evangelii praeco discurrens, comfluentium undique multitudinum animos ita aeternarum veritatum fulgore perculit, ut eos ad sua commissa lacrimis eluenda compelleret; atque adeo iuvenes verbo exemploque suo alliciens, per evangelicae legis disciplinam effinxit, christianisque moribus conformavit.

Iosephi Benedicti Cottolengo.

Eximius sanctitudinis heros fuit, Iosephus Benedictus Cottolengo, cuius vita universa mirandum effulsit christianae caritatis praeconium. Flagrantis huius caritatis monumentum evasit « Parva illa Domus a divina Providentia » in qua omne genus miseriarum libenter amanterque excipiuntur ac flammescens Redemptoris nostri caritas omnia alit, omnia refovet, omnia moderatur ac dirigit. (*A. A. S.*, XXVI, 169).

Ven. Dei Servus Antonius M. Claret, Beatus renuntiatur.

D. Brevi *Magnus vocabitur*, 25 febr. 1934, Venerabilis Dei Servus Antonius M. Claret, Archiepiscopus S. Iacobi de Cuba deinde Traianopolitanus, fundator Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. Virginis, Beatus renuntiatur (*A. A. S.*, XXVI, 173).

E. *Litterae de patronis.* Patronae declarantur:

B. M. V. titulo D. N. ad Nives patrona declaratur.

1. Brevi *Refert ad Nos*, 26 aug. 1933, B. M. V. titulo Dominae Nostrae ad Nives patrona aeque principalis cum Sacra Familia declaratur dioecesis Renensis in Statu Nevada Americae septemtrionalis. (*A. A. S.*, XXVI, 224).

S. Theresia a Iesu Infante patrona secundaria declaratur.

2. Brevi *Romanum Pontificem*, 26 aug. 1933, Sancta Theresia a Iesu Infante, secundaria patrona declaratur dioecesis de Socorro et S. Gil. (*A. A. S.*, XXVI, 225).

B. M. V. sub titulo Auxilii Christianorum caelestis patrona declaratur

3. Brevi *Venerabilis Frater*, 30 aug. 1933, B. M. V. sub titulo Auxilii christianorum caelestis patrona dioecesis Nictheroyensis declaratur. (*A. A. S.*, XXVI, 226).

F. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem erigitur:

Templum B. M. V. de la Délivrance oppidi Quentin.

1. Brevi *Uti ad Nos*, 15 aug. 1933, templum paroeciale B. M. V. sub titulo *de la Délivrance* in loco *Quentin* nuncupato intra dioecesis Briocensis fines, Basilicae minoris titulo ac dignitate perpetuum in modum augetur. Episcopus Priocensis deputatur ad simulacrum corona aurea donandum (*A.A.S.*, XXVI, 222).

Acta S. Consistorii secreti, 5 mart. 1934.

G. *Consistorii secreti*, 5 mart. 1934, acta ex ordine referuntur:

I. A Rev.mo Card. Laurenti, Congr. SS. Rituum Praefecto, facta est relatio causarum Beatificationis et Canonizationis B. Iosephi Cottolengo, B. Conradi a Parzham ac B. Teresiae Margaritae Redi. — II. Allocutio S. Pontificis in qua delegat R.R. PP. Cardinales ad Portas Sanctas obserandas. — III. Provisio Ecclesiarum. (*A. A. S.*, XXVI, 153).

Sollemnis canonizatio B. Ioannis Bosco,

H. Die 1 aprilis 1934 Sacro Paschatis festo, in Basilica Vaticana SS. D. N. sollemniter B. Ioannem Bosco inter Sanctos rettulit. Facta instante, instantiore, instantissima postulatione, Beatissimus Pater ex cathedra sollemniter pronuntiavit: « *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consiliis, Beatum* IOANNEM BOSCO SANCTUM *esse dicernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali eius memoriam quolibet anno, die natali illius, nempe die* XXXI *Ianuarii, inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere.* In nomine Pat✠ris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti ».

In sollemni vero Missa Papali, post Evangelium, haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii,

Geminata hodie perfundimur laetitia, ac Nobiscum universa afficitur Ecclesia, quod victoriam ex mortis et ex inferorum potestate a Iesu Christo partam celebramus, quodque hodie Nobis licuit praeclaris viris feminisque non paucis, per huius anni sancti decursum ad sanctitudinis honores evectis, sollemnem hanc Ioannis Bosco consecrationem quasi in cumulum adiicere; Ioannis Bosco inquimus, quem paucis abhinc annis in Beatorum numerum rettulimus, quique iuventutem Nostram — gratum adhuc subit recordatio animum — non modo adspectu suo suoque alloquio recreavit, sed per mirabilium etiam rerum gesta virtutisque praestantiam in sui admirationem rapuit. Iamvero, quamvis eius vita tot sit egregie factis referta atque illustrata, ut vix queat adumbrari paucis, cupimus tamen

haec, quae praecipua Nobis videntur, admirationi imitationique vestrae proponere. Divinae gloriae animarumque saluti procurandae omnino deditus, quidquid noster novisset, superno quodam instinctu ductus, ex Dei esse voluntate faciendum, id, etsi temerario ausu dignum videbatur, nulla aliorum diffidentia distractus, ac vias etiam rationesque animosus ingressus, quas nova induxerat aetas, ad effectum deducere enitebatur. Itaque, cum pueros, per urbis vias vagantes, paene innumeros vidisset, a parentibus derelictos omnique cura destitutos, eos ad se paterno animo vocavit; eosque, per opportuna omne genus oblectamenta ipsorum animis potitus, et catholicae religionis praeceptis imbuit, et ad iisdem praeceptis per virtutis disciplinam perque crebriorem Sacramentorum susceptionem sese conformandos allexit atque permovit. Nostis profecto quantum utilitatis iuventuti recte instituendae et a vitiorum illecebris revocandae ex huiusmodi institutis, quae *Festiva* vocantur *Oratoria* sit ortum; quae quidem *Oratoria* non modo Augustae Taurinorum condidit et in vicinioribus urbibus atque oppidis, sed ubicumque etiam, quo suam invexit religiosam familiam. Praeterea, cum frequentissimae huic adolescentium iuvenumque turbae honestum vitae genus impertire cuperet, quo iidem et sibi possent et futurae proli consulere, illa constituit domicilia, in quibus ipsi exciperentur, et ad fabriles artes addiscendas, cuique consentaneas, praepararentur. Neque iuventuti defuit litteris humanioribusque disciplinis deditae, in cuius commodum multa collegia condidit, in quibus eadem tuto itinere ad altiorem etiam, si vellet, doctrinam adipiscendam contendere et, bene morata, in spem Ecclesiae Nationisque suae succrescere posset.

Quam ad rem animadvertendum est idcirco Ioannem Bosco, in puerorum iuvenumque animis fingendis educandisque, felicissimos edidisse fructus, quod germanam eam veri nominis educationem alacri perspicacique animo suscepit, quam catholica Ecclesia tantopere commendat, quamque Nosmet ipsi, occasione data, saepenumero commendavimus. Illam nimirum quae evangelicis praeceptis praeclarisque Iesu Christi exemplis imbuitur tota per omnesque venas alitur; illam, qua, christiana religione virtuteque duce, ita iuveniles rediguntur ac componuntur mores, ut omnino digni evadant, quos et terrestris patria dilaudet, et caelestis tandem aliquando non perituraе coronae praemio remuneretur. Illam denique, quae si corporis vires exercet, at animum potissimum — inconditos inordinatosque eius motus compescendo et ad virtutis convertendo

studia — confirmat atque conroborat; quaeque, si humanas omnes disciplinas, ad praesentem vitam excolendam ornandamque opportunas, dicipulis impertit, at quod est praecipuum non neglegit, Creatoris nempe ac Remuneratoris Dei doctrinam atque Ecclesiae praecepta.

At non heic consistit neve laxatur alacer eius animus, sed, superna caritate compulsus, quam condiderat religiosorum hominum ac mulierum familiam, eam, mirabili quodam modo ob divinae gratiae opem magis usque magisque increbrescentem, per universum mittit terrarum orbem, evangelii lucem christianumque cultum laturam. Quae tot tantaque incepta atque opera dum noster instituit ac perficit, non ex humanarum rerum defectione neque ex aliorum diffidentia atque irrisu concidit animo, sed caelesti fretus auxilio, ulterius cotidie tranquilla serenaque fronte progreditur. Quodsi interdum suscepta ab se in animarum bonum consilia in difficultates se illidere videbantur, quae humana ope devinci non possent, hilaris atque erectis in caelum oculis, dicere sollemne habebat: « Dei optatum est, atque adeo ex eius voluntate faciendum; quapropter ipsimet quodammodo officio est necessaria adiumenta suppeditare ». Atque ita, praeter omnium exspectationem, res ad laetum exitum adducebatur; hominumque sugillationes in communem admirationem commutabantur.

Quem igitur, venerabiles fratres ac dilecti filii, christianae sanctitatis heroëm, per praecipua animi sui lineamenta, venerationi vestrae proposuimus, in eum omnes, studiosae imitationis causa, intueantur. Ita enim, eo auspice eoque deprecatore, profecto fiet ut, quam Iesus Christus rettulit de mortis deque tenebrarum potestate victoriam, eam nos quoque omnes feliciter assequamur; utque, a peccatorum servitute liberati sempiternaque in caelis beatitate fruituri, paschale canticum una fide unaque voce concinamus omnes:

« Ut sis perenne mentibus
Paschale, Iesu, gaudium
A morte dira criminum
Vitae renatos libera. Amen (1). (A. A. S., XXVI, 217).

(1) Ex Brev. Rom., off. Dom. in Albis.

38. — S. C. Rituum.

Causae beatificationis et canonizationis.

B. Iosephus Benedictus Cottolengo.

1. *Taurinen.* Decreta 18 et 24 febr. 1934, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa canonizationis B. Iosephi Benedicti Cottolengo confessoris, canonici fundatoris Instituti Taurinensis Parvae Domus a divina Providentia. (*A.A.S.*, XXVI, 188; 194).

Ven. Servus Dei Antonius M. Claret.

2. *Vicen.* Decreta 18 et 24 febr. 1934, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Antonii M. Claret, Archiep.i Traianopolitani, fundatoris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. (*A. A. S.*, XXVI, 191; 198).

B Conradus a Parzham.

3. *Passavien.* Decreta 24 febr. et 1 mart. 1934, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa canonizationis B. Conradi a Parzham, confessoris laici professi O. F. M. Cap. (*A. A. S.*, XXVI, 237; 239).

39. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt :

Antofagasta (Chile).

23 dec. 1933, R. D. Alfridus Cifuentes, cathedrali ecclesiae Antofagastensi.

Indianopolis (S. U. A.).

24 mart. 1934. R. P. D. Iosephus Elmerus Ritter, cathedrali ecclesiae Indianopolitanae.

Des Moines (S. U.A).

24 mart. 1934, R. D. Geraldus Bergan, cathedrali ecclesiae Desmoinensi.

Cajazeiras (Brasile).

24 mart. 1934, P. D. Ioannes de Matha Amaral, cathedrali ecclesiae Cajazeirasensi.

Pozzuoli (Italia).

27 mart. 1934, R. D. Alfonsus Castaldo, cathedrali ecclesiae Puteolanae.

Granata (Spagna).

4 april. 1934, R. P. D. Augustinus Parrado et Garcia, metropolitanae ecclesiae Granatensi.

Hartford (S. U. A).

23 april. 1934, R. P. D. Mauritius Mac Auliffe, cathedrali ecclesiae Hartfortiensi.

Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt :

Candia (Grecia).

1 febr. 1934, R. P. D. Iacobus Inglese, O. F. M. Cap., cathedrali ecclesiae Candiensi.

1 febr. 1934, R. D. Ludovicus Franciscus Gayet S. Miss. S. Francisci Salesii, cathedrali ecclesiae Nagporensi. *Nagpur (India).*

40. — Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt:

12 ian. 1934, R. P. Theodorus Koenig e Pia Soc. Miss. ven. V. Pallotti, Praefectus Ap.cus districtus occidentalis Promontorii de Bona Spe. *Distretto occid. Capo di Buona Speranza (Africa merid.).*

12 ian. 1934, R. P. Thomas Hughes, e Soc. Lugd. pro miss. ad Afros, Praefectus Ap.cus Nigeriae septemtrionalis. *Nigeria (Africa).*

19 ian. 1934, R. P. Henricus Martinus Mekkelholt Sac. SS. C. Iesu, Praefectus Ap.cus de Bengkoelen. *Benkoelen (Malesia).*

26 ian. 1934, R. P. Patricius O' Donohoe, Soc. Miss. a S. Ioseph (de Mill-Hill), Praefectus Ap.cus de Kafiristan. *Kafiristan (India).*

23 febr. 1934, R. P. Thomas Tien, S. V. D. (de Steyl), Praefectus Ap.cus de Yangku in Sinis. *Yangku (Cina).*

41. — Necrologium

18 ian. 1934, D. Emanuel Coste, Archiepiscopus Aquensis. *Aix (Francia).*

3 mart. 1934, D. Michaël Leon y Prado, episcopus de Linares. *Linares (Chile).*

11 mart. 1934, D. Vincentius Peira, episcopus Catamarcensis. *Catamarca (Argentina).*

31 mart. 1934, E.mus D. Card. Franciscus Ehrle, Diaconus S. Caesarei, S. R. C. Bibliothecarius et a tabulario. *Roma*

7 april. 1934, D. Stephanus Iosephus Hurault, episcopus Nanceiensis et Tullensis. *Nancy e Toul (Francia).*

14 april. 1934, D. Ioannes Iosephus Nilan, episcopus Hartfortiensis. *Hartford (S. U. A.).*

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

* * *Collectanea Ordinis Cisterciensium Reformatorum.* Opus periodicum cura Monachorum eiusdem Ordinis tertio quoque mense prodiens. Broch. (16 × 24,5). Typ. Cisterc. - Romae - Westmalle.

* * *Ordo Divini Officii recitandi Sacrique peragendi*, iuxta kalendarium Universalis Ecclesiae pro Anno Domini 1935. Vol. (11 × 16,5), XXXII-159 pag. Libr. Vatic. Romae 1934. Lit. 2,10

Lincoln Bouscaren (S. I.). *The Canon Law Digest.* Officially Published Documents Affecting the Code of Canon Law 1917-1933. Vol. (13 × 20), XVI, 928 pag. Bruce, Milwaukee 1934.

Préface - General Norms - Persons - Things - Procedure - Crimes and Penalties - Appendix.

* * *Dos lecciones sobre Bibliografia y Bibliotecas.* Por el Professor de Bibliografía en el Seminario de Tarragona. Broch. (12 × 16,5), 36 pag. Bibliot. Antonio Agustin, Tarragona 1934. Stat 60 cent. Hisp.

Lección 1ª : Bibliografía - Lección 2ª : Bibliotecas.

René Biot (Dr). *Au service de la personne humaine.* Conférences de Déontologie médicale. Vol. (12 × 19), 324 pag. Éd. Vulliez, Jogny 1934. 13 fr.

Principes essentiels - Les études de l'infirmière - Le devoir de compétence - L'infirmière et le médecin - Le devoir d'obéissance - L'infirmière et la vie - Le devoir de ne pas tuer - L'infirmière et la personne humaine - Le devoir du respect des fins spirituelles.

Pierre Tiberghien (Abbé). *La science mène-t-elle à Dieu?* Vol. (12 × 19), 216 pag. Bloud et Gay, Paris 1933. 12 fr.

De la Science - Science et Matière - et Vie - et Évolution - et Conscience humaine - et Societé - et Morale - et Métaphysique - et Religion - Science historique et Religion révélée - A la rencontre de Dieu - Science et Prière - et Miracle - Philosophie, Foi et Miracle - Esprit scientifique - et Esprit de Foi - Appendice: Les trois caractères de l'Acte de Foi.

* * *La societé politique et la pensée chrétienne.* Semaines sociales de France - Reims XXVe Session 1933. Vol. (14,5 × 23), 648 pag. Gabalda, Paris 1933. 30 fr.

Cours: Politique et sens chétien. Évolution historique de la Société politique aux temps modernes. Les idées: la confusion dans les esprits touchant la politique. L'État fasciste, ses principes, sa technique. L'État soviétique. Les gouvernements d'opinion. Le primat de l'humain en Politique. La fin propre de la politique: le bien commun temporel. L'Agent de la Politique: l'État. Le problème de la Souveraineté. Le problème constitutionnel. Le concours des Institutions publiques et des particuliers en vue du bien commun. L'Église et l'État. Principes et technique d'une Politique de l'Éducation. Principes et technique d'une Politique de la Moralité; De la Santé publique. Le Problème des Fonctionnaires. La Famille, sa place dans la société politique. Organismes corporatifs. Institutions économiques. Autorités locales, corps privés. — Conférences: Conclusions générales. La Paix du Christ par le règne du Christ. Vie professionnelle et vie civique. Le devoir de collaboration dans la Société politique. Léon Harmel, précurseur de l'Action Catholique. L'effort actuel de la pensée catholique sur le plan international. La Prière pour la Paix. Au secours de la Cité chrétienne. Leçons d'information de la Semaine Sociale de Reims. Grandes Conférence organisées à l'occasion de la Semaine Sociale. - Annexes: Documents annexes: Lettre de la S. D. N., Allocution. Commission générale des Semaines Sociales de France.

Orio Giacchi. *La Legislazione italiana sui culti ammessi.* Vol. (14,5 × 21,5), 104 pag. Società Editr. « Vita e Pensiero » Milano 1934. 4 Lit.

Ioannes Krzemieniecki (R. D.) *Bernardinus Gallellus de Jadra, Vicarius et Officialis Cracoviensis - 1509-1517.* Vol. (15, 5 × 23), 230 pag. Typ. Societ. S. Michaelis Arch., Cracoviae - 1934.

Praefatio - Poloniae Jagellorum familiae regiae saec. XV potentia atque auctoritas. Itali in Polonia - Evolutio legislationis Polonicae civilis et ecclesiasticae circa personas ad capitula cathedralia non admittendas - De beneficiorum ecclesiasticorum in Polonia cumulatione - Officialium et vicariorum generalium in dioecesi Cracoviensi origo et constitutio - Bernardini Gallelli indoles et activitas necnon cum clericis et laicis in Polonia relationes - Bernardini Gallelli vicarii generalis mors et testamentum - Bernardinus Gallellus et Gallus de Ratiboria

wladarius episcopi Cracoviensis confundendi non sunt - Additamenta.

** *L'Encyclique sur le Mariage Chrétien « Casti Connubii »* (31 decembre 1930) - Traduction française avec divisions et commentaires - (Vingtième mille). Vol. (12 × 19), 134 pag. Édit. Spes, Paris 1934. 4 fr. 50.

Vermeersch (S. I.) *Catéchisme du mariage chrétien d'apres l'Enc. Casti Connubii*. 1934. 2ª éd. revue et mise à jour. vol. (12 × 19), 97 p. ed. Beyaert 5 fr.

I. B. Deelen. *Verheiratet*. Vol. (13 × 20), 192 pag. Bonifacius-Druckerei, Paderborn 1934. 3,75 Mk.

Vorwort - Mann und Frau - Die menschliche Fortpflanzung - Vom Wesen des Mannes - Vom Wesen der Frau - Das Eheleben - Geburtenbeschränkung - Missbrauchtes Eheleben (Der Neomalthusianismus) - Neomalthusianismus und Eugenik - Die grosse familie - Auf zum Glück!

Raoul de Guchteneere, (Dr). *A propos de la Loi allemande sur la Stérilisation.* Broch. (16 × 24, 5), 29 pag. Édit. de la Cité Chrét. Bruxelles, 1934.

André Hoornaert. *Les Durs Réveils.* Destiné aux jeunes recrues de l'Armée Belge. Préface de Xavier Francolte. 6e éd. Vol. (10 × 16, 5), 148 pag. Dewit, Bruxelles. 1923. 2 fr.

Jacques Leclerq (Abbé). *Guerre et Service militaire devant la Morale catholique*. Broch. (16, 5 × 25), 81 pag. Éd. de la Cité Chrét. Bruxelles 1934.

Guerre et guerres - L'Église et la guerre - Des causes de guerre justes - Des guerres à intérêt limité - Du service militaire obligatoire - Des sanctions internationales - De la confiance dans les gouvernants.

Carlo Salotti (Excell. Archiep.). *Il Santo Giovanni Bosco*. Vol. (15 × 22), VIII - 718 pag. Soc. Ed. Intern. Torino 1934.

La preparazione - L'Apostolato - La santità.

** *Bernardette et Jeanne Védère*. Notes intimes sur Bernardette et les Apparitions. Vol. (12 × 18), 138 pag. Imprim. Cister. Westmalle. Abbaye de Blagnac, 1933.

Lourdes - La famille Soubirous - L'histoire de N. D. de Lourdes - Communications orales de Mère Gertrude concernant sa vocation Cistercienne - Bernardette et Jeanne - La Cistercienne.

A. Petit, (S. I.) *Mon Navire*. Souvenir de mes retraites. Préface du R. P. De Kinder, S. I., avec une notice sur le R. P. A. Petit par le R. P. L. Denis, S. I. - Vol, (13 × 19), 206 pag. Desclée de Brouwer, Paris 1933. 12 fr.

II. - *Ex Periodicis.*

Apollinaris 1933. — MAROTO. De regendis fidelibus diversorum rituum permixtim in eodem territorio degentibus. — ROBERTI. De praescriptione poenae secundum Codicem I. C. - An censura latae sententiae per praeceptum constituta sit reservata. - (1934) De reali distinctione inter actionem et ius secundum systema processuale canonicum. — PUGLIESE. De Vicario Delegato in territoriis Missionum. — CANESTRI (1934) De lege cum sanctione poenali lata in peregrinos.

Bulletin d'Études et d'Informations. 1934. — A. MULLER (S. I.). Organisation corporative et économique dirigée au Portugal - Que faut-il penser du « Plan du Travail » ?

The Clergy Review 1933. — ISABEL MC. HUGH. The Retreat movement in Germany. — J. CARTMELL. Vocation to the Priesthood. — F. I. SMITH (S. I.). Marriage customs in the Bible. — O. M. BUSSY. The Church Bell in catholic England. — W. HOWELL (S. I.). The influence of Canonists on Theologians in the Eleventh and Twelfth Centuries. — T. E. FLYNN. How it Strikes a contemporary.

Collationes Brugenses 1934. — A. VANDENBERGHE. De libertate Christi quoad mandatum moriendi. — J. BRYS. De poena suspensionis ob ingressum theatri publici. — C. CALLEWAERT. De cereis funalibus.

Collationes Gandavenses 1934. — V. MANNAERT. De puerorum dispositione ad S. Communionem. — O. SCHELFHOUT. De conscientia et synderesi. - De efformanda conscientia certa.

Collationes Namurcenses 1933. E. RANWEZ. Correptionis fraternae notio - De diligendis inimicis - De usu matrimonii restricto ad tempus « ageneseos ». - (1934) L'objection de conscience. — A. PIÉRARD. L'ornementation de l'autel. - (1934) Les cérémonies de la messe.

Collationes Tornacenses 1933. — ** Vocis diversitas in missa. — 1934. - J. DERMINE. Les devoirs du confesseur (*suite*). — ** Le IIIe an des jeunes prêtres. — J. CERFAUX. La doctrine du royaume de Dieu. — H. v. MIERLO (M. S. C.). Huwelijksdoel en Periodieke Onthouding.

Collectanea Mechliniensia 1933. — E. STEENACKERS. Le culte de Saint Joseph à Malines. — P. GILLET. L'attitude des protestants à l'égard des Missions. — A. JANSSEN. Le droit de l'auteur sur son oeuvre.

Il Diritto Ecclesiastico 1934. — ANDREA PIOLA. Sull'ammissibilità della delibazione di sentenze straniere di annulla-

mento di matrimonii concordatarii. — PIO FEDELE. Error qualitatis redundans in errorem personae.

Ephemerides Liturgicae 1933. 1934. — I. M. HANSSENS, (S. I.). Le teste du *Liber officialis* d'Amalaire. (1934) - Cuius est in Missa privata transferre missale? — A. RAES (S. I.). Le consentement matrmonial dans les rites orientaux. — I. ZEIGER (S. I.) (1934). De instauranda Pontificalis Romani auctoritate in ordinibus conferendis.

Estudios Ecclesiasticos 1933. — M. ALONSO. El Sacrificio Eucarístico de la última cena del Señor, según los teólogos. — J. MADOR. La pertinacia. rasgo característico de la herejia, según Facundo de Herminia.

Gregorianum 1933. — E. HOCEDEZ. La vie et les oeuvres de Pierre d'Auvergne. — R. ARNOU. Arius et la Doctrine des relations trinitaires. - Unité numérique et unité de nature chez les Pères après le Concile de Nicée. — F. OGARA. De Ascensionis Christi spectatoribus. — G. SCHURHAMMER. Three letters of Mar Iacob bishop of Malabar 1503-1550. — H. VAN LAAK. De re apologetica in laponia inter annos 1549-1578, secundum fontes quosdam nunc primum editos. P. HOENEN. De origine primorum principiorum scientiae. J. DE GHELLINCK. L'Étude des Pères de l'Église après quinze siècles: Progrès ou recul? Nouvelles tendances. — I. SALAVERRI. La sucesión apostólica en la Historia ecclesiastica de Eusebio Cesariense. — 1934. - B. LEEMING. De motu Oxoniensi et de Anglo-Catholicis (*Conclusio*). — S. TROMP. De Bellarmini « Indice Haereticorum » Treviris reperto. - Tractatus S. Roberti Bellarmini iuvenis de praedestinatione. - J. MADOZ. La argumentación patrística según Bessarión en Florencia. — S. TYSZKIEWICZ. Réflexions du théologien russe moderniste Paul Florensky sur l'Eglise. — F. PELSTER. Der Brief Eugens III an Bischof Heinrich von Beauvais und die Datierung der *Libri IV Sententiarum*. — J. B. SCHUSTER. Der objective Geist.

Ius Pontificium 1933. — C. PIONTEK. De acephalis in iure canonico. — R. SOUARN. Impedimentum « ordinis » in Ecclesia Graeca. — M. WYSZYNSKI. Utrum metus indirecte incussus dirimere possit matrimonium. — G. OESTERLE. De regularium gradibus academicis. - De iure matrimoniali Reipublicae Sovieticae. — C. BERUTTI. De confessariis Religiosorum. — 1934. - F. CLAEYS BOUUAERT. De iure quaesito quaestiones. - C. BERUTTI. De iurisdictione quae ipso iure delegatur ad audiendas fidelium confessiones.

(Continuabitur).

PARS ALTERA

MONUMENTA

42. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla Ad incrementum, 15 aug. 1934

DE QUIBUSDAM PRAELATIS ROMANAE CURIAE ET VARIIS EORUM ORDINIBUS

(A. A. S. 14 SEPT. 1934, XXVI, 497)

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sapientia RR. PP. in erigendis et ordinandis Praelaturis.

Ad incrementum decoris Apostolicae Sedis quantum contulerit hodieque conferat Romana Praelatura, nemo ignorat qui vel eius anteacti temporis historiam noverit, vel suis ipse oculis magnam illam honestatis vim sit admiratus, quam splendidis pompis rebusque sacris faciendis varii Praelatorum ordines afferunt, in iis maxime sollemnibus ritibus, qui, Nobis adstantibus vel etiam Nobis Ipsis celebrantibus, tanta maiestate peraguntur.

Qua in re mirabile sane apparet Decessorum Nostrorum consilium atque sapientia, qui praestantes partes in ipso pontificalis liturgiae ministerio his Praelatis tribuerunt, quibus praecipue iuris dicundi munus commiserant, quod itidem nobilissimum est sacerdotium. Inde est ut aspicientibus Nobis e Pontificali Solio, re sacra vertente, ex hisce egregiis magistratibus nonnullos minorum ministrorum vestibus indutos, ad ipsius Solii gradus sedentes, illa symbolice expressa videatur perfecta regiminis constitutio, quae in iustitia fundatur: « Iustitia regnorum fundamentum ».

Consilium Pontificis ornandi privilegiis qui titulo fruuntur Excellentiae Rev.mae;

Nos vero, considerantes gravissimas sane partes in Ecclesiae gubernatione, post Purpuratos Patres, iis demandatas esse Praelatis, qui in Sacris Romanis Congregationibus vel assident vel sunt a secretis, quique propterea earumdem

Sacrarum Congregationum vel Assessores vel Secretarii vocantur, ut horum dignitas, quae ab ipsorum tam proxima cum Romano Pontifice in Ecclesiae regimine collaboratione aestimari debet, maioribus usque honoris significationibus honestetur, quemadmodum, decreto Sacrae Congregationis Caeremonialis die 31 Decembris 1930 lato, iis titulum *Excellentiae Reverendissimae* concessimus, ita nunc volumus ut iidem, ratione muneris, peculiaribus sint privilegiis honestati, necnon in sacris sollemnibusque ritibus coram Summo Pontifice aut ipso Pontifice celebrante peragendis, etiamsi charactere episcopali careant, peculiarem deinceps et honorificentissimum locum ex officio habeant; quod pariter dicimus de aliis Praelatis quibus ob dignitatem muneris quo funguntur, eodem superius allato decreto eundem *Excellentiae Reverendissimae* titulum tribuimus.

qui Praelaturae Collegia constituunt.

At aestimatio Nostra ac paterni animi sensus erga illos quoque venerabiles Praelatorum ordines, qui Praelaturae Collegia proprie dicta constituunt, in Nobis augentur quoties mente repetimus insignia observantiae pietatisque erga Apostolicam Sedem testimonia, quibus eorum historia cumulate clarescit. Primos illos Ecclesiae Notarios dicimus qui maximorum actuum gestorumque Romanorum Pontificum, sive extra, irrefragabiles testes sunt constituti. Familiares deinceps Nostros commemoramus, qui in nobilissimum iudicum Collegium Sacrae Romanae Rotae congregati, Romanae in iure dicundo sapientiae, quae christiana iustitia est illustrata, tanquam germani heredes per tot saecula claruerunt. Illos etiam commemoramus Camerae Apostolicae Praelatos qui ad utilitatem Romanae Ecclesiae ac pauperum substentationem Sedis Apostolicae thesaurum ita administrarunt, ut iis ipsum Pontificii Principatus temporale regimen quondam demandaretur. Votantes denique ac Signaturae Apostolicae Referendarios dicimus, qui olim, supplicibus libellis, de gratia et iustitia agentibus, Romano Pontifici oblatis, quid concedendum esset, quid autem denegandum, discernebant, recentiore tandem tempore ad Cardinales suis votis iuvandos circa negotia ad Sacram Rotam committenda, ac etiam, nonnumquam, circa ipsius Rotae pronuntiata, sunt adlecti.

Speciali mentione digni sunt Romanae Rotae auditores et Votantes Signaturae.

Ex his vero Collegiis — quae, ad normam in Nostra Curia receptam, ordine enumeravimus, ratione prioritatis habita qua in Collegium sunt constituta et ad Nostrum Sacellum admissa — Romanae Rotae Auditores et Votantes Signaturae, quippe qui impensius iustitiae negotiis incumbant, arctiorem etiam in Pontificali Liturgia partem habent, ut Subdiaconi alii, alii vero

ut Acolythi apostolici; at ad ceteros quoque conspicua pars spectat, ut a limine commemoravimus, in pompis et in sacris pontificalibus.

Inde privilegia, quae Pontifex clara forma et accommodate ad tempora definire statuit.

Quae cum ita sint, mirum non est Praedecessores Nostros, quibus apprime constabant praeclara munera ab his fidelibus administris digne expleta, singularem quandam familiaritatem iis concessisse; quandoquidem Suae curae atque sollicitudinis in rebus sacris gerendis partem cum ipsis communicarunt, eosque, in iis quae ad proprium ipsorum pertinent munus, Pontificis veluti personam apud fideles gerentes, conspicuis privilegiis etiam liturgicis gradatim ornarunt; idque non tantum praestiterunt ut eorum operam praemium cum laude sequeretur, verum etiam ut exterior dignitas arctam, quam ex officio habent, cum ipsius Pontificis persona coniunctionem omnibus demonstraret. Quae privilegia, identidem sollemnibus Constitutionibus et Litteris Apostolicis sancita, tot tantisque additamentis eo creverunt, ut non facile omnes ubique perfectam sibi illam comparare possint notitiam, quae omnino requiritur ut eorumdem integer atque pacificus usus in tuto sit. Quare, statim ac sapientissimus Praedecessor Noster Benedictus XV Codicem iuris canonici promulgavit, cuius canon 328 iubet ut de hisce Praelatis privilegia, regulae et traditiones pontificiae Domus serventur, desiderium saepe propositum est et votum ut haec quoque pars peculiaris iuris in congruum redigeretur ordinem. Quae optata eo libentius Nos excepimus cum iam, favente Deo, non ultima cura Nobis incumbat varios Pontificiae Curiae gradus, quae eam regali honestant varietate, ad pristinum splendorem revocare.

Ratio Constitutionis.

Quamobrem, suam singulis Collegiis alacrem navantibus operam, re mature perpensa una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi Caeremoniali praepositi sunt, statuimus clara forma et ad tempora accommodata definire, iuxta generales normas communis iuris canonici quod iam sapienter in Codicem redactum est, singulorum constitutionem et privilegia, quae in posterum ratione dumtaxat ac forma quae hic subiicitur, nec prorsus aliter usurpanda erunt, sublatis et revocatis, ad normam can. 22, aliis quibusvis praesenti lege non contentis. Qua occasione, ut diximus, etiam peculiaria privilegia, quae Praelatis in Sacris Romanis Congregationibus Assessoris vel Secretarii munere fungentibus aliisque superius commemoratis concedenda putavimus ex ordine recensebimus.

De plenitudine Apostolicae potestatis haec statuit.

Itaque, de Apostolicae plenitudine potestatis, haec quae sequuntur per Apostolicas has Litteras statuimus ac decernimus:

Inde distincte agere incipit: I. *De ipsis Praelatorum ordinibus*: post Praelatos « di fiocchetti » sedebunt prius Assessores vel Secretarii SS. Congr.; dein quattuor Collegia Praelatorum apud Rom. Curiam.

II. *De Excellentissimis Assessoribus et Secretariis SS. Cong. Rom.*, quomodo nominentur et occupent munus, quaenam eorum privilegia. Atque haec sunt communia omnium quibus titulus *Excellentiae Rev.mae* est agnitus.

III. *De Collegio Protonotariorum Apostolicorum Participantium munere*: nominatio et muneris occupatio; muneris facultates et privilegia; agit ibi etiam de Protonotariis supranumerariis, ad instar, titularibus seu honorariis.

IV. *De Collegio Praelatorum Auditorum S. Romanae Rotae*: nominatio, muneris occupatio; munera; privilegia; officiales Collegii.

V. *De Collegio Clericorum Rev. Camerae Apostolicae*: nominatio, muneris occupatio; munera; privilegia.

VI. *De Collegio Praelatorum Votantium Signaturae Apostolicae et de Praelatis Referendariis eiusdem.* De collegio Praelatorum Votantium: nominatio, muneris occupatio; Munera; Privilegia. — De Praelatis Referendariis Signaturae Apostolicae: nominatio, muneris occupatio, munera; privilegia.

In fine amplissimam continet revocationem privilegiorum quae non continentur in hac Constitutione, eamque verbis amplissimis exprimit. Notandum igitur non iam privilegium conferendi gradus contineri inter privilegia Protonotariorum.

---

43. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola quam misit ad R. D. Gummarum Crets, canonicorum regularium praemonstratensium abbatem generalem,

OCTAVO PLENO SAECULO AB OBITU
SANCTI NORBERTI, ORDINIS CONDITORIS.

(A. A. S. 1 Oct. 1934, XVI, 547).

PIUS PP. XI

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opportune Ordo Praemonstrat. sollemniter commemorare studet octingentesimum anniversarium a morte sui Conditoris.

Si « gloria filiorum patres eorum », merito censendi sunt, peropportune nobilis iste, cui diligenter praees Praemonstratensium Ordo, per sollemnia sacra revocare contendit suavissimam sancti Conditoris memoriam, qui octingentos abhinc annos spectatissimae vitae cursum pretiosa ac beata morte confecit. Neque enim tantummodo gloriam virtus Patris excel-

lens suae suboli tradidit, sed insigne quoque exstitit illi ceterisque sui cultoribus ad imitandum exemplar. Quare consilium a vobis initum celebrandi in honorem sancti Norberti saecularia sollemnia eo libentius probamus ac dilaudamus, quo uberiores exspectandi sunt fructus, qui e proxima eventus celebratione in Ordinem ipsum inque populum fidelem manare efferrique possunt. Multa profecto in Norberto fuere, quae et adulescentes et religiosi viri et ipsi sacrorum Antistites imitari queunt. In ipso enim flore aetatis, nobilissimus ille Sanctensis civis imperatoriam aulam Henrici V, pompis illecebrisque confertam, cui aliquot per annos addictus fuit, quadam die, divina gratia commotus, ex improviso reliquit, et alacer hilarisque ad sacra et nobiliora munera se convertit. Sacerdotali auctus honore, bonis divitiisque ad pauperes sublevandos traditis, sibi in perpetuum proposuit ac statuit, ut ipse dicere solebat, « evangelicam et apostolicam ducere vitam ».

Exempla vitae S. Noberti referuntur a SS. D.;

Quapropter, faventibus ipsis Romanis Pontificibus, varias Europae regiones peragravit, christianae fidei lumina caritatisque ardorem laboriose lateque diffundens. Deinde, Episcopi Laudunensis hortatu, in locum solitarium Praemonstrati secessit, ibique, candida veste ab eodem episcopo accepta, gloriosi sui Ordinis fundamenda iecit. Duo autem praecipua in novo condendo Ordine spectavit; primum, ut sodales Praemonstratenses, quemadmodum S. Augustini canonici regulares, Verbi Dei praedicationi instantes, tum infidelium atque haereticorum conversioni, tum Christi fidelium utilitati et profectui sedulo incumberent; alterum, ut, eadem ratione qua Cistercienses coenobitae, monasticam disciplinam, quantum fieri posset, custodirent. Quam quidem vim et industriam, in contemplando simul atque in agendo coniunctam, plures deinde religiosi Ordines prosequuti sunt. Institutum autem sancti Norberti a Romanis Pontificibus confirmatum, brevi tempore mira accepit incrementa, adeo ut medio ipso duodecimo saeculo centum iam monasteria complecteretur. Aliis quoque egregiis sanctisque operibus floruit Norbertus, praesertim quum, ad archiepiscopalem sedem Magdeburgensem, licet aegre ferens, evectus, instaurandae clericorum disciplinae ac pietati populi fovendae sollicitam curam operamque impendit, et finitimas etiam gentes ad catholicam fidem per se perque suos discipulos feliciter adduxit. Quare dignus habitus est, ut inter Germaniae Apostolos adnumeraretur. Quod vero frugiferi eius apostolatus maximum exstitit adiumentum ac praesidium est fides et pietas erga SS. Christi Corpus, sub velis eucharisticis mirabiliter abditum, fides pariter ac pietas

vitam eius apostolicam

studium coniungendi Apostolatum et contemplationem.

Mira incrementa Instituti S. Noberti.

Dignus fuit qui inter Germaniae apostolos annumeraretur.

Cultus SS. Eucharistiae.

erga Christi ipsius Vicarium, visibilem totius Ecclesiae Pastorem. Norbertus enim inter primos contra nefandam Tanchelinianam haeresim Augusti Sacramenti et Sacrificii gloriam vindicavit, sodalesque suos ad cultum eucharisticum summa cura et studio inflammavit. Ipse praeterea contra Lotharium regem Ecclesiae et Apostolicae Sedis libertatem et iura est acriter tutatus, atque Innocentium II Pontificem Maximum una cum Sancto Bernardo, familiarissimo suo, triumphali pompa ad Urbem comitatus est. Nec mirum si multi civitatum proceres, doctrina illius ac sanctimonia illecti, ad ipsum confluxerint; inter quos Theobaldus ille exstitit, Blesensis comes, cui primo Nobertus parvum scapulare albi coloris imposuit, regulamque vitae spiritualis iuxta Praemonstratensium statuta tradidit, ut precibus sacris piisque operibus ad salutem animarum secum adlaboraret. Hinc exordium habuit Tertius Ordo, qui, ex aliis quoque religiosis sodalitatibus efflorescens, semper exstitit forte et gloriosum Ecclesiae adiumentum; quod si nunc, votis monitisque Nostris obsecundans, Actioni Catholicae validas auxiliares copias contulerit, novam profecto sibi promeritorum segetem comparabit. Neque vero spiritus ac robur, quod sanctus Conditor in suum ordinem induxit, tot saeculorum decursu, tantaque temporum vice ac varietate, illanguit; immo, postremis hisce annis, nova quadam virtute revirescere videtur. Ex quo enim istius Ordinis Abbates, votis Apostolicae huius Sedis obsecundantes, ad dissitas quoque regiones alumnos suos miserunt, latior iisdem campus apostolico studio patere coepit, ut plures in dies animas Christo lucrifacerent. Nemo autem sane ignorat, quanto honore et magnificentia cultus erga Sacramentum caritatis quotidie in templis Ordinis vestri exhibeatur, quantaque diligentia piae ibidem consociationes ad SS. Eucharistiae devotionem spectantes promoveantur, ita ut in limine ipso Nostri Pontificatus Nobismet ipsis, ad vos alloquentibus, dicere licuerit: « Ordo vester est gloriose eucharisticus et eucharistice gloriosus ». Magna igitur animi iucunditate de vestra faustitate gratulamur et paterna singularique dilectione proxima saecularia sollemnia participamus. Haec quidem auspicato incipient apud abbatiam Pragensem, illustrem pietatis doctrinarumque sedem, in ecclesia splendidissima Sanctae Mariae de Strahov, ubi corpus Legiferi Patris vestri religiosissime asservatur. Exinde enim omnibus sodalibus acriores stimuli adiicientur, ut, Norberti Patris monita et exempla sequuti, sive caelestia commentando, sive munera apostolatus persolvendo, amplissimos fructus sibi fidelibusque commissis fauste perci-

Devotio erga Christi Vicarium.

Origo Tertii Ordinis, qui semper forte et gloriosum Ecclesiae adiumentum, potest nunc auxiliares copias conferre Actioni Catholicae.

Hodie nova virtute revirescere videtur Ordo per susceptas dissitas missiones, per consociationes ad SS. Eucharistiae devotionem.

Pontifex id gratulatur et participat sollemnia quae incipient prope Corpus Fundatoris, ac persolventur in capitulo generali Romae.

piant. Eadem sollemnia, ut libenter didicimus, per Capituli generalis conventum heic Romae persolventur, apud ipsam Petri cathedram et sedem, quam tanta fidelitate et veneratione Conditor vestrae sodalitatis est prosequutus. Quo autem pia ac fervida incepta ad felicem exitum perducantur, gratiarum caelestium opem ex animo vobis a Deo ominamur; cuius quidem opis in auspicium inque peculiaris Nostrae caritatis testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, cunctis candidi Ordinis sodalibus iisque pariter, qui Tertiarii vocantur, peramanter in Domino impertimus.

Vota Pontificis ac Benedictio Ap.ca.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis Maii, in festo Ss.mi Corporis Christi, anno MDCCCCXXXIV, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Dies (31 maii 1934) in festo SS. Corporis Christi.

PIUS PP. XI

---

44. — Suprema S. Congr. S. Officii.

Decretum 21 iul. 1934.

SANCTIONES CANONUM 2320, 2343 § 1, 2367, 2369 CODICIS IURIS CANONICI EXTENDUNTUR AD UNIVERSAM ECCLESIAM NEDUM LATINAM SED ETIAM ORIENTALEM.

(A. A. S. 1 oct. 1934, XXVI, 550)

DECRETUM

Mandatum expressum S. Pont.

Cum ex expresso Ss.mi D. N. Pii divina Providentia Pp. XI mandato ad Supremam hanc Sacram Congregationem Sancti Officii delata fuerit quaestio an sanctiones contentae in cann. 2320, 2343 § 1, 2367, 2369 Codicis iuris canonici, quibus quaedam delicta excommunicatione latae sententiae specialissimo modo Sanctae Sedi reservata plectuntur, extendantur ad universam Ecclesiam, E.mi ae Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei morumque tutandis praepositi, omnibus mature perpensis, praehabitoque Sacrae Congregationis Orientalis et Sacrae Paenitentiariae Apostolicae voto, in plenario conventu habito Feria IV, die 12 Iulii 1934, decreverunt huiusmodi sanctiones, attenta omnino extraordinaria ipsorum delictorum gravitate, extendi ad universam Ecclesiam Latinam et Orientalem cuiuscumque ritus, atque eorumdem delictorum cognitionem quoad forum internum Sacrae Paenitentiariae, quoad forum externum Sancto Officio reservari.

Sessio S. Congr.

[44]

Approbatio SS. Et sequenti Feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobare et suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est, et publici iuris faciendam iussit.

Dies (21 iul. 1934). Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 21 Iulii 1934.

L. ✠ S. I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

ANNOTATIONES

1. Can. 2320 plectit eum qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit; can. 2343 § 1 eum plectit qui violentas manus in personam Rom. Pont. iniecerit; can. 2367 eum punit absolventem vel fingentem absolvere complicem in peccato turpi; can. 2369 punit confessarium qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit.

2. Observes in decreto expresso memoratum esse votum quaesitum duorum dicasteriorum quorum intererat ut audirentur.

---

45. — Suprema S. Congr. S. Officii

De apparitionibus in « Ezquioga », et proscriptionibus librorum

(A. A. S. 1 aug. 1934, XXVI, 433)

I

DECRETUM

ASSERTAE BEATAE MARIAE VIRGINIS APPARITIONES ET REVELATIONES IN LOCO « EZQUIOGA », DIOECESIS VICTORIEN. IN HISPANIA, DECLARANTUR QUOVIS CHARACTERE SUPERNATURALI DESTITUTAE; ET TRES LIBRI, QUI DE IISDEM AGUNT, IPSO IURE PROHIBITI.

Feria IV, die 13 Iunii 1934

Declarantur destitutae caractere super- E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, examini subiectis assertis Beatae Mariae

Virginis apparitionibus et revelationibus in loco « Ezquioga », dioecesis Victorien. in Hispania, decreverunt easdem apparitiones et revelationes quovis supernaturali charactere penitus esse destitutas; tres libros vero, qui de ipsis agunt et inscribuntur:

naturali assertae apparitiones et revelationes;

Étude historique présentée par M. l'abbé S. FORT: *Une nouvelle affaire Jeanne d'Arc* (Orléans, « Les Cahiers d'Ezkioga » publiés sous la direction de F. Dorola);

G. - L. BOUÉ: *Merveilles et Prodiges d'Ezquioga* (Tarbes, Imp. Lesbordes, 1933);

Un fruto de Ezquioga: Hermano Cruz de Lete *y* Sarasola (Revista « Caridad y Ciencia », Noviembre 1933);

tres libri qui de iis agunt

ipso iure esse prohibitos ad normam can. 1399 n. 5.

ipso iure prohibiti.

Sequenti feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Div. Prov. Pp. XI, in audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Assessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit et publici iuris fieri iussit.

Pontificis approbatio.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 18 Iunii 1934.

Dies (18 iun. 1934).

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

DECRETUM

OPERA OMNIA BENEDICTI CROCE DECLARANTUR IPSO IURE PROHIBITA ET IN INDICEM LIBRORUM PROHIBITORUM INSERUNTUR.

Feria IV, die 20 Iunii 1934

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito DD. Consultorum voto, decreverunt tanquam praedamnata ac ipso iure prohibita, ad normam can. 1399 Codicis iuris canonici, habenda esse atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda *Opera omnia* Benedicti Croce.

Dies consessus.

Decretum declarationis praedamnationis et iussio insertionis in Indicem operum omnium Ben. Croce.

Et sequenti Feria V, die 21 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Prov. Papa XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Assessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Approbatio Pontificia.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 22 Iunii 1934.

Dies (22 iun. 1934).

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III

DECRETUM

OPERA OMNIA PROF. IOANNIS GENTILE DECLARANTUR IPSO IURE PROHIBITA ET IN INDICEM LIBRORUM PROHIBITORUM INSERUNTUR.

Feria IV, die 20 Iunii 1934

Dies Consessus.

Decretum quo damnata et ipso iure prohibita et iubentur in Indicem inserenda Opera omnia Prof. Ioannis Gentile.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito DD. Consultorum voto, decreverunt tanquam praedamnata ac ipso iure prohibita, ad normam can. 1399 Codicis Iuris Canonici, habenda esse atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda *Opera omnia* Prof. Ioannis Gentile.

Approbatio SS.i.

Et sequenti Feria V, die 21 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Assessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (22 iun. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 22 Iunii 1934.

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

---

46. — Suprema Cong. S. Officii

Responsum 11 april. 1932.

DE ORDINATIONE VALIDA VEL NON.

Species facti: infusio abundantis aquae.

In ordinatione sacerdotali, qui calicem et patenam praeparabat, postquam vinum in calicem infunderat, eundem posuit sub fonte ad miscendam aquam. Sed plus aquae recepit quam exspectabat. Quare cogitavit de augenda copia vini; quod tamen non fecit ne obtemperaret, ut tunc putabat, scrupulositati, cum tunc existimavit se satis vinum infundisse.

Dubium.

Peracta ordinatione, cum calicem purificaret, miratus est copiam vini minorem esse quam ipse putaverat.

Fuit ibi, ut indicat de se dubium probabile, ibi haberi nimiam copiam aquae, quam ut valide in Missa consecraretur,

quamvis copia vini copiam aquae superaret. Ordinatio estne valida ?

Humiliter prostratas, etc.

Responsio 11 april. 1932.

« In plenario consensu habito Feria IV, die 16 mensis martii nuper elapsi, E.mi ac Rev.mi Patres huius supremae S. Congregationis diligenti examini subiecerunt dubium ab Excellentia Tua Rev.ma propositum, de aqua infusa cum vino in calice pro sacra ordinatione novi sacerdotis adhibito ; et omnibus perpensis respondendum mandarunt :

Exc.mus Archiepiscopus... acquiescat.

Impensam meam observantiam, etc.

Annotatio

Cum antea eadem S. Congregatio iussisset iterari ordinationem sacerdotis cui porrectus fuerat calix contarens plus aquae quam vinum, responsio nobis videtur explicanda morali certitudine formidinis scrupulosae, propter quam ad S. Congregationem recursus factus est.

Et re quidem vera, *a*) Voluit vir timoratus aquam vino mere miscere ; *b*) Maior quantitas aquae quam praeter exspectationem obtinuit, ipsi, prima specie visa est sine influxu serio in ordinationem, cum reiecerit ut scrupulosam subortam ideam augendi vinum ; *c*) Putabat se satis magnam copiam vini infudisse ; *d*) Postea quidem in purificando calice, animadvertit copiam vini minorem esse quam cogitaverat.

Tunc tantum probabile dixit nimiam esse copiam aquae quam ut validae consecrationi satis esset. Attamen statim subiungit, copiam vini esse praevalentem.

Nonne haec ostendunt formidinem scrupulosam, i. e. anxietatem animae timoratae, quae prius placate casum aestimaverat, et postea quaesivit omnimodam certitudinem ?

47. — S. Congr. pro Eccl. Orientali

Decretum 3 april. 1934

DE FORMULIS PRECUM AB ORIENTALIBUS ADHIBENDIS AD LUCRANDAM INDULGENTIAM IUBILAEI REDEMPTIONIS

(A. A. S. 14 iul. 1934, XXVI, 371)

Inter documenta quibus R. R. Pont. suam rituum Orientalium existimationem demonstrarunt, eminet decretum 2 april. huius anni de normis sequendis ab Orientalibus ad lucrandum iubilaeum.

Quanti semper fecerint Romani Pontifices venerabiles ritus orientales, praeclara documenta, diversis edita temporibus, luculenter demonstrant atque testantur. Inter haec certe eminet novissima Apostolica Constitutio *Quod superiore anno* die 2 Aprilis huius anni data, qua ad universum catholicum orbem Iubilaeum Redemptionis extenditur; per ipsam namque peculiares normae praevidentur pro fidelibus rituum orientalium, qui, in iubilaribus visitationibus perficiendis, « iis normis, obtemperare debent, quas, pro diversis ritibus, eorum Patriarchis locorumve Ordinariis Sacra Congregatio, Orientali Ecclesiae praeposita, opportuno tempore impertietur ».

S. C. singulis ritibus consentaneas formulas conficiendas curavit.

Ad hanc pontificiam praescriptionem in effectum deducendam, Sacra haec Congregatio, peritorum rebus liturgicis audita sententia, singulis quibusque ritibus consentaneas formulas concinnandas curavit atque per praesens Decretum publici iuris facit.

Quae accurate servandae quotiescumque public et gregatim cum suis sacerdotibus orientales sacras visitationes peragent.

Quae formulae, iuxta cuiuscumque gentis morem, suis linguis liturgicis vel vernaculis exaratae atque heic adpositae una cum latina versione, adamussim servandae erunt quotiescumque publice et gregatim sacrae Iubilares visitationes a fidelibus orientalibus una cum sacerdotibus suis perficientur.

Privatim uti possunt istis formulis vel etiam aliis precibus a suo cuiusque Ordinario statutis.

Quodsi privatim aut singulatim pium exercitium peragatur, tunc fideles uti poterunt sive formulis supra probatis, lingua liturgica propria vel vulgari, sive etiam aliis precibus, quae, in casu, indoli et formae cuiuscumque ritus, quoad fieri possit, conformes, a suo cuiusque Ordinario statuentur.

De cetero firma manent cetera praescripta.

Firmis tamen manentibus caeteris conditionibus et praescriptionibus dictae Constitutionis Apostolicae et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (3 apr. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus S. C. pro Ecclesia Orientali, die 3 Aprilis, a. 1934,

L. ✠ S. A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus, *a Secretis.*

I. CESARINI, *Adsessor.*

NORMAE SEQUENDAE

Tempus utile iubilaeo sine discrimine calendarii.

1. — Iuxta Constitutionem Apostolicam *Quod superiore anno* (*A. A. S.*, 1934, pp. 139-140), tempus utile ad acquirendam Indulgentiam sancti Iubilaei ad totum terrarum orbem extensi, a die octava Paschatis anni 1934 usque ad diem octavam Paschatis anni 1935 decurrit. Nulla habita est ratio discriminis inter kalendarium iulianum et gregorianum; suum enim quisque populus sequetur.

De cyclo festivo qui respondet liturgicae octavae ritus latini.

2. — Latini ritus octavae liturgicae penes Orientales respondet cyclus festivus, qui etiam ad Ascensionem usque protenditur, discrimine tamen quodam inter varios ritus intercedente: exempli causa, apud Syros cyclus festivus ad quintam Dominicam post Pascha exclusive extenditur; apud gentes vero ritus byzantini usque ad Apolysim Liturgiae feriae IV ante Ascensionem; quae omnia Rev.mi locorum Ordinarii in fidelium notitiam deducenda curabunt.

Ordinarii possunt in vernaculas linguas formulas liturgicis linguis expressas traducere.

3. — Formulas potioribus linguis liturgicis impressas et heic appositas, Patriarchae aliique Ecclesiarum Ordinarii in vernaculas linguas (arabicam, italicam, bulgaricam, albanensem, etc.), si id opportunum in fidelium commodum visum fuerit, transferendas curabunt.

Optio quae datur pro privatis visitationibus.

4. — Pro Ecclesiae visitationibus privatim faciendis, aut non interveniente sacerdote, fidelibus fas esto eisdem formulis uti, aliisve ab Ordinariis opportune designatis, quae tamen inter magis usitatas proprii ritus et unicuique populo notas, quantum fieri potest, eligantur.

Fideles orientales commorantes extra territorium proprii Ordinarii maiorem optionem habent.

5. — Ad normam citatae Constitutionis Apostolicae (pp. 141-142), fideles rituum orientalium, extra territorium proprii Ordinarii commorantes, uti poterunt formulis hic typis impressis, vel precibus a proprio Ordinario statutis, vel denique iis, quae apud fideles latini ritus in usu sunt.

Extra proprium territorium possunt coniuncti latinis horum preces adhibere.

6. — Quotiescumque orientalium rituum fideles, qui extra proprium territorium versantur, latinis fidelibus consociantur in peragendis sancti Iubilaei visitationibus, horum preces adhibere valeant; in proprio autem territorio, eas tantum, quas Ordinarius probaverit.

De cetero sancte custodiant normas Const. Apostolicae.

7. — Quoad caetera, quae preces minime spectant, Orientales quoque Constitutionis Apostolicae normas sancte custodiant.

ANNOTATIONES

I. - Origo decreti praesentis repetenda est ex voluntate qua S. Pont. voluit ut Orientales, qui ignorabant indulgentias, earum participes fierent.

In Const. quae ad universum Orbem iubilaeum extenditur praevidentur peculiares normae quas, alias in alio ritu, S. C. pro Eccl. Or. impertietur Patriarchis vel locorum Ordinariis, servandae quando Orientales publice et gregatim una cum sacerdotibus suis visitationes peragent.

Inde praesens fasc. 9 (vol. primus seriei II), latina et lingua propria liturgica exhibet formulas sequendas I. pro *ritu Alexandrino, A* Coptorum (pag. 321-335); — *B* Aethiopus (pag. 366-345). II. pro *ritu Antiocheno A* Syri et Malankarenses (pag. 346-357); — *B* Maronitae (pag. 358-367). III. pro *ritu Armeno* (368-381). IV pro omnibus *ritus byzantini, A* Graece (382-391); — *B* Arabice (391-397); — *C* Staroslavice (398-401); — *D* Rumenice (402-405). V. Pro omnibus *ritus Chaldaei* (Chaldaei et Malabarenses) (405-415).

II. - Decretum non indiget alia explicatione. Unum observabimus de norma 2, quae nobis videtur dicere, in ritibus Orientalibus ritum festivum qui a Paschate inequaliter protenditur, recte comparari posse cum ritu octavarum Latinarum.

---

48. — S. Congr. Caeremonialis

I.

Decretum 27 maii 1934

DE ABBATE S. HIERONYMI IN URBE

(A. A. S., 14 sept. 1934, XXVI, 522).

Attento munere, abbati concedit privilegium sedendi in Cappellis Pontif. post Abbates Generales.

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, rei opportunitate diligenter perpensa, ut peculiarem ostenderet benevolentiam Apostolicae Sedis erga abbatiam S. Hieronymi, auctoritate et munificentia Sua nuper in Urbe erectam, quae non modo huic Sanctae Sedi immediate subiecta est, sed etiam singulari prorsus vinculo ei devincitur, cum, praeter Vulgatam

emendandam, alia quoque studia peragere semper praesto esse debeat, ad nutum ipsius Summi Pontificis, decrevit, ut Abbati dictae abbatiae S. Hieronymi privilegium concedatur in Cappellis Papalibus sedendi post Abbates Generales.

Inde potest ipse solus Cappellis Pontificiis assistere.

Quapropter, vi praesentis Sacrae Congregationis Caeremonialis decreti, statuit ut Abbas qui monasterio S. Hieronymi pro tempore praeest, isque solus, Cappellis Papalibus adsistere valeat, iuxta normas et consuetudines quae pro huiusmodi consessibus servari solent.

Clausula derogatoria.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Dies (27 maii 1934).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Caeremonialis, die 27 Maii, in festo Ss.mae Trinitatis, anno 1934.

† I. Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE,
Episc. Ostiensis et Albanensis, *Praefectus.*

L. ✠ S. B. NARDONE, *Secretarius.*

---

49. — S. Paenit. Apost. *(Officium de indulgentiis).*

Decretum 9 iul. 1934

PRECES IN MEMORIAM QUINQUE SACRORUM VULNERUM D. N. I. C. RECITANDAE INDULGENTIIS LOCUPLETANTUR.

(A. A. S. 1 oct. 1934, XXVI, 561).

Indulgentiae occasio.

Occasionem nactus recentissimae solemnitatis Pretiosissimi Sanguinis Iesu Christi Domini nostri, Ss.mus D. N. Pius, divina Providentia Pp. XI, in Audientia concessa infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 6 vertentis mensis, benigne largiri dignatus est *partialem trium annorum indulgentiam* omnibus christifidelibus, qui pia mente ac saltem corde contrito quinque Pater, Ave, et Gloria cum precatiuncula « Sancta Mater, istud agas... » recitaverint in memoriam quinque Vulnerum, ex quibus pretiosissimus ille Sanguis in cruce permanavit; et *plenariam indulgentiam* semel in mense suetis conditionibus lucrandam, si quotidie per intregrum mensem eadem recitatio peragatur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Preces praescriptae.

Indulgentiae.

In perpetuum, sine brevis expeditione.

Derogatio contrariorum.

Dies (29 iul. 1934)

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae Ap., die 9 Iulii 1934.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

[48. 49.]

50. — S. Paenitentiaria Apostolica (*Off. de indulg.*)

Novae Indulgentiae.

(A. A. S. 14 sept. 1934, XXVI, 525).

I.

QUAEDAM SANCTAE CRUCIS INVOCATIO ATQUE SEQUENTIA « STABAT MATER » INDULGENTIIS AUGENTUR.

DECRETUM

Ratio decreti. Appropinquante festo Exaltationis S. Crucis, cuius undevicies saeculare mysterium, prius fuit singulari pietate tantisque solemnibus caeremoniis durante Anno Sacro in Alma Urbe commemoratum, atque maximo spiritus fervore in universo catholico Orbe adhuc celebrandum manet, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, magna sollicitudine affectus ut omnes sui filii, anno iubilari perdurante salutares Redemptionis fructus copiosius sint percepturi, postquam in Anni Sancti decursu indulgentiis ditavit non modo precatiunculam, gratos ob beneficium Redemptionis animi sensus exprimentem (Adoramus Te, Christe...) (1) sed etiam aliam, dulce Lignum Crucis salutantem (O Crux, ave, spes unica) (2), benigne disposuit, ut ex eodem thesauro, unde huiusmodi spirituales favores permanant, aquam salutarem hauriant fideles, qui tam saepe ad infinitam Crucis potentiam confugiunt, ut tot inimicorum impetus et insidias superare valeant, iaculatoriam scilicet precem recitando: « Per signum Crucis, de inimicis nostris libera nos, Deus noster ».

Concessio Pontificis. Quapropter, in audientia die 6 Iulii vertentis anni, infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, idem Summus Pontifex decrevit *partialem trium annorum indulgentiam* acquiri posse, quoties fideles devote et saltem animo contrito praefatam precatiunculam recitaverint, atque *plenariam indulgentiam* suetis conditionibus, semel in mense, si singulis diebus, durante mense, eamdem recitationem peregerint.

Ratio alterius decreti. Quemadmodum vero Crucis memoria separari nequit ab ineffabilium dolorum recordatione, qui dulcissimum Beatae Virginis Cor iuxta Crucem transfixerunt, ita idem Supremus Pontifex iubet ut hoc anno, in toto terrarum Orbe specialiter de-

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XXVI, pag. 108.
(2) *Ibidem*, pag. 244.

signato ad commemorandam generis humani Redemptionem, peculiares amplioresque spirituales favores singulis fidelibus concedantur, qui singulari ea, qua decet, pietate gratique animi sensibus, suae amantissimae Matris gemitus recolant, recitando valde simplices et amore plenas invocationes, quae continentur in sequentia « Stabat Mater dolorosa » prout sacra Liturgia easdem fidelibus proponit, non tantum ut eius doloribus compatiantur, sed praecipue etiam ut ad deflenda propria peccata, veram equidem ineffabilium poenarum causam, impellantur.

Concessio Pontificis.

Itaque in supra dicta audientia Sanctitas Sua non modo partialem indulgentiam, praefatae sequentiae iam adnexam, augere dignata est ad *septem annos* quoties devote recitetur, verum etiam decrevit ut *partialis indulgentia quingentorum* dierum concedatur recitationi unicae strophae eiusdem sequentiae « Sancta Mater, istud agas... », quam simpliciores quoque fideles apprime sciunt quamque saepius, in iubilaribus visitationibus tam elapsi quam praesentis anni, coram imagine Virginis recitarunt vel recitaturi sunt; *plenaria* autem, semel in mense, suetis conditionibus non modo integrae sequentiae, verum etiam huic simplici strophae, si singulis diebus, durante mense, alterutra ad arbitrium recitatio peragatur ad recolendam talium dolorum memoriam ea pietate, quae in animo revera contrito nunquam deesse potest.

Perpetuitas concessionis.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (1 aug. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 1 Augusti 1934.

L. ✠ S. L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior*

I. TEODORI, *Secretarius*

II.

INDULGENTIIS AUGETUR « DIES PRO MISSIONIBUS »

DECRETUM

Ratio decreti.

Indeficiens semperque maius Missionum incrementum inter infideles Summo Pontifici Pio XI maxime cordi est, qui vehementer exoptat, ut per universum terrarum orbem Christi regnum provehatur, ac praesertim apud dissitas et inaccessas regiones illas, ad quas evangelica lux nondum pervenit.

Idcirco Ipse, de animarum salute valde sollicitus, usque ab anno 1926, per decretum S. Rituum Congregationis, die 14 Aprilis editum (1), omnibus et singulis christifidelibus, peculiarem diem, qui quidem *Dies pro Missionibus* appellaretur, indicare voluit in paene ultima Dominica mensis Octobris quotannis et perpetuo celebrandum.

Huiusmodi festum eo spectavit, ut laudabile inceptum illud increbresceret, quod *Propagandam Missionariam* vocant, scilicet quo melius ac facilius, per opportunas instructiones, dignosceretur Opus Propagationis Fidei, simulque eum materialis ac necessarius obolus colligeretur tum pretiosior orationis fructus percipi posset. Idem Summus Pontifex singulis fidelibus, eo die ad sacram Mensam accedentibus et pro conversione indulgentiam concedere dignabatur.

Concessio Pontificis.

Quum autem non omnibus facile sit, eodem die indicato, Pane Eucharistico recıeari, idem Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, volens aliquo modo cunctis favere in audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 20 Iulii vertentis anni concessa, benigne indulsit, ut ii omnes, qui saltem corde contrito ac devote interfuerint alicui e sacris functionibus, eo die celebrari consuetis, et pro infidelium conversione oraverint, *partialem septem annorum indulgentiam* lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (30 aug. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 30 Augusti 1934.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

---

51. — Pontificia Commissio Interpretando Codici

Responsa 29 maii et 30 iul. 1934.

I

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

---

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX, pag. 23.

DE PRIVILEGIIS S. R. E. CARDINALIUM

D. I. An, ad normam canonis 236 § 1 et 2, S. R. E. Cardinalis, ex ordine diaconali transiens per optionem ad ordinem presbyteralem decennio nondum expleto, locum obtineat ante Cardinales presbyteros, qui post ipsum creati sunt.

Praecedentia Cardinalis qui, ante decennium expletum, transiit per optionem ad ordinem presbyteralem.

II. An, vi canonis 239 § 1 n. 12, 13 et 24, S, R. E. Cardinales in Basilicis patriarchalibus Urbis uti possint baculo pastorali, benedicere populo more Episcoporum, et concedere indulgentias ducentorum dierum.

Benedictio more Episcoporum, in basilicis Patriarchalibus Urbis.

R. Ad I. Affirmative.

Affirmative.

Ad II. Negative.

Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, d. 29 mensis Maii anno 1934.

Dies (29 maii 1934).

P. Card. GASPARRI, *Praeses*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

II

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE SECTAE ATHEISTICAE ADSCRIPTIS

D. An ad normam Codicis iuris canonici, qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt.

Assimilatio sectae atheisticae et acatholicae.

R. Affirmative.

II. - DE ELECTIONE ABBATISSAE

D. Utrum verbum *praeesse*, de quo in canone 506 § 2 et interpretatione diei 24 Novembris 1920, intelligendum sit de praesidentia honoris, an iurisdictionis.

Sensus verbi praeesse, in can. 506, § 2.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. - DE RELIGIOSIS DIMISSIS

D. I. An declaratio facti, de qua in canone 646 § 2, requiratur ad hoc ut Religiosus ipso facto habendus sit tanquam legitime dimissus.

Declaratio facti non est necessaria.

Praescriptum can. 672 § 1 non attingit Religiosos dimissos ad normam c. 646.

II. An praescriptum canonis 672 § 1 extendatur etiam ad Religiosos ipso facto dimissos ad normam canonis 646.

R. Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

IV. - DE CONFESSIONE NAVIGANTIUM

Ordinarii, in can. 883 § 1, non sunt Superiores Ordinum.

D. An sub nomine *Ordinarii*, de quo in canone 883 § 1, veniant atiam Superiores maiores Religionis clericalis exemptae.

R. Negative.

Die (30 iul. 1934).

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 30 mensis Iulii anno 1934.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

De prima serie.

Ad I. *De privilegiis Cardinalium.* Canon 236 Cardinalibus concedit optionem alius tituli presbyteralis et diaconalis; et, post decennium, transitum a titulo diaconali ad presbyteralem. Simul autem § 2 statuit praecedentiam Cardinalis qui transiit a diaconali ad presbyteralem, prae omnibus Cardinalibus presbyteris qui post ipsum ad sacram purpuram pervenerunt.

Hinc quaestio mota est utrum idem tenendum sit si, ex gratia Pontificis, diaconus transierit nondum elapsis decem annis diaconatus.

Pont. Commissio sapienter respondit circumstantiam istam nihil influere in iura transeuntis. Re vera enim, can. 236 eam praecedentiam concedit sine ulla distinctione.

Ad II. Quaeritur an etiam in *basilicis patriarchalibus Urbis*, Cardinales uti possint baculo pastorali, benedicere populo more episcoporum, et indulgentiam concedere 200 dierum.

Hic prima specie affirmaris usum istius privilegii. Nihil enim in textu exceptionem quorundam locorum profert vel insinuat.

Nihilominus Pontificia Commissio prudenter *negative* respondit. Si quaeras rationem istius solutionis, eam invenies in peculiari relatione qua basilicae istae ad S. Pontificem referuntur, adeo ut non pauci existiment basilicas istas constituere simul cathedralem ecclesiam Papae.

Ac ni fallimur consideratio privilegii ad eandem conclusionem nos ducit. Observes enim privilegium praesens arte conecti cum celebratione Missae, seu sollemnitatis Pontificiae. Post peracta sollemia solet Pontifex uti baculo pastorali, benedicere sollemniter populo et largiri indulgentias. Iam vero in quattuor Basilicis patriarchalibus Urbis celebratio ad altare Confessionis est per se S. Pontifici reservata.

Quare etiam quae sollemnem celebrationem consequuntur fieri nequeunt nisi a Supremo Ecclesiae Pastore.

N. B. Quia ratio responsi minus cum charactere patriarchali ecclesiae cohaeret quam cum relatione ad Pontificem, nullatenus extendenda foret solutio ad Basilicam patriarchalem Assisiensem.

De secunda serie.

Ad I. Primum dubium conectitur cum sequenti communicatione, quam Em. Cardinalis Secretarius Supremae Congr. S. Officii, die 7 iun. 1933 direxit ad Em. Praesidem Pont. Commissionis: « Esaminato il dubbio proposto da Vostra Em. Reverendissima, quale Presidente della Commissione Pontificia per la Codificazione del Diritto per la Chiesa Orientale, colla venerata lettera del 15 giugno 1932, n. 190/32 C. O. se cioè il primo comma del canone 54 § 1 *invalide ad noviciatum admittuntur qui sectae acatholicae adhaeserunt* nella Codificazione del Diritto per la Chiesa Orientale si debba modificare nel modo seguente: *Invalide ad noviciatum admittuntur qui deficientes a fide catholica sectae acatholicae adhaeserunt,* vel actu publico atheismum positive professi sunt, gli E.mi e

Rev.mi Padri, tutto considerato, nella Feria IV 17 maggio p. p. hanno decretato: *Nihil est addendum can. 542 § 1, et ad mentem.* La mente è che la Commissione Pontificia per l'interpretazione del Codice di Diritto Canonico faccia una interpretazione autentica di ordine generale, da cui risulti che gli apostati iscritti a leghe o associazioni ateistiche, convertendosi contraggono gli stessi effetti giuridici degli apostati che *sectae acatholicae nomen dederunt.*

« In oltre è mente che la stessa Commissione Pontificia per l'interpretazione del Codice I. C. dovrà giudicare se e come convenga estendere ai suddetti apostati gli stessi effetti giuridici che in forza dei relativi canoni, p. e. 987 § 1, 1060, 1099, 1931 ecc., gli acattolici convertiti contraggono in relazione alla sacra Ordinazione o al Matrimonio ».

Hinc Pont. Commissio, omnia una sententia complectens, hoc dubium solvendum suscepit: An ad normam Codicis iuris canonici, qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt?

Cui dubio, cum respondeatur *affirmative*, haec colligenda videntur:

1. Per verba « ad normam Codicis iuris canonici » Commissio, obsecundas Supremae Congregationi, declarat se authentice interpretari genuinum sensum Codicis, non autem extendere verba Codicis.

Ac re quidem vera atheus pleniorem quam haereticus apostasiam committit.

Per verba « qui ascripti sunt vel fuerunt », attinguntur cum praesentes athei tum conversi a tanto errore.

Per verba « quoad omnes iuris effectus, etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium », complecti intendit omnes effectus magis remotos sicut

et proximos. Atque observes, cum Suprema Congr. hic locuta sit de « *extensione* » ad atheos sanctionum contra acatholicos, Pont. Commissio mere omnes habet Codice iam comprehensos. Quare non pro futuro tantum tempore sed etiam pro praeterito declarat perfectam aequalitatem acatholicorum et atheorum. Notes tamen haec valere de iis qui *sectae* atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, ne ansa daretur iuris incerti et confusi, si attenderetur atheismus singularis personae, qui minus manifestus est et etiam saepe minus stabilis probatur.

Ad II. Commissio mere inculcat quod de se erat satis manifestum, in can. 506 § 2 agi de praesidentia iurisdictionis et non mere honoris. In canone enim praeesse dicitur is cui moniales subiectae sunt; distinguitur assistentia et praesidentia. Confirmatur responso Pont. Commissionis 24 nov. 1920.

Ad III. Commissio ambo haec de religiosis publice apostatis a fide catholica, vel qui fugam arripuerint cum persona alterius sexus; vel qui matrimonium attentarint vel contraxerint, aut vinculum, ut aiunt, civile: ipsos esse habendos ipso facto tamquam legitime dimissos, etiam si Superior non emiserit declarationem facti quam e § 2 facere iubetur; nec sic dimissos obligari ad claustra repetenda, vel religioni imponi obligationem eum recipiendi emendatum. — Responsum non caret momento.

Ad IV. De can. 883, qui facultatem tribuit confessiones audiendi in mari sacerdotibus a *quibusdam Ordinariis* probatis ad confessiones, declaratur nomine Ordinariorum non venire Superiores maiores Religionis clericalis exemptae. Quod nobis videbatur consentaneum menti Codicis qui, cum agitur de audiendis personis non regularibus, iurisdictionem postulat datam Pontificia aut diocesana auctoritate. Textus tamen ambigi poterat ob omissam vocem Ordinarii *loci;* quare sententiae benigniori probabilitatem externam non negaveramus.

---

52. — S. Romana Rota

Normae S. Romanae Rotae Tribunalis

EDITAE 22 IUN. 1934

(A. A. S. 2 sept. 1934, XXVI, 449)

Regularum origo.

Rotae a Pio Pp. X, sanctae memoriae, in exercitium revocatae, per Constitutionem *Sapienti consilio* diei 29 Iunii 1908, data est simul *Lex propria*, qua — statuta constitutione et competentia Tribunalis — tradita sunt generalia quaedam de modo iudicandi praecepta. His nisum, Rotale Collegium *Regulas* descripsit *servandas in iudiciis apud S. Romanae Rotae Tribunal*, quibus idem Summus Pontifex die 2 Augusti 1910, vim, legis dedit.

Codex autem iuris canonici, a Benedicto Pp. XV fel. rec. die festo Pentecostes anni 1917 promulgatus, rursum constitutionem et competentiam Rotae designavit, de iudiciis vero amplissime cavit et ita quidem ut plurimae ex Rotae regulis factae sint universales, ut videre est in notis, quibus canonum fontes indicantur.

Codice promulgato et observato rerum usu, visum est auditoribus novas normas conscribere.

Codice promulgato et observato rerum usu, visum est Auditoribus novas conscribere normas, quibus plura definirentur spectantia ad constitutionem Tribunalis et ad officium Auditorum aliorumque Tribunali addictorum, de iudiciis vero generales Codicis leges indoli atque stylo Rotae aptarentur.

Has in audientia Decani 22 iun. 1934 Pontifex approbavit, ut in Rota vim legis haberent. Ideo mandavit ut in Commentario officiali A. Sedis ederentur.

Quas normas, cum Auditores humiliter obtulissent Sanctissimo Domino Pio XI, quem Deus diutissime sospitet, idem, praevio maturo examine, in audientia infrascripto concessa die 22 Iunii 1934, approbavit, in Rota vim legis habituras, contrariis quibusvis non obstantibus. Ideo mandavit, ut hae *Normae S. Romanae Rotae Tribunalis* ederentur in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali.*

Dies (29 iun. 1934).

Romae, die 29 Iunii 1934.

M. MASSIMI, *Decanus.*

ANNOTATIO

Post hanc introductionem, sequuntur per 40 pag. (a pag. 451 ad pag. 491) normae variis titulis et capitibus distinctae.

53. — Vicariatus Urbis

Notificatio 9 aug. 1934 in Romana beatificationis et canonizationis Servi Dei Pii Pp. X.

PROCESSUS SUPER PERQUISITIONE SCRIPTORUM QUAE DICTO SERVO DEI TRIBUUNTUR

A. A. S. 1 sept. 1934, XXVI, 4951

NOTIFICATIO

Ad construendum Processiculum diligentiarum super perquisitione scriptorum.

Cunctis hanc praesentem perlecturis notum sit quod hic in Urbe — absoluto iam Processu Ordinario informativo super fama sanctitatis Servi Dei Pii Pp. X. — nunc ad constructionem Processiculi diligentiarum super perquisitione scriptorum eiusdem Servi Dei attenditur, ad normam cann. 2038, et 2042 et seqq. Codicis iuris canonici:

Monentur omnes Ordinarii locorum et ceteri ut quam citius transmittant documenta scripta privata ad tribunal Vicariatus.

Ideo omnes et singuli R.mi Ordinarii locorum, animarum pastores ceterique sacerdotes ac fideles in Domino admonentur ut, si quae dicti Servi Dei scripta (opera inedita vel typis impressa, conciones, epistolae, diaria, autobiographiae, quaecumque a Servo Dei propria vel aliena manu exarata; *non autem litterae pastorales vel encyclicae, brevia, benedictiones apostolicae aliaque documenta quae publici iuris sunt*) a seipsis vel ab aliis adservata noverint, ea diligenter collecta, in originali vel in exemplari authentico, quam citius ad hoc S. Tribunal (Via della Pigna A, Roma) transmittere ne omittant, attentis praesertim canonibus supra citatis.

Expensae statim solventur.

Expensae pro exemplari conficiendo ac transmittendo, si quas quis forte obeat ac notificet, statim solventur.

De mandato Cardinalis.

De mandato E.mi ac R.mi D.ni Card. Urbis Vicarii.

Dies (9 aug. 1934).

Romae, ex Aedibus S. Tribunalis, die 9 Augusti anno Domini 1934.

PETRUS MATTIOLI, *Cancellarius*,

ACTA SUMMATIM RELATA

54. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Canonizatio B. Ioannae Antidae Thouret;

A. 1. *Litteris decretalibus* 14 ian. 1934, B. Ioannae Antidae Thouret virgini, Sanctorum caelitum honores decernuntur (*A. A. S.* XXVI, 417).

B. Michaelae ab Augusto Sacramento.

2. Litteris decretalibus 4 maii 1936, B. Michaelae ab augusto Sacramento, fundatrici sororum Ancillarum SS. Sacramenti et a Caritate, sanctorum honores decernuntur (*A. A. S.* XXVI, 529).

Canonizatio B. Conradi a Porzham.

3. Die 20 maii, in festo Pentecostes, anno 1934, SS. D. N. sollemnem canonizationem peregit B. CONRADI A PARZHAM confessoris.

Is, in humillimo ianitoris munere, quod religiosae familiae suae moderatores ei concrediderant, quodque patientiae, perspicaciae sagacitatisque non parum postulat, quam diligentissime piissimeque obeundo, ad summum sanctitatis fastigium pervenire contendit. Nihil profecto mirum in cotidianae eius vitae ratione, nihil est extra rerum ordinem factum; at omnia fuere ad caritatis, oboedientiae religionisque normam fidelissime gesta (*A. A. S.*, XXVI, 285).

Petrus Ren. Roque, Mission S. Vincentii, Beatus Renuntiatur.

4. Brevi *Tuitioni itaque*, 10 maii 1934, Ven. Servus Dei Petrus Renatus Roque, presbyter Missionis S. Vincentii a Paulo, in odium Fidei interemptus Beatus renuntiatur (*A.A.S.* XXVI, 292).

Beata renuntiatur Ioanna Elisabetta Bichier des Ages.

5. Litteris Apostolicis 13 mai 1936, Ven. Serva Dei Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, confundatrix Instituti Filiarum Crucis, vulgo sororum S. Andreae, Beata renuntiantur (*A. A. S.* XXVI, 429).

Paroeciarum dismembratio ac novae paroeciae erectio.

B. Bulla *Quo perennius*, 1 dec. 1933, a paroeciarum S. Crucis in via Flaminia et S. Francisci in Monte Malo territorii pars seiungitur ac separatur, ab E.mo Cardinale Vicario definienda, eaque in novam erigitur paroeciam *Praecelsae Dei Matris* nuncupandam et cleri saecularis curis committendam (*A* A. *S.* XXV, 543).

Patroni archidioecesis Rhodiensis.

C. Brevi *Rhodiensis archidioecesis*, 4 oct. 1934, Beatissima Maria Virgo omnium gratiarum Mediatrix sub titulo de monte « Philerimos » praecipua archidioecesis Rhodiensis Patrona,

itemque S. Franciscus Assisiensis, confessor, Patronus secundarius, atque S. Ioannes Baptista Patronus praecipuus civitatis Rhodiensis constituuntur et declarantur (*A. A. S.*, XXVI, 545).

D. *Litterae de ecclesiis.*

Brevi *Extat Metensi in urbe*, 26 aug. 1933, antiquum conspicuumque templum, Metensi in urbe, ad honorem S. Vincentii Martyris Deo dicatum, nomine privilegiisque quae Basilicis minoribus competunt, honestatur (*A. A. S.* XXVI, 291).

Templum S. Vincentii M. in urbe Metensi Basilicae minoris honoribus augetur.

55. — S. C. pro Eccl. Orientali

Decreto 28 febr. 1934, Constitutiones Sororum Aegyptiarum a SS.mo Corde Iesu nuncupatarum, *ad septennium, experimenti gratia*, approbantur. (*A. A. S.*, XXVI, 304).

Approbatio Constitut. Instituti.

56. — S. C. Consistorialis

1. Decreto 13 ian. 1933, paroeciae Floriano Peixoto pars quae comprehenditur inter devortium aquarum fluminum Acre et Ituxy, atque devortium aquarum fluminum *Purus* et *Inacchiny*, a Praelatura *nullius* de Labrea dismembratur et Praelaturae *nullius* S. Peregrini Latiosi in superioribus *Acre* et *Purùs* perpetuo incorporatur: mutatis hac ratione finibus inter memoratas Praelaturas (*A. A. S.*, XXVI, 435).

Mutatio finium Praelaturarum nullius.

2. Decreto 17 oct. 1933, in civitate Recifensi, Apostolicae potestatis plenitudine titulum concathedralitatis transfert ab ecclesia S. Petri ad ecclesiam Matris Dei cum omnibus honoribus, iuribus, ac privilegiis, quibus ceterae ecclesiae concathedrales potiuntur (*A. A. S.*, XXVI, 556).

Translatio tituli ecclesiae concathedralis.

3. Decreto 17 mart. 1934, determinantur fines, nonnullis in partibus, inter dioecesim Romanam ac dioecesim Portuensem et S. Rufinae (*A. A. S.*, XXVI, 300).

Determinantur fines dioecesium.

4. Die 30 iunii 1934, *S. Congr. Consistorialis*, pro *Italia*, confecit normas sequendas in administrandis bonis mensarum dioecesanarum.

Normae pro Italia sequendae in administrandis mensis dioecesanis.

S. Pontifex easdem probavit, obligando Ordinarios dioecesanos ut fidelem earum observantiam curarent.

Eaedem normae regent etiam mensas suburbicarias, exceptis iis quae ad statuta concordati quae sedes istas usus respiciunt referuntur (*A. A. S.*, XXVI, 551).

57. — S. Congr. Rituum.

Festum pretiosissimi Sanguinis ad ritum duplicem primae classis evehitur.

1. Decreto Urbis et Orbis 25 april. 1934, Em. Cardinalis Praefectus authentice refert, a S. Pontifice festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. ad ritum duplicem primae classis evehi. Id factum est ut anni undevicesimi centenarii ab humani generis redemptione memoria in dies perseveraret. Simul approbavit orationem et lectiones in officio legendas.

Nova oratio de festo.

Haec est oratio:

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac eius Sanguine placari voluisti; concede quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis eius virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in caelis. Per eundem Dominum (A. A. S. XXVI, 559).

Ven. Servus Dei Petrus Renatus Rogue.

2. *Veneten.* Decreta, 22 et 29 apr. 1934 super miraculis ac super dubio de *tuto* in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Petri Renati Rogue, presbyteri Congregationis Missionis (*A. A. S.*, XXV, 304. 308).

58. — S. Congr. Caeremonialis.

Decreto 26 iul. 1934, S. Congr. Caerimonialis declaravit agnoscendum esse Forerio Maiori SS. PP. AA. (et consequenter, iuxta praedicta, etiam Praefecto Stabuli et Praefecto Tabellariorum) ius praecedentiae prae supremo Duce Nobilium Custodum Pontificis.

Sententia exarata est ut in forma iudicii. Approbata est a S. Pontifice, qui iussit rite vulgari praesens decretum quod ab hac ipsa die plene viget (A. A. S., XXVI, 523).

59. — Provisio Ecclesiarum

Decreta S. Congr. Consistorialis nominarunt:

Cefalù (Italia).

5 maii 1934, R. D. Aemilianum Cagnoni, cathedrali ecclesiae Cephaludensi.

Ugento (Italia).

5 maii 1934, R. D. Theodoricum De Angelis, cathedrali ecclesiae Uxentinae.

Pavia (Italia).

8 maii 1934, R. D. Ioannem Baptistam Girardi, cathedrali ecclesiae Papiensi.

Massa di Carrara (Italia).

11 maii 1934, R. P. Christophorum Arduinum Terzi, O. F. M., cathedrali ecclesiae Massensi.

12 maii 1934, R. D. Anastasium Forget, cathedrali ecclesiae S. Ioannis Quebecensis. *Quebec (Canadà).*

26 maii 1934, R. P. D. Seraphinum Gomez Jardin, ecclesiae metropolitanae Adamantinae. *Diamantina (Brasile).*

16 iun. 1934, R. D. Emmanuel Pium Lopez, cathedrali ecclesiae Tacambarensi. *Tacómbaro (Messico).*

22 iun. 1934, R. D. Iosephum Machens, cathedrali ecclesiae Hildeshiensi. *Hildesheim (Prussia).*

25 iul. 1934, R. P. D. Carolum Margotti, metropolitanae ecclesiae Goritiensi et Gradiscanae. *Gorizia e Gradisca (Italia).*

28 iul. 1934, R. P. D. Iacobum Cassidy, cathedrali ecclesiae Riverormensi. *Fall River (S. U. A.).*

11 aug. 1934, R. D. Ioannem Hugonem Mac Donald, cathedrali ecclesiae Victoriensi in insula Vancouver. *Victoria nell'Isola Vancouver (Canadà).*

22 aug. 1934, R. D. Robertum Nogara, archiepiscopali ecclesiae Cosentinae. *Cosenza (Italia).*

6 sept. 1934, R. D. Carolum Falcinelli, cathedrali ecclesiae Aesinae. *Jesi (Italia).*

12 sept. 1934, R. P. D. Petrum Tagliapietra, archiepiscopali ecclesiae Spoletanae. *Spoleto (Italia).*

13 sept. 1934, R. P. D. Ioannem Chimento, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Mercedensi. *Mercedes (Rep. Argentina).*

13 sept. 1934, R. P. D. Dionysium Tibiletti, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, S. Ludovici in Argentina. *S. Luis (Argentina)*

13 sept. 1934, R. P. D. Leopoldum Buteler, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, de Rio Cuarto. *Rio Cuarto (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Franciscum Vicentin, cathedrali ecclesiae Corrientensi. *Corrientes (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Froilanum Ferreira Renafé, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Rioensi. *Rio (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Leandrum Astellara, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, de Bahia Blanca. *Bahia (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Caesarem Cáneva, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Azulensi. *Azul (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Antonium Caggiano, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Rosariensi. *Rosario (Argentina).*

13 sept. 1934, R. P. Carolum Hanlon e Congr. cler. exalc. SS.mae Crucis et Pass. D. N. I. C., cathedrali ecclesiae Catamarcensi. *Catamarca (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Hannibalem Verdaguer, cathedrali ecclesiae, neper erectae, Mendozensi. *Mendoza (Argentina).*

13 sept. 1934, R. D. Nicolaum Esandi, Societatis S. Francisci Salesii, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Viedmensi. *Viedma (Argentina).*

Jujuy (Argentina).

13 sept. 1934, R. P. Henricum Mühn, e Societate Verbi Divini, cathedrali ecclesiae, nuper erectae, Jujuyensi.

Paranà (Argentina).

18 sept. 1934, R. D. Zenobium Guilland, metropolitanae ecclesiae Paranensi.

Salto (Uruguay).

20 sept. 1934, R. D. Robertum Tavella, Societatis S. Francisci Salesii, metropolitanae ecclesiae Saltensi.

Caratinga (Brasile).

28 sept. 1934, R. P. D. Iosephum M. Parreira Lara, cathedrali ecclesiae Caratingensi.

Città di Castello (Italia).

29 sept. 1934, R. D. Philippum Cipriani, cathedrali ecclesiae Civitatis Castelli, seu Tifernatensi.

60. — Necrologium

Bourges (Francia).

31 maii 1934, D. Martinus Hieronymus Izart, archiepiscopus Bituricensis.

Adana degli Armeni (Tur. A.).

13 iun. 1934, Don Pascalis Keklikian, episcopus Adanensis Armenorum.

Almeria (Spagna).

24 iun. 1934, D. Bernardus Martinez y Noval, episcopus Almeriensis.

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

Joannes Baptist Sägmüller — *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts.* Vierte vollständig umgearbeitete Auflage. Vol. (15,5×25), 172 pag. Verlag Herder, Freiburg im Breisgau, s. d.

Erster Band. Vierter Teil. Die Kleriker im Einzelnen. I. Der Papst un die Teilhaber and der Päpstlichen Gewalt.

Francesco Invrea (avvocato) — *La parte generale del diritto.* Vol. (18×24,5), XXVIII - 448 pag. C. E. D. A. M., Padova 1935. Prezzo L. 45.

Introduzione - (pp. 1-15) - I diritti cosiddetti soggettivi - Le potestà giuridiche - I titoli giuridici - Il diritto cosidetto oggettivo, ossia il diritto ordinativo - I fatti volontari - Gli atti giuridici - I negozi giuridici - Il torto - I rimedi contro il torto - Il torto penale, ossia il reato - L'azione, ossia il diritto d'azione cognitiva.

Opus proprium anctoris, ius civile cum iure canonico comparans.

J. Hollnsteiner — *Die Spruchpraxis der S. Romana Rota in Ehenichtigkeitsprozessen seit Geltung des C. I. C.* Vol. (14,6×22,6), VIII-163 pag. Herder, Freiburg ins Breisgau, 1934. Non ligatum 3,80 M.

Vorwort - Einleitung: Die S. Romana Rota und ihre Decisiones - Ehenichtigkeitspozesse auf Grund der Impedimenta dirimentia - auf Grund des Defectus consensus matrimonialis - auf Grund eines wesentlichen Formfehlers der Eheschliessung - Verzeichnis der angeführten Ponenten der S. R. Rota.

M. Pruemmer (O. P.) — *Manuale Iuris Cononici in usum scholarum.* Editio sexta quam curavit Engelbertus M. Münch, O. P. Vol. (16×24,5), XLV-756 pag. Freiburg im Breisgau, Herder, 1934. Ligatum R. M. 12. 60; non ligatum 11. 20.

Brevis catalogus auctorum qui de iure ecclesiastico scripserunt. I. De fontibus et normis generalibus iuris ecclesiastici. II. De personis etc. (De cetero sequitur ordinem Codicis).

Edmond Rubbens — *Édouard Ducpétiaux.* 1804-1868. 2 vol. (15,5×23,5), Édit. de la Soc. d'Étud. Mor. Soc. et Jur., Louvain, 1922-1934.

Tome premier: XVIII-287 pag. - Jeunesse et études - Controverses sur la peine de mort - La Révolution de 1830 - Ducpétiaux criminaliste - Appréciation de l'oeuvre pénitentiaire de Ducpétiaux. - Tome second: 218 pag. - Réforme des Etablissements de Bienfaisance - La Question de la Charité - Ducpétiaux publiciste, économiste et precurseur social - Les Grandes Assemblées générales des Catholiques à Malines - Ducpétiaux bienfaiteur de sa ville natale - Sa vie privée et sa mort.

Maurice Damoiseaux — *Les Institutions Nationales de la Belgique.* Éléments de Droit Constitutionnel et de Droit Administratif. IVe Éd. Vol. (12,5×19,5) 242 pag. Ed. de la Soc. d'Étud. Mor. Soc. et Jur., Louvain. s. d. 15 fr.

De la situation internationale, du territoire et des colonies de la Belgique - De la qualité de Belge - Des libertés constitutionnelles - Du gouvernement et des pouvoirs - Des finances - Dispositions générales - De la revision de la constitution.

Louis Rouzic — *Le Prix des Larmes.* A ceux qui pleurent. Troisième édit. Vol. (12×19), X-393 pag. Téqui, Paris 1934. 10 fr.

Nature des larmes - Nous est - il permis des verser de larmes? - Jésus et les larmes - Les larmes de la très sainte Vierge - Les larmes des saints - Nos larmes - Les larmes des poètes - Les larmes des génies - Les larmes dans la nature - L'éloge des saintes larmes - La patrie et le temps des larmes - De quelques livres célèbres et des larmes - Quelques notes pour servir à une histoire des larmes.

Léonard Bohler (O. F. M.) — *Une émule de soeur Marie de Bon-Secours: Soeur Marie-Agnès* (Franciscaine de N. D. du Temple). Vol. (12×18,5 XII-94 pag. Téqui, Paris 1934. 5 fr.

Joseph Doyen — *Cloches intérieures.* (Méditations sur quelques vérités salutaires). Vol. (12×19), 229 pag. Téqui, Paris 1934. 10 fr.

De l'Être de Dieu - Du Mal - Sur la mort - La Croix - Sur la Sainte Eucharistie - Le Travail - De la Prière - Sur la Richesse - Du Jugement dernier - Marie et l'Incarnation - Marie et la Rédemption - Le Sacrifice - Vers les Vivants - Les Vivants - Hymne à l'Esprit.

Marchand — *La faillite initiale du Protestantisme.* (Aperçu historique et doctrinal). Vol. (12×19), XII-258, Téqui, Paris 1934, 10 fr.

I. Luther et le luthéranisme: le milieu. Le personnage - L'oeuvre. II. Calvin et son oeuvre.

PARS ALTERA

MONUMENTA

61. — SS. D. N. Pius Pp. XI

NUNCIUM RADIOPHONICUM

A BEATISSIMO PATRE, DIE XIV OCTOBRIS MDCCCCXXXIV, AD URBEM BONAERENSEM DATUM POST SOLEMNIA PONTIFICALIA IBIDEM, AD EXITUM CONGRESSUS UNIVERSALIS XXXII EUCHARISTICI, A CARDINALI LEGATO PERACTA.

(*A. A. S.*, 3 nov. 1934, XXVI, 577).

Christus Rex Eucharisticus vincit.
Christus Rex Eucharisticus regnat.
Christus Rex Eucharisticus imperat.

Quo animo Pontifex aderat laboribus

Haec laetabundi et gaudentes Nobiscum animo reputantes, pios labores vestros, dilectissimi in Christo filii, quotidie et quavis paene hora, marconiana ope quasi praesentes, prosecuti sumus.

et nunc exsultans triumphat.

Nunc vero glorioso conventu vestro expleto, iuvat exsultanter adiungere:

Christus Rex Eucharisticus triumphat.

Votum de extensione regni Christi.

Atque utinam mitissimi et amantissimi Regis nostri una cum victoria et regno et imperio — Eidem necessario pertinentibus — pacificus etiam triumphus ab nobilissimis Argentinis oris ad omnes usque terrae partes, imo etiam ad omnes intelligentias omnesque voluntates tandem aliquando pertingat.

Ibi reperiet mundus pacem.

Ita enim egens et ob fraterni quoque regiique sanguinis effusionem afflictus mundus ibi veram, firmam atque a tot malis liberam pacem inveniet, ubi unice viget et datur, pacem inquimus Christi in Regno Christi.

Benedictio sollemnis Pontificis.

Haec ominantes a Deoque suppliciter precantes, paternam manum super vos omnes et singulos in persona Christi extendimus et Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus, dicentes: Per intercessionem Beatae Mariae semper Virginis de Lujan singularis patronae Reipublicae Argentinae, Beati Michaëlis Archangeli, Beati Ioannis Baptistae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beatorum Martyrum Rochi Gonzalez, Alfonsi Rodriguez et Ioannis de Castillo, sed et omnium Sanctorum, Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos et maneat semper.

62. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola Apostolica (1) 10 nov. 1933

DE ACTIONE CATHOLICA IN LUSITANIA ORDINANDA

(*A. A. S.*, 1 dec. 1 1934, XXV, 628)

PIUS PP. XI

DILECTE FILI NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Consilium aptius ordinandi Actionem Catholicam,

Ex officiosis litteris, in quibus ceterorum etiam Lusitaniae episcoporum nomine consilium communiter initum significabas aptiorem Actionis Catholicae constitutionem ordinationemque quam primum apud vos suscipiendi, eiusque in auxilium cetera apostolatus opera redigendi, haud mediocri Nos laetitia eo vel magis affecti sumus, quod datis a Nobis normis vos obsequi videmus, adumbratumque per potiora lineamenta *Statutum* Nobiscum communicare. Quod vero spondetis ab iis quam diligentissime apparandis, qui consociationibus moderentur, inceptum huiusmodi vos esse inchoaturos, id admodum Nobis placet; quandoquidem experiendo est cognitum ex iis potissimum institutorum quorumlibet incrementa pendere, qui eadem dirigunt ac regunt. Ac profecto in Natione ista vestra, quae et

atque inchoandi a selectione qui consociationibus moderentur, approbat et laudat S. Pontifex,

(1) Ad Em̃um P. D. Emmanuelem S. R. E. Presb. Card. Gonçalves Cerejeira, patriarcham Olisiponensem.

christiano spiritu et catholicae religionis monumentis memoriisque floret, quaeque vel recens extraordinariis a Deipara Virgine beneficiis dignata est, haud graves officient difficultates, quominus probi cives habeantur, qui sanctissimae huic Iesu Christi militiae ultro libenterque adsciscantur. Quae tamen ut suos parere salutares fructus possit, prorsus necesse est sodales omnes ab optime instructis moderatoribus duci atque institui; ab idoneis praesertim *ecclesiasticis*, ut aiunt *Adsistentibus*, quibus quidem in manu sunt sodalitatum sortes atque fortuna. Ac tametsi Nos prospicimus, idque summo cum animi Nostri gaudio, frequentes eos fore, qui, Pastorum suorum dicto audientes, suum sint nomen apostolorum huic exercitui daturi, opportunum tamen ducimus, primis praecipue temporibus, ad sociorum potius praestantiam quam ad eorum numerum animadvertendum esse; idque eos sedulo docendo conformandoque non modo ad religionis optimorumque morum praecepta quod attinet, sed ad apostolicam etiam navitatem: eo scilicet consilio, ut adiutricem ecclesiasticae hierarchiae operam actuose generoseque praestare queant. Hac sane de causa utiliter condocefiant oportet — quod multi adhuc e christifidelibus ignorant — apostolatum reapse officium esse christianae vitae necessarium; et in multiplicibus, quae praesto sunt, apostolatus rationibus, bene utique omnibus de Ecclesia meritis, Actionem Catholicam novis aetatis huius nostrae necessitatibus — tantopere letali *laicistarum* opera pessumdatae — satius aptiusque occurrere atque mederi.

Delectus non valde laboriosus erit.

Idonei praesertim ecclesiastici assistentes *sunt necessarii.*

Ac prius, magis quam ad numerum, ad sociorum praestantiam attendant.

Doceantur apostolatum esse officium christianae vitae necessarium.

Ac revera, modo quisquis rem attente consideret, ipsa Baptismatis Confirmationisque sacramenta in variis, quae imperantur, officiis, apostolicum etiam studium praecipiunt; voluntatem videlicet proximis cuiusque suis spiritualem opem ferendi, Confirmatione nempe Iesu Christi milites efficimur; atqui militi cuique non tam pro suo quam pro ceterorum bono elaborandum pugnandumque esse nemo est qui non videat. Quod quidem officium Baptismatis etiam sacramentum suadet, quamvis id profanis non aeque pateat. Indidem enim Ecclesiae veluti membra evadimus, hoc est mystici Iesu Christi corporis. Haec autem, ut alia cuiuslibet corporis membra, quemadmodum eamdem vitam participant, ita necessum est communia commoda utilitatesque persequi atque provehere. « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (1). Quapropter alterum auxilietur alteri; nullum sit iners membrum; sed singula, ut accipiunt, ita dent oportet.

Quod demonstrat ratio baptismatis et confirmationis.

Membra Ecclesiae, mystici I. C. Corporis, sicut eandem vitam participamus, ita debemus communia commoda et utilitates persequi.

(1) *Rom.*, XII, 5.

Uberem vitam Christi curare debent ut transfundant in eos qui illa carent.

Iamvero, ut christifideles supernaturalem vitam hauriu quae per mystici Iesu Christi corporis venas defluit - - uber equidem vitam, quam ipsemet Christus se nobis detuli asseverat: « veni ut vitam habeant et abundantius habeant » — ita in illos omnes transfundendam curent, qui eadem neutiquam fruantur, vel exigue, vel specie tantum.

Quodsi praecipuam hanc catholicae fidei doctrinam iid pernoscant atque perpendant, non dubitamus quin novum a stolatus studium eos incendat et ad impense operandum co pellat. Etenim, actione remota atque neglecta, quae vitam cessario indicat, metitur et auget, vita ipsa vix intellegi pot

Optat ut annus Redemptionis memoriae sacer hanc vitam christianam renovet. Ad quod conferet Actio Catholica.

Ac faxit utinam Deus — quod in optatis Nobis est stramque spem commovet — ut piacularis hic annus, divi Redemptionis memoriae sacer, christianam eiusmodi vitam mortalium animis renovet atque redintegret. Quam ad assequendam summopere profecto conferet Actio Cathol quam Nos haud mediocri cum animi solacio cernimus ubi terrarum — ac vel in ipsis a Missionalibus peragratis regio bus — non sine maximis Ecclesiae ipsiusque civilis consortio beneficiis, auctiora cotidie incrementa capere.

Haec directo ad spiritualis vitae finem contendit.

Hinc facile colligitur Actionem Catholicam, eadem qui ratione atque ipsam Ecclesiam, cui adiutricem operam na non ad terrestris huius vitae finem assequendum directo c tendere, sed ad spiritualis potius atque supernae.

Quare postulat ut sit aliena a politicarum partium studiis.

Quamobrem, quemadmodum Ecclesiae, ita Catholicae tionis natura postulat, ut eadem a politicarum partium stud alienam se praestet: quandoquidem hoc, de quo agimus, cat licorum militantium institutum, cum Iesu Christi regnum privata hominum vita, in domestico convictu et in publica vium consortione etiam atque etiam provehat, non ad pecul res ordinum ac coetuum utilitates nanciscendas, sed ad anim rum bonum procurandum spectat; itemque ad christifideles o nes, concordibus viribus animisque, consociandos, qui ampl simo sanctissimoque huic apostolatus operi prodesse cupian

Id tamen non prohibet catholicos viros a politicis sodalitatibus.

Id tamen catholicos viros a politicis sodalitatibus sing latim non prohibet, modo eaedem fidem faciant se nihil e in Dei Ecclesiaeque iura molituras. Quin immo rei publi consulere eiusque participare munera, patriae caritatis idci officium est, quod quilibet civis Nationis suae bono prospice pro facultate, debet. Quodsi praeterea hoc publica negotia p ticipandi studium christianae doctrinae respondeat ab ea

(1) Io., X, 10.

rigatur, ad socialis religiosaeque vitae incrementum non con-
rre non potest.

Actio igitur Catholica, quamvis reapse districtaque ratione rebus politicis moliendis se ipsamet abstineat, verumtamen dales suos ad rectam Civitatis moderandae disciplinam chri-anis praeceptis obtemperare opus est, utpote quae una pa-m prosperitatemque populis impertire queant. Ita enim nullo odo continget — quod, etsi foedissimum, non raro, accidit — homines, qui catholicos se iactant, alium sentiendi opinan-que modum in rebus publicis, alium in privatis profiteantur.

Quamvis ipsa se abstineat a rebus politicis moliendis, sodales suos ad rectam moderandae Civitatis disciplinam praeparat.

Alia praeterea, eademque non pauca, incepta habentur, in orum utilitatem opportunum hoc catholicorum institutum totis ribus incumbat; immo etiam recte dixeris nullum opus, nati-tatem nullam, quae ad christianae religionis incrementum spec-nt atque conferant ab illius esse studio agendique ratione re-ovenda. In quibus tamen, cum nonnulla occurrant, quae com-unibus ac praecipuis nostri huius temporis necessitatibus res-ndent, haec potissimum persequi atque urgere necessarium est. oc est operariae plebi opem praestare congruam; ac non modo spiritualis vitae rationes quod attinet — ad quam prae primis imadvertendum est — sed ad praesentis etiam; idque nomina-n sodalicia illa provehendo, quorum est socialis aequitatis ca-atisque evangelicae principia ac normas in usum deducere.

Plura incepta in quorum utilitatem totis viribus incumbendum est.

Ita v. g. congruam opem praestare operariae plebi.

Quapropter iis in locis, in quibus sodalicia eiusmodi desunt, tio Catholica eadem excitare contendat; in quibus vero ha-ntur, eadem iuvare enitatur. Nihilo secius in rebus technicis, as vocant, inque rebus oeconomicis eorum agendi rationem n in se ipsa recipiat, sed iisdem libere remittat. Officii sui to omni ope curare ut id genus instituta germanis catholicae ctrinae praeceptis obsequantur, datisque ab Apostolica hac de praescriptionibus pareant, quam divinus humani generis demptor supremam constituit, ad spirituales res quod perti-t, populorum moderatricem; praescriptionibus dicimus, quas r Encyclicas Litteras *Quadragesimo anno* haud ita multo ante pertivimus, quasque nuper libenti animo vidimus non modo Catholica plurimorum regionum Actione, sed a quibusdam am Civitatum Rectoribus veluti normas accipi.

Ubi desint sodalicia quae socialis aequitatis caritatisque evangelicae principia in usum deducant, Actio catholica ea excitabit.

Technicas rationes ipsis remittet.

Praescriptis Quadragesimo anno *oboediant.*

Neque haec agendi ratio est profecto nova; Ecclesia enim, ius divinum Caput *fabri filius* e Nazareth putari et appellari luit, opificibus semper praesentissima adfuit mater, eosque ctrinae suae praestantia assiduaque opera ex foeda redemp-s servitute ad Christi fratrum dignitatem feliciter evexit. Ho-e autem ipsa humilium turbas operariorum singulari prorsus

Haec agendi ratio non est nova; sed hodie salvandi sunt operarii a «communismo».

cura prosequitur, ut non modo bonis, quae ex iure et aequo ad ipsos pertinent, uti fruique possint, verum etiam e dolosa pestiferaque eripiantur vi « communismi », qui, dum per orbem terrarum lumen religionis, quae in libertatem illos vindicavit, diabolica fraude exstinguere conatur, certo periculo eosdem obiicit relabendi aliquando in probrosam veterem servitutem, ex qua tanto labore erecti fuere.

Quare Ecclesia omnes fideles adhortatur ut sibi praesto sint.

Idcirco Ecclesia omnes adhortatur filios, sive ecclesiasticos sive laicos, eos praesertim qui in Actionem Catholicam incumbunt, ut sibi praesto sint ad opus maxime necessarium peragendum, quo spiritualia ac temporalia beneficia, per Christi Redemptionem parta, universo hominum generi praecipueque tenuioribus, sarta ac tecta serventur.

Clericos peculiari ratione exhortatur ut numquam humiliores causari queant se neglectos ab Ecclesia et ab iis qui Ecclesiae se proclamant addictos.

Clericos vero peculiari quadam ratione, sicut iam praefatis Litteris Encyclicis *Quadragesimo anno* fecimus, iterum iterumque exhortamur, ut, nulla interposita mora, hoc opus, animarum saluti perquam necessarium, alacri concordique voluntate aggrediantur, ita ut numquam ii e Nostris filiis, qui socialistarum agminibus tanto animarum discrimine adscribi non vereantur, dicere et causari queant: « ab Ecclesia et eis, qui Ecclesiae addictos se proclamant, locupletibus faveri, operarios neglegi, curam horum haberi nullam ; eam ob causam se, ut sibi consulerent, in acies socialismi instrui et inseri debuisse ». (Cfr Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*).

Praeclarum Actionis catholicae munus erit ut cum Pastoribus arcte coniuncti eos adiuvent in Christiana doctrina tradenda et ubique diffundenda.

Quo autem tam praeclarum propositum perfici possit, necesse quoque est, ut ingentibus populi turmis, quae saepe saepius propter rerum divinarum inscitiam callidis turbulentisque viris se facile tradunt, clarius in dies patefiat lumen et vis christianae veritatis, quae omnes mitigat dolores, dubitationes abigit, pietatis caritatisque opera et labores nobilitat, quaeque vias virtutis speique christianae libero cuique animo aequas expeditasque pandit. Hoc ergo praecipuum esto Actionis Catholicae munus, quod in perillustri Natione ista obeundum erit, ut boni fideles, cum Pastoribus arcte coniuncti, eosdem adiuvent in ipso evangelii apostolatu, id est in christiana doctrina tradenda, ita ut idoneis modis rationibusque pueri addiscant prima religionis praecepta, quibus integram vitam tute conformare possint, iuvenes altioribus de Christo eiusque opere notionibus imbuantur, homines adulti magis magisque sibi persuadeant, se in omnibus rerum temporumque adiunctis tantummodo ex studio et meditatione veritatum, quas Christus docuit, lucem, solamen, robur, quibus opus sit, haurire posse. Hic sane egregius de institutione catechetica apostolatus et campus

erit bonorum omnium industriae quam latissime patens, et peridoneum ad animas Christo adiiciendas adiumentum exstabit.

Dein debet bona scripta spargere.

Aliud vero opus, in quo Catholica Actio istic — sicut in ceteris nationibus — summa cura studioque versari debet, ad bona pertinet scripta in vulgus edenda, libellos praesertim periodicos et diaria, quae, quum largius disseminentur, maiorem vim et efficaciam exserunt. Bona autem scripta ea quidem intelligimus, quae non modo religionem aut bonos mores minime impetant, sed ipsa fidei morumque praecepta atque instituta, tamquam praecones, proclament et illustrent. Neminem profecto latet, quum sit ex cotidiano usu comprobatum, quae et quanta efficacitas ad domesticam civilemque populi disciplinam ex bonorum librorum et ephemeridum lectione proficiscatur; sicut plane comperta sunt omnibus mala gravissima, quae praesertim inter adulescentes excitantur per improba scripta, maiore plerumque industria latiusque evulgata quam bona, iuxta illud divini Magistri: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ». (1) Itaque veteris effati memores: « contraria contrariis curantur », iis, quae prave scripta eduntur, bona sunt omnino opponenda.

Quod exoptat, ut in christianis praecipue familiis ea legantur diaria quae ad virtutum studia, ad officia erga Ecclesiam admoneant atque inflamment.

Quapropter Nos fore confidimus, ut per Actionem Catholicam bona scripta edenda, pro temporum necessitate, multiplicentur ac roborentur, atque in christianis praecipue familiis ea legantur diaria, quibus animi ad virtutum studia, ad officia erga Ecclesiam admoneantur atque inflammentur.

Ad hoc tam necessarium opus, catholici homines unitis viribus *se exerceant.*

Quo autem id facilius consequi possitis, quum magnis hodie copiosisque opus sit auxiliis ad diarium quoddam recte ornateque conscribendum atque edendum, ita ut praevalidis ipsis adversariis suffici efficaciter possit, peropportunum sane ducimus, ut catholici homines in hac quoque palaestra *viribus unitis* sese exerceant, atque adeo, in re tam gravi et necessaria nulli parcentes labori, peculiarium regionum privatorumque hominum rationibus posthabitis, omnia consilia et opes ad commune bonum in unum conferre velint. — Ipsa namque concordia animorum viriumque conspiratio est prima veluti condicio, sine qua nulla prorsus Actionis Catholicae Ecclesiaeque incepta conatusve ad felicem exitum deduci possunt. Nonne hoc ipsum exstitit divini Redemptoris votum, suis tanquam testamento traditum discipulis: « Ut sint unum » ? (2) Nostrum porro facimus Domini ipsius votum, ita ut in ista natione, fideles aeque ac pastores, omnibus rationibus posthabitis, quae animos in cadu-

Concordia animorum viriumque conspiratio est prima condicio successus.

(1) Luc., XVI, 8.
(2) Ioann., XVII, 22.

Attollant animum ad divina.

cis rebus seiungere possint, ea quae ad divinam gloriam animarumque spectant salutem, una eademque voluntate prosequantur.

Benedictio Ap. omnibus data, praesertim fautoribus Actionis Catholicae.

Quo autem haec vota Nostra — quae quidem et tua sunt ceterorumque Lusitaniae Episcoporum,— auxiliante Deo, feliciter impleantur, tibi dilecte Fili Noster, tuisque in episcopatu Conlegis clero et fidelibus istius nationis universae, iis praesertim qui actioni catholicae quoquo modo faverunt vel favebunt, apostolicam benedictionem effusa caritate impertimus.

Dies (10 nov. 1933).

Datum Romae apud S. Petrum, die X novembris, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

---

63. — Suprema Congr. S. Officii

Decretum 16 nov. 1934. (Dubium de can. 2367).

DECRETUM

DUBIUM CIRCA CAN. 2367, PAR. 2, CODICIS IURIS CANONICI

(*A. A. S.*, 1 dec. 1934, XXVI, 634)

In plenario conventu huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito feria IV, die 14 Novembris 1934, proposito dubio:

Quaestio: suntne intra indirecte inducentes, qui persuadent in turpibus non adesse grave peccatum, quod proinde non accusatur.

« An inter *indirecte inducentes*, de quibus in canone 2367, par. 2, Codicis iuris canonici, adnumerandus etiam sit confessarius qui sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere ».

E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales fidei morumque integritati tutandae praepositi, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt:

« *Affirmative*, facto verbo cum Ss.mo ».

Responsum facto verbo cum Sanctissimo.

Hanc vero E.morum Patrum resolutionem, in audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii die 10 eiusdem mensis et anni impertita, Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI adprobare et suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est ac publici iuris faciendam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 16 Novembris 1934. *Dies (16 nov. 1934).*

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIONES

In responso *S. Officii*, fac attendas ad verba « inter se *patrandis* », quae supponunt persuasionem insinuari *ante* actum turpem, ita ut re vera, ex falsa persuasione, peccatum vel nullum vel veniale tantum sit commissum.

Antea is indirecte inducere aestimabatur complicem ad tacendum in confessione peccatum complicitatis, qui *post* peccatum grave commissum falso persuaderet complici peccatum fuisse nullum vel saltem non grave. Sic manifesto causa erat cur induceret ad silendum de peccato quod accusari debebat. Verum hoc loco, S. Congr., ultra progressa, indirecte inducentem statuit eum qui inducat ad silendum de actu qui accusari non debebat. Ratio igitur indirecte inducentis sic latius seu remotius sumitur. V. g. Titius turpiter agit cum muliere, ipsi persuadendo actum, in se, vel summum esse veniale. Persona apud ipsum confitetur, nihil dicens de peccato quod putabat accusari non deberi. Titius excommunicationem non fugit.

Propterea, ni fallimur, responsum datum est *facto verbo cum Sanctissimo*, ita ut omni effugio clauderetur via.

Sic autem plenius obtinetur finis censurae, seu magis punitur auctor abominandi sacrilegii, ex parte ministri sacramenti paenitentiae.

Atque a pluribus annis hac via S. Officium progressum est. Ita S. ALPHONSUS, L. VI, n. 556, admittere non poterat plecti excommunicatione qui complicem non absolverat sed mere eum absolvere finxerat. Postea, additum est, non effugere excommunicationem

qui absolvit complicem ideo non accusantem peccatum complicitatis quia ad id a complice confessario directe vel indirecte inductus est. Nunc autem clausulam indirectae inductionis large interpretata est *S. C. S. Officii.*

A. VERMEERSCH, S. I.

64. — S. Paenit. Apost. *(Officium de indulgentiis)*

Responsum 26 nov. 1934.

DUBIUM SUPER CAN. 934 § 2. CODICIS IURIS CANONICI

(*A. A. S.*, 1 dec. 1934, XXVI, 643)

Quaestionis ratio.

Pluries a Sacra Paenitentiaria quaesitum est: Utrum verba can. 934 § 2 C. I. C. *indulgentiae* (orationibus adnexae) *penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem*, rigorose intelligi debeant de quibusvis additionibus, detractionibus vel interpolationibus an potius de iis tantum quae earumdem substantiam alterent.

Responsum facto verbo cum SS.mo.

Et Sacra Paenitentiaria, re mature perpensa, respondendum censuit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam*, facto verbo cum Ss.mo.

Confirmatio, mandatum publicandi.

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Pp. XI in audientia habita ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore die 24 vertentis mensis, Sanctitas Sua hanc Sacrae Paenitentiariae resolutionem approbare et confirmare dignata est eamque, ad fidelium tranquillitatem, publici iuris faciendam mandavit.

Dies (26 nov. 1934).

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae Apostolicae, die 26 Novembris 1934.

L. ✠ S. L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*
I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Praesenti responso opportunissime consulitur tranquillitati Fidelium piorum, qui, cupidi lucrandi indulgentias, scrupulose timerent ne minima oblivione vel errore indulgentias amitterent.

Ita, indulgentia plenaria recitantibus officium divinum coram tabernaculo, si quis distractus omiserit preces in die feriali; ita indulgentia plenaria recitantibus coronam B. M. V. coram tabernaculo, ei qui omiserit tria vel quattuor *Ave Maria*; ita indulgentia plenaria oblationi Christo Regi, cuius formula italice vulgata, errore « verba par vous » posita sunt, dum sensus gallicus significabat: *pour vous*; ita indulgentia recitantibus litanias B. M. V. interpolando, ut fit in Hispania, invocationem: *Mater Immaculata*.

Errores isti intactam linquunt substantiam operis praescripti, nec acquisitionem indulgentiae dubiam facere possunt.

Quia tamen, attentis quibusdam severis responsis S. Paenitentiariae, res non prorsus clara erat, ideo responsum datum est Facto verbo cum Sanctissimo.

A. VERMEERSCH, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

65. — SS. D. N. Pius Pp. XI

B. Ludovicae de Marillac Sanctorum honores decernuntur.

A. Bulla *Misericordiarum Patri*, 11 mart. 1934, Sanctorum caelitum honores decernuntur B. Ludovicae de Marillac viduae Le Gras quae, in adolescentia mira pietate atque angelica pudicitia ceterisque virtutibus animum ditavit; viro mortuo, innupta, praeclarum se praebuit matris familias exemplum; post viri sui mortem, viduitatis voto, totam se soli Deo dicavit et in Societate Puellarum a Caritate, cuius ipsa fundatrix, se per totum vitae suae decursum pauperum servitio praestavit, donec saevissimo morbo correpta, placidissimo exitu quievit in Domino (*A. A. S.*, XXVI, 609).

Dioecesium finium mutatio et novae dioecesis erectio.

B. Bulla *Ecclesiae Universalis*, 9 iun. 1933, ab archidioecesi Marianopolitana territorii pars, in perpetuum avellitur ac separatur; atque e territorio ita avulso nova erigitur dioecesis, *Sancti Ioannis Quebecensis* nuncupanda, mutatis proinde archidioeceseos Marianopolitanae limitibus (*A. A. S.*, XXVI, 622).

Mutatio finium et novae dioecesis erectio.

C. Bulla *Ecclesiarum omnium*, 9 iun. 1933, a Principis Albertensis et Saskatoonensis dioecesi atque ab archidioecesi Reginatensi partes territorii in perpetuum avelluntur ac separantur, et ex territorio ita avulso nova erigitur dioecesis, *Saskatoonensis* nuncupanda (*A. A. S.*, XXVI, 624).

D. *Litterae, praeter Bullas, de Diocesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Novae praefect. apost. erectio in Sinis.

Brevi *Ex Apostolico munere*, 15 nov. 1932, ex vicariatu apostolico de Siangfu in Sinis, territorium sex sequentium sub-praefecturarum civilium, nempe de Fong-siang, Lungchow, Kiengyang, Linyu, Paoki et Kishan seiungitur ac separatur, et ex territorio sic separato praefectura apostolica erigitur, cui nomen de *Fongsiangfu*, curis Fratrum Minorum Sinensium concredita (*A. A. S.*, XXVI, 580).

E. *Litterae de patronis :*

B. Carolus Lwanga patronus declaratur.

Brevi *Vicariatuum ac Missionum*, 22 iun. 1934 Beatus Carolus Lwanga iuventutis africanae Actionis Catholicae in quibusdam locis peculiaris apud Deum Patronus declaratur et

constituitur; eiusdemque festum una cum festo BB. Martyrum Ugandensium quotannis recoletur sub ritu duplici secundae classis (*A. A. S.*, XXVI, 582).

F. *Litterae de ecclesiis:*

Templum S. Crucis, Florentiae, Basilicae minoris honoribus augetur.

Brevi *Florentinorum in urbe*, 20 dec. 1933, templum Sanctae Crucis situm in civitate atque archidioecesi Florentina, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoratur, illique omnia et singula iura et privilegia conferuntur, quae Basilicis minoribus, iuxta Apostolicas concessiones, de iure competunt (*A. A. S.*, XXVI, 581).

66. — S. C. Consistorialis.

I.

Mutatio finium praelaturae nullius.

Decreto 3 febr. 1934, praelaturae *nullius* Gurupensi perpetuo, quaedam paroeciae ab archidioecesi Belemensi de Parà dismembratae, incorporantur et eadem praelatura Gurupensis posthac nomen « Guamensis » assumit; item sedes eiusdem transfertur ab urbe *Ourem* ad urbem *Bragança*, et ecclesia paroecialis N. D. SS.mi Rosarii dicata, ad gradum praelatitiae ecclesiae extollitur (*A. A. S.*, XXVI, 590).

II.

Mutatio finium dioecesium.

Decreto 28 april. 1934, municipia *Matteria* et *Castelnuovo*, a dioecesi Tergestina - Iustinopolitana seiunguntur atque dioecesi Fluminensi aggregantur, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*A. A. S.*, XXVI, 591).

III.

Designationes Ordinariorum pro appellationibus:

Designationes tribunalium appellationum.

Secundum Archiepiscoporum designationes, appellabitur ad tribunal Ordinarii Campifontis a tribunali archiep. Chicagiensis;

Ad tribunal Ordinarii Dubuquensis a tribunali archiep. S. Pauli de Minnesota;

Ad tribunal Ordinarii S. Pauli de Minnesota a tribunali archiep. Dubuquensis (rescr. 4 maii 1934; *A. A. S.*, XXVI, 635).

Ad tribunal Ordinarii Matanzensis, a tribunali archiep. S. Christophori de Habana (rescr. 10 april. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 635).

Ad tribunal Ordinarii Salmanticensis a tribunali archiep. Vallisolitani (rescr. 26 iun. 1934; *A. A. S.*, XXVI, 635).

67. — S. C. Rituum.

Causae canonizationis et beatificationis :

B. Maria a S. Euphrasia Pellétier.

1. *Andegaven.* Decretum 9 maii 1934, reassumptionis causae canonizationis B. Mariae a S. Euphrasia Pellétier, virginis monialis professae ex ordine D. N. a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore (*A. A. S.*, XXVI, 595).

Ven. Serva Dei Maria Francisca Schervier.

2. *Colonien.* Decretum 9 maii 1934, introductionis causae beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Franciscae Schervier, fundatricis Sororum Pauperum S. Francisci. (*A. A. S.*, XXVI, 597).

B. Iosephus Cafasso.

3. *Taurinen.* Decretum 13 iun. 1934, reassumptionis causae canonizationis Beati Iosephi Cafasso, sacerdotis saecularis, Collegii Ecclesiastici Taurinensis moderatoris (*A. A. S.*, XXVI, 596).

Ven. Servus Dei Fridericus Albert.

4. *Taurinen.* Decretum 13 iun. 1934, introductionis causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Friderici Albert, vicarii paroecialis et vicarii foranei, fundatoris Sororum Vincentiarum a Maria Immaculata (*A. A. S.*, XXVI, 600).

Ven. Serva Dei Maria Amelia Fristel.

5. *Rhedonen.* Decretum 13 iun. 1934, introductionis causae beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Ameliae Fristel, fundatricis Instituti Sororum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae (*A. A. S.*, XXVI, 603).

Ven. Servus Dei Galilaeus Nicolini.

6. *Nullius, SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.* Decretum 18 iul. 1934, introductionis causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Galilaei Nicolini novicii Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. (*A. A. S.*, XXVI, 636).

Ven. Servus Dei frater Exuperianus.

7. *Parisien.* Decretum 18 iul. 1934, introductionis causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei fratris Exuperiani, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum (*A. A. S.*, XXVI, 639).

B. Claudius de la Colombière S. I.

8. *Augustodunen.* Decretum 14 nov. 1934, reassumptionis causae canonizationis B. Claudii de la Colombière, Confessoris, sacerdotis professi Societatis Iesu (*A. A. S.*, XXVI, 641).

68. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt :

San Severino (Italia).

22 oct. 1934, R. D. Ferdinandus Longinotti, cathedrali ecclesiae Sancti Severini.

Cuneo (Italia).

14 nov. 1934, R. D. Iacobus Rosso, cathedrali ecclesiae Cuneensi.

69. — Necrologium.

22 iul. 1934, D. Daniel Franciscus Fechan, episcopus Rivermensis. *Fall River (U. S. A.).*

23 iul. 1934, D. Giorgius de la Boninière, episcopus S. Dionysii. *La Réunion (Africa).*

25 iul. 1934, D. Mauritius Crotti, episcopus Tifernatensis. *Città di Castello (Italia).*

7 aug. 1934, D. Iosephus Scollard, episcopus S. Mariae Ormensis. *Sault S.te Marie et Marquette (U. S. A.).*

10 aug. 1934, D. Vincentius Tymieniecki, episcopus Lodzensis. *Lodz (Polonia).*

19 aug. 1934, D. Carolus Albertus Iosephus Lecompte, episcopus Ambianensis. *Amiens (Francia).*

18 sept. 1934, D. Franciscus Xaverius Cloutier, episcopus Trifluvianensis in Canada. *Trois Rivières (Canada).*

18 sept. 1934, D. Alexander Pasquel, episcopus Ibarrensis. *Ibarra (Equatore).*

30 sept. 1934, Em. D. Card. Iosephus Mori. *Romae.*

1 oct. 1934, D. Aloysius Amigò y Ferrer, episcopus Segobricensis. *Segovia (Spagna).*

1 nov. 1934, D. Simon Petrus Grassi, episcopus Derthunensis. *Tortona (Italia).*

5 nov. 1934, D. Guilelmus Spence, episcopus Adelaidensis. *Adelaide (Oceania, Australia).*

17 nov. 1934, D. Gustavus Matteoni, archiepiscopus Senensis. *Siena (Italia).*

18 nov. 1934, Em. D. Card. Petrus Gasparri. *Romae.*

BIBLIOGRAPHIA

I. - *Ex Libris*

Adolf Bertram (Em. Card.). *Charismen priesterlicher Gesinnung und Arbeit.* Skizzen und Winke für Tage der Recollectio. Vol. (15 × 23) VI-196 pag. Herder & Co. G. m. b. H., Freiburg im Breisgau 1931. M. 4.30.

M. Brandenburg. - P. Krause. *Die Geschäftsverwaltung des katholischen Pfarramtes* im Gebiete des preussischen Landrechts mit Berücksichtigung des Reichskonkordats vom 20 Juli 1933. Vol. (15×23) XIII-806 pag. Buchverlag der Germania, Berlin 1934.

Die pfarramtliche Geschäftsverwaltung im allgemeinen. Die Erledigung der amtlichen Eingänge. Die Pfarrakten und die amtlichen Bücher — Di pfarramtliche Geschäftsverwaltung im besonderen. Behörden und Privatpersonen. Die Verwaltung der kirchlichen Sachen — Klagen und Prozesse. Allgemeines. Einzelne Prozesse.

E. Cahill (S. I.). — *The Framework of a Christian State.* An Introduction to Social Science. Vol. (15, 5 × 22) XVIII-702 pag. M. H. Gill and Sonn, Dublin, 1932.

I. Historical Sketch. Introductory Note - Pagan Society in the Early Roman Empire - Christian Society in the Fifth Century - The Early Middle Ages - The Twelfth and Thirteenth centuries. Historical Outline - Social and Political Principles of Christendom - Mediaeval Economie Teaching - Social Classes in Mediaeval Times - Social Results of Protestantism - Liberalism - Individualistic Capitalism - Socialism - Revolutionary Communism (Bolshevism) - Freemasonry and allied Societies - The Social Question - The Catholic Social Movement - II. Catholic social Principles. Introductory Note - The Individual - Duties and Rights Regarding One's Self - The Family - Husband and Wife - Parents and Children - Education - Master and Servant (Employer and Employed) - The Social Statuts of Women - The State - Justice - Legal Justice - Distributive Justice - Charity - Patriotism - The Church - Appendices: I. Social Life in Mediaeval Ireland. II. Historical Background of the Social Question in Ireland. III. Social Question in Ireland.

Jacques Leclercq (Abbé). *Au Fil de l'Année Liturgique.* Méditations et Prières. — (Nouveauté). Vol. (8 × 20) 320 pag. Éd. de la Cité Chrétienne, Bruxelles 1934. 20 fr. Belg.

Avertissement - Contemplation - La terre vue du ciel - Avent - Noël - Saint Étienne, Protomartyr - La vie cachée - Carême - Trois saints - Semaine Sainte - Temps Pascal - Mois de Marie - Deux Saints - Pentecôte - Le temps après la Pentecôte - La Fin.

Wendelin Rauch (Dr). *Das Gesetz Gottes in der Ehe.* Eine Instruktion für Beichtväter. Vol. (14, 5 × 21) 166 pag. Als Manuskript gedrückt. Moguntiae 1934.

Bischöfliches Geleitwort - Vorbemerkungen - Einleitung: Zur Methode - A. Systematischer Teil - B. Kasuistischer Teil - Schluss - Anhang: Kirchliche Lehrentscheidungen.

*** *Frauen-Wirken im Aufbau der christlichen Ehe.* Vol. (15, 5 × 23) 113 pag. Schweiz. Kathol. Frauenbund, Luzern 1933.

Vorwort - Die sakramentale Wirklichkeit der Ehe und ihre Ausgestaltung - Der Familiensinn und seine familiengestaltende Bedeutung - Die naturtreue Ehe - Positive Lebenserziehung des Mädchens als vorbeugende Sicherung und Grundlegung des idealem Familienlebens - Die Erziehungsaufgaben der Mutter an ihren Söhnen im Hinblick auf die kommende Familie - Das Verhängnis der biologischen Untreue für den Wesensbestand der Ehe und Familie - Die Verantwortung der katholischen Frauenbewegung der Aerztewelt gegenüber - Ethische Verantwortungen und Aufgaben unserer katholischen Entbindungsanstalten und Frauenkliniken - Katholische Eheberatung - Ihre Notwendigkeit und ihre Aufgaben. Gefahren der unchristlichen Eheberatung - Mittel geistiger Ehe-und Familienhilfe - Die Bedeutung der christlichen Jungfräulichkeit für die Familie.

*** *Die Erziehung der Jungen und Mädchen zur sittlichen Reinheit.* Heft 2 und 3. Broch. (13 × 18,5) 52 pag. Verlag der Kathol. Schulorganis. Deutschlands, Düsseldorf.

